


















1. 6. 30


VI
MVRC. Rhetor





RHETORICORVM

TOMVS PRIMVS IN DVAS PARTES Diuisus, quarum prima breui stylo artis præcepta continet, & multiplicat, secunda artis exercitamenta complectitur, selectus ex doctioribus Magistris Societatis IESV. Et in fine, cum tabula Cypriani eiusdem Societatis.

PER LICENTIATVM FRANCISCVM Murcia de la Llana, Regia autoritate librorum Censorem.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM D. FERdinandum de Azeuedo, Archiepiscopum Burgensem, meritissimumq; Pręsidem Castellę.





CVM PRIVILEGIO.

Matriti, apud Ludouicum Sanchez, anno 1619.

Librum hunc vidi, & cũ suo archetypo contuli, quod Sacræ Cæsareæ Maiestatis Senatus approbauit, & eorum, qui typis excusi sunt exemplar esse voluit, omniaq; in eo sunt adeò verè & fideliter impressa, vt nulla vnquã in re ab exemplari suo discedant. Datum Compluti de Henares die octaua mensis Septembris anni 1619.

Magister Sebastianus del Lirio.

APPROBATIO.

EX præcepto Regij Senatus vidi scripta quædam à Licentiato Murcia de la Llana in Rhetoricam collecta ex grauibus Societatis Iesu autoribus: & nihil est quod lædere pias aures posit, vel non sit multa cum vtilitate coniunctum. Quare digna sunt quæ euulgentur. Datum in Academia Complutensi, die quarto mensis Septembris anni 1616.

Magist. Sebastianus del Lirio

AL ILVSTRISSIMO Señor don Fernando de Azeuedo, Arçobispo de Burgos y Presidente de Castilla.



O AY Mas euidente señal (dezia Isocrates in oratione de Regno) para ser tenida vna Republica por dichosa y bien gouernada, que auer acertado su Principe a elegir Presidente, que con igualdad y justicia elija los Consejeros, distribuya las dignidades, y conserue a los grandes y a los humildes en su estado sin injuria: porque estos son los rudimentos y principio (dixo Platon libr. 3 de legibus, y Aristot. lib. 5. Ethicorum cap. 3.) para que las Monarquias se conseruen felizmente. Y tengo por cierto, que si tan graues Autores huuieran visto la experiencia de la felizidad de la nuestra en la persona de V. Señoria Illustrissima, que de todos tres fuera digno exemplo para gloria desta Nacion, y verdadero

espe-

espejo de los estraños, en quien los Reyes y Principes aprenderan a elegir gouernadores, con que puedan sacudir seguros el peso del imperio, y ellos a gouernar de tal manera, que se verifique en cada vno la sentecia de Isocrates ad Niclocle, q̃ la mas vtil possession q̃ tenia vn Rey era vn buẽ Cõsejero. Alexandro Seuero fue celebrado en la Antiguedad, por la eleccion que hizo de diez y seis Varones iguales en virtud y ciencia, con quien aconsejarse. Y en este tiempo lo serà nuestro Rey inuictissimo, por las que ha hecho de V. Señoria Ilustrissima, y del señor don Iuan Baptista de Azeuedo, Obispo de Valladolid, Patriarca de las Indias, Inquisidor general, y Presidente de Castilla, para Presidentes de su Real Consejo, hermanos en las esclarecidas virtudes, enla grandeza del animo, en el prudente consejo, y el vno imitador del otro en las costumbres. Porque siendo las de entrãbos en superior grado, fuera impossible poder imitar las de ningun sugeto: y assi fue igual la eleccion de tan Religioso Principe, que sin tener neutral juyzio en tan igual competencia, le dio a V. Señoria Ilus-

trissi-

trissima lo que tan sin tiempo, con general llanto quitò la muerte al señor Patriarca que està en el cielo, reparando con esto el daño, que con auer arrebatado a tan gran Prelado, auia recebido este gouierno, quedando V. S. Ilustris. por consuelo tan cierto, que no huuo mas mudança que en el nombre propio. Y ansi reconocido su Magestad de tan ilustre sangre, y de tan auentajados seruicios en el priuilegio de la ilustre Casa de V. Señoria Ilustrissima, que esta en la Merindad de Trasmiera, junto de Ribamontan, lugar de Hoz, su fecha en Madrid en treze de Abril de seiscientos y ocho, confirmando lo que trata deriuado la antiguedad de tan Ilustre Casa, dize ser la de V. Señoria Ilustrissima de los mas antiguos y calificados solares que ay en la Montaña, dando ilustre priuilegio por prendas de su voluntad al señor don Francisco de Azeuedo hermano de V. Señoria Ilustrissima, resucitando con el la memoria de los seruicios que sus passados hizieron en las conquistas de los Reynos de Granada, y Nauarra. V. Señoria Ilustrissima reciba a sombra de mi voluntad el humilde seruicio deste trabajo que dedico

a su

a ſu grandeza, como recibio debaxo de ſu amparo mis libros de Anima, que con el paſſaron rigurosa cenſura, que la alabança que no merecieron por ſu Autor, la alcançaron por el dueño a quien fueron dedicados. Guarde Dios a V. S. Iluſtriſ. para amparo de las perſonas que procuran auentajarſe con ſu nombre.

El Lic. Franciſco
Murcia de la Llana.

TRACTATVVM, ET CAPITUM IN HOC OPERE CONTENTORUM ELENCHUS.

Tractatus primus de inuentione, & locis.

Tractactus secundus de genere exornatiuo.



INDEX.

Tractatus tertius de genere de liberatiuo.


Tractatus quartus de genere iudiciali.

Pars prima, de genere iudiciali non mixto.

Cap.

Pars secunda,de his quæ in iudiciali genere solent misceri,& sunt alijs generibus communia.

Tractatus quintus de dispositione, & partibus orationis Rhethoricæ.



Tractatus sextus, de humanis affectibus, & de eorum motu.


Tractatus septimus, de amplificatione oratoria.

Tractatus octauus, de argumentationibus.

Tractatus nonus de elocutione.

Pars prima de elocutione vniuersali.

Pars



INDEX.

Pars ſecunda de elocutione figurata, in qua nobiliores figuræ definiuntur.

Pars tertia de collocatione verborum.

Tractatus decimus, de tranſitionibus Rethoricis, pronuntiatione, & memoria.

In

Vitupe-

INDEX.

TRACTATVS PRIMVS DE INVENTIONE, ET LOCIS.

CVM Facultas inueniendi argumēta, quę ad omnem quæstionem probandam idonea excogitantur, totius humanę facundiæ fons sit, & origo: ea primùm nobis tractanda est, quæ meritò inter omnes alias Rhetoricæ partes, Principem habet locum. Quantum hæc tractatio secum afferat vtilitatis, & quātaipsius in omni genere sit necessitas, expono breui, vt ad locorū cognitionem comparandam, bene dicendi cupidi excitentur. Cōfert primùm inuentionis facultas, vt cuiq; certo succurrat, quod dicat, quod obijciat, quod respondeat. Deinde ad domestica negotia gerenda, ineundos contractus, dissoluenda argumenta, instruendas rationes, quibus & se quisque defendere, & alios lædere facilè possit.

Qui est hàc facultate destitutus, tardus est, & mutus, cùm nihil consequi, vel enuntiare valeat: cùm tamen, qui locos nouit, thesauros maximos habeat, ex quibus, quæ velit, attollat, illustret, vestiat, dilatet, adstruat, destruat. Hinc propugnat sua; hinc oppugnat aliena: deniq; nihil est, quod nō ab inuentione dimanet. Cùm res humanæ ambiguæ sint atq; perplexæ, ad eas terminandas, necessaria fuit argumentatio, quæ sine locorum inuentione constare non valet. Accedit hominis ingeniū tardum, & parum solers esse, cui oportebat breuem, ac facilē viam sterni, per quam locos adiret, vnde argumēta peteret. Ergo tractatus iste primus, quosdam velut cōmunes rerum ordines atq; indices constituit, pro varia habitudine eorum, quæ in quacunq; re proposita inueniuntur, vt sunt definitiones, partes, & cætera: hac industria, qui probationem audiuerit, statim vnde petita sit, intelliget.

Iam quid locus sit, his definitionibus declaro. Prima est, *Communis quædam rei nota, cuius admonitu, quid in quaq; re probabile sit, potest inueniri.* Sic Agricola. At Tullij, & Quintiliani descriptio est: *Locus est argumenti sedes.* Arist. 1. Rhetoricorum, elementum appellat, ea de causa, quòd licèt sit quid simplex, multorum est argumentorum origo.

Hinc igitur sumet initiū Rhetori-

toricæ nostræ Compendium. Quędam notissima circa inuentionis, & locorum definitionem dabit Cypriani tabula, quam, ne omnia inuitè pertractemus, excussam ad finem operis habebis.

Caput primum, vbi explicantur Rhetorum definitiones.

PRimus omnium locus est definitio, à qua semper est incipiẽdum: quare illam nõ immeritò antiqui Regium Censorem, Quæstoremque ærarium nominabant, quòd cuiusque rei naturam proprietatemq; subijciat. Ea quidem est, oratio, quæ rei alicuius proprias amplectitur potestates breuiter, & absolutè, secundum Quintilianum lib. 7. cap. 4. vel, rei propositę propria, & dilucida, & breuiter comprehensa verbis oratio. Arist. aliter definiuit lib. 1. & 2. Topicorum, quem laudat Gellius lib. 4. cap. 1. sed in eundem omnino sensum reciduent omnes. Quinque traduntur definitionis rei species, seu proprietates; vel substantiæ, vel causarum, vel effectorum & officiorum, vel partium, vel accidentium.

Definitio substantiæ est; qua potissimum Philosophi vtuntur, & constat genere, & differentia, quam, Dialecticorum more essentialem appello. Genus inueniri facile est, sed nõ ita differẽtiã: ideo frequenter oratores, cùm differentias non inueniant, accidentium congerie vtuntur. Cicero 1. de legibus, *Homo est animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenũ rationis, & consilij, præclara quadam conditione à summo Deo generatum.* Quid genus sit, habes 4. cap.

Definitio causarum, vel omnes, vel aliquas rei, quæ definitur, causas exprimere solet. *Domus est substructio quadrata, ex lapidibus, & lignis, ab Architecto fabrisq; formata, habitationis gratia.* Fit etiam ab vna causa, Arist. 2. de anima, à materia: *Ira est sanguinis feruor circa cor:* à fine 2. Rhetor. *Ira est appetitus vltionis;*

Definitio effectorum frequens est apud autores, vt, *Magnes est lapis qui ferrum attrahit.* Definitio officiorum parum distat ab effectis, nisi quòd effecta magis ad naturas agentes pertineant; officia ad eas, quæ agunt consilio, vt, *Prætor est, qui iuridicendo in ciuitate præest.* Definitio partium debet omnes partes complecti, vt, *Mensis est triginta dierum spatium.*

Definitio accidentium est, quæ tot accidentia colligit, vt quod definitur, ab alijs rebus separetur. Quo genere definitionis sæpè vsus Cicero 1. de natura Deorum. Sed hæc definitio quæ ab accidentibus ducitur, propriè vocata est descriptio, per omnes circunstantias ducta à re, causa, persona, loco, tempore, modo.

Aliæ sunt definitionum formæ non ita familiares, primò, per metaphoram, vt, *Senectus est occasus vita*

ta. Secundò per analogiam, vt, *Sol est mundi oculus*. Tertiò per contrarij remotionem. *Virtus est vitium fugere*. Quartò per defectum vel indigentiam pleni: *Quadrans est, cui dodrans de est, vt sit as*. Quintò per relationē, vt, *Debitor est, cui creditor est*. Sextò per diuisionem, vt, *Bonū est, quod in honestū, vtile, & iucundum diuiditur*. Septimò per Antonomasiā, vt, *Romanus orator*. Octauo, per differentiam; *Ira est furor breuis, odiū inueteratū*. Deniq; sunt quæ melius negatione definiantur, quod prudēs orator consideret, necesse est. At quando rerum notæ, interneq; differentiæ nos latent, per proprietates, per effectus, per causas extrinsecas, per partes, per accidentia communia rem explicabimus.

Hinc firmissima ducentur argumenta, ab affirmato, vel negato definito: ad affirmatam, seu negatam definitionem. Hinc etiam copia, ad variandum rem eandem, comparari potest, cùm pro re ipsa liceat eiusdem substituere definitiones. Cętera à Philosophis, & Dialecticis tractantur, nec oratoribus necessaria existimo.

Caput. II. De partibus.

SEcundus locus est partium enumeratio, qui locus tribus potissimum modis tractatur; vel cùm affirmatis omnibus partibus, totū afirmatur; vel cùm negatis omnibus partibus, negatur totum; vel cùm remotis cæteris partibus deuenitur ad vnam. Ac primum, cùm totum affirmare velimus, singulas partes debemus consulere, vt, si Tullius contendat Milonem ab vniuerso Romano populo diligi, videat quæ sint eius partes Senatorum, equitum, & plebis, à quibus omnibus amari conuincat.

Secundò, cùm totum negare velimus, singulæ partes infirmentur, vt, quoniam tribus tantum modis, apud antiquos serui libertatem acquirebant, censu, vindicta, testamēto, si quis quempiam liberum esse negare velit, qui prius seruus extitisset, ita argumentum formare debebit, vt nullo ex ijs tribus modis liberum esse conficiat.

Tertiò cùm remotis omnibus partibus deuenitur ad vnā; in hanc formam: hanc pecuniam, aut habuisti, aut accepisti, aut inuenisti, aut surripuisti; sed nec habuisti, nec accepisti, nec inuenisti: ergò surripuisti. Quintilianus lib. 5. vocat hoc argumentum à remotione, quod ait esse periculosum, ne, si vnam fortasse partem præter mittamus, meritò repudiemur.

Argumentum, ab enumeratione partium vniuersas orationes, aut earum maiorē partē amplectitur, vt ea, quæ pro lege Manilia, tota pendet ab vno argumento, quo Imperatoris partes numerantur: Pōpeius ad bellum cōtra Mithridatem mittatur, ratio Tullij hæc est. Quicunq; rei militaris sciētiā habet, virtutē, autoritatem, &

felicitatem, is summus est Imperator: sed in Pompeio hæc omnia sunt, quod eius rebus præclarè gestis copiosissimè probat: ergo est summus Imperator.

Hæc enumeratio appellari solet inductio, cuius tres species: prima ab exemplo, vt Cicero pro Cor. Balbo: si C.N. Crassus, si Q. Metellus, si L. Sylla, si C. Marius, si Senatus, si populus Romanus fœderatos homines ciuitate donauit, Pompeius Cornel. Balbum iure potuit ciuitate donare.

Secundò inductio est à similibus, quæ Socratica vocatur, vt si agricola bonus est, qui fertiliores agros reddit, si pastor bonus est, qui meliores pecudes efficit: ita Princeps ille probandus, qui subditos suos facit esse meliores.

Tertiò, à partibus quæ totũ colligit: Animãtia, quę in terra viuũt, volucres, & aquatiles mouentur, & sentiunt: ergo omne animal mouetur, & sentit.

Denique quot modis totum cõsideretur, videndũ est: nã vniuersale est, & superius attributũ, cuius partes dicimus subiectiuas. Vel secundo commnne nomen aliqua ratio restringit, & est totum inmodo, iuxta Dialecticorum phrasin, vt lex humana; vel tertio est totum, quod integrale appellant, ex multis confectum partibus, quæ vicem molis, & quãtitatis gerant; vel quarto totũ in tẽpore, vt semper; vel quinto totum in loco, vt vbiq;. Si quæ sunt alia, in his ferme comprehendes.

Cap. III. De notatione verbi.

Tertius locus est verbi notatio, quem existimat Quintilianus in argumentis locũ nõ habere. Sed apud me potior est Tullij sententia docens, in argumentãdo multas elici ex illo rationes. Idem probat Aristoteles 7. de cœlo, suadens cœlũ in gyrum perpetuò moueri, eo argumento vtens, quòd æther, quasi perpetuò currens, ab antiquis fuerit appellatum.

Hæc verô argumenta, quæ ducuntur à nomine, totam rem attingunt: ideo in definitionibus assignatur etymologiæ locus; vt Geometra est, qui terram dimetiri nouit; Cura, quasi cor vrat.

Prętereà multam eruditionem cõtinet etymologia, eoquòd verborũ originẽ quærit. Ita docet Plato in Cratillo, & Lucius Balbus apud Ciceronẽ 2. de natura Deorũ. Dupliciter ex hoc loco deducimus argumenta, primò ex nominis definitione, seu interpretatione; vt si quis sapientiam in corde statuat, ex eo deceptus, quòd sapientes cordati dicuntur, excordes insipientes: secundo ex cognominatione, vel vt vulgus Dialecticorum ait, ex æquiuocatione; cùm vnum verbum duo, vel plura significat, cum translatione, vel sine illa; vt Socrates pulchritudinẽ admirabilem esse concludit, quia virtus pulcherrima est omniũ rerum.

Hi tres loci ad totum adhibentur. Succedit locus ab affectis, in quo tredecim numerantur alij.

Cap. IIII. De numero locorum ab affectis.

DVcuntur argumēta ex rebus, quæ quodam modo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. Itaq; locus iste est ab affectis. Hunc locum sic Tullius diuidit: *Alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, parium, vel minorum.* Sunt verò affecta, quę se aliqua relatione respiciunt; aut amica inter se; aut quia dissidētia conferuntur. Si amica; vel substantialiter (sic necesse est loqui dialecticis vocibus) vt genus, & forma, antecedentia, consequentia, causa, effectus; vel in qualitate sunt amica, vt coniugatum, simile, coniunctum; vel in quantitate, vt paria. Quæ verò sibi dissidentia, & inimica conferuntur, partim à se differentia sunt tantū, veluti substātia; partim aduersa: sed aduersa; partim in qualitate, vt contraria, vel repugnantia; partim in quantitate, vt maius, & minus. Quæ ratio suadet Dialectica demonstratione, nec plures, nec pauciores esse locos ab affectis, quâm ij, quos Tullius numerauit.

Cap. V. De coniugatis, genere, & forma.

PRimus locus affectorum est à cōiugatis, quæ orta ab vno variè commutātur. Quintilianus hūc locum contemnit, quasi ridiculū sit, *Eum qui iusta facit, iustè facere*; Cùm id non egeat probatione. Sed cùm Aristoteles & Cicero hunc locum diligenter tractent in Topicis, Quintiliano nō est acquiescendum, eo præsertim nomine, quòd sæpenumerò vim maximam habeat ad persuadendum. Dicat quis, *Regnum non expetendum, cùm Regibus tot immineant pericula; doctrinam summo studio consequendam, cùm doctis tot opes acquirantur; militiam esse fugiendam, cùm milites tot experiantur labores.* Sic Euripides: *Stultus stulta loquitur.* Tullius 4. Tusc. *Quis enim potest, in quo libido, cupiditasve sit, non libidinosus, & cupidus esse?*

Secundus locus à genere, sic à Tullio in Topicis definitur: Est motio ad plures differentias pertinens. Quæ Dialectici ex Porphyrio tractent, non sunt huius loci. Solum illud notandum genus esse, quod multas species complectitur; vt Magistratus, genus est ad Consulatum, & Præturam. Sit prima regula argumentandi ex genere tradita à Quintiliano: *Genus ad probandam speciem non valere*; vt arbor est, ergo Platanus, hoc potest esse falsum. *Secunda regula:*

Ad refellendam speciem plurimum valet genus, vt, non est arbor: ergo non Platanus, firmum argumentum. Tertia regula. *Species firmissimam habet probationem generis*; vt, est Platanus: ergò arbor est, valet. Quarta regula. *Species infirmam habeat refutationem generis*; Platanus non est: ergo nec arbor, non valet. Hæc quidem ita Quintilianus. Illud sciendum est, quotiescunq; generi signum additur generale, etiam vnaquæque species confirmatur, vel confutatur; vt, *Si nulla virtute præditus fuit Catilina: ergo nec fortitudine; nullam scientiam Marius didicit: ergo nec Musicam.* Latissimè patet hic locus, quoniam omnes causæ, atquæ argumenta confirmantur à genere, & nulla argumentatio concludi potest, nisi generale pronuntiatum constituatur, hoc est, quod aiunt Dialectici, ex singularibus nihil colligi. Genus autem vocat Cicero commune generaleque vocabulum, quod plura complectatur, vt cùm in oratione pro Muræna comparat ipsum Seruio Sulpitio, & omissis personis illis, ostendit duces belli multò vtiliores esse Reipublicæ, quàm iurisconsulti sint: quare cùm Muræna dux belli sit, vtilior est quàm Sulpitius. Sic in oratione pro Milone. *Insidiatori quæ iniusta potest afferri nex?* Sic etiam. *Corinthus euertenda, quia ius gentium violauit.* Tertius locus à forma, seu specie, quæ tantum propriè de singularibus dicitur, sed parum differt ab argumento ex genere.

Quare Tullius in Topicis coniungit, & Arist. in suis Topicis non distinguit. Per comparationem à specie nonnunquam ducuntur præclara argumenta; vt in oratione pro Ligario, Cæsaris beneficentia cum alijs virtutibus comparatur.

Cap. VI. De locis à simili, differentia, & contrario.

QVartus locus est à similitudine, de qua Tullius ait, *Esse rerum diuersarum inter se collatarum similem quandam affectionem.* Similitudines inuentæ sunt ad inferendam rebus lucem, vt Quintilianus scribit. Earum alię probationis gratia, inter argumenta ponuntur: alia ad exprimendam rerum imaginem compositæ, tres habent species, inductionem, collationem, exemplum.

Inductio, quæ à similitudine ducitur, est, quà Socrates plurimùm vtebatur; vt, *sicut pomum id nobile ducitur, non quod ex præstanti arbore decerptum, sed quod suauitatem habeat; & equus, &c. Ita homo nobilis est, non qui natalium splendore glorietur, sed qui maxima virtute præditus sit.* Est verò inductio plurium similium collatio.

Alterum genus similitudinis est parabola, Greco nomine; Latino,

tino, collatio, per quam vnum vni, & par pari comparatur. Exemplum sit. *Quemadmodum agricultura fertiliores sunt agri: ita noster animus disciplinis fit melior.* Hoc in genere, elegantissimus vbique Quintilianus.

Tertium similitudinis genus est exemplum, quod rei alicuius gestæ autoritate nititur, tantùm inter homines propriè poni consueuit. Quintilianus tria statuit exemplorum genera; simile, dissimile, contrarium. Hæc autem similitudinum genera, quòd ad argumenta pertinent, orationem sublimem, floridam, iucundam, mirabilem efficiunt. Nam quò longiùs quæq; petita est, hoc plus affert nouitatis, atq; inexpectata magis. Vide quàm inopinata illa similitudo Tullij pro Murena, vt, *Aiunt in Græcis artificibus eos aulædos esse, qui cytharœdi fieri non possunt: sic nos videmus, qui oratores fieri non potuere, eos ad iuris studium deuenire.* Locus à simili, qua forma ad vsum reducendus, docet Aristoteles 2. Topicorum. Quintilianus lib. 5. cap. 12. à comparatione similitudo differt, quòd illa ad quantitatem, ad qualitatem hæc deducatur. Si ex pluribus collationibus fiat similitudo, nominatur inductio: si res vna vni, par pari æquetur, retinet similitudinis nomen.

Ficta exempla, similitudinis vim habent, vt Arist. ad Theod. lib 2. cap. 10. & Tullius monet in Topicis. Denique mortua, & muta animalia, cum similitudine loqui consentaneum est, de quo multa Quintilianus lib. 3. cap. 20. lib. 8. cap. 6. lib. 9. cap. 2. Tullius ad Herennium lib. 4 Vlpianus Rhetor in enarratione ad Olinthiacam primam. Agricola lib. 1. cap. 25. & lib. 2. cap. 14. Similitudinum inueniendarum rationem, quæ nobis aptior visa est, sic exponimus: proposita re, cui similitudinem queris, vide quid sit id, quod per similitudinem exprimere vis, & quale sit, & quid efficiat. Deinde inuestiga rem aliquam, quę conuenientiam habet cum re proposita; quia conuenientia reperta, ipsam habebis similitudinem. Ad hanc faciliùs inueniendam, plurimum confert, si quis animaduertat ea, quæ de re proposita per metaphoram dici solent, & statim occurret similitudo, si id animaduertatur, cui illa propriè tribuuntur.

Proderit etiam ad similitudines inueniendas, eas legendis bonis scriptoribus adnotare. Confert etiam ad similitudines inuestigandas, noscere vnde potissimùm oriantur. Oriuntur autem ex antecedentibus, coniunctis, consequentibus, causis, atque euetibus.

Quintus locus est à differentia, quam dissimilitudinem explicat Cicero in Topicis, & partitionibus; sed qui nouit simile formare, nouit & dissimile, cùm sit eadem contrariorum disciplina.

Sextus locus à contrario, de quo Cicero in Oratore ad Brutũ præcipit, vt hoc genere contrariorum frequenter orationem nostram illustremus, fertilissimumque tribuit campum argumentorum, quando, vt libro 6. cap. 1. ex Chrysippo tradit Gellius, nullum contrarium sine contrario esse potest. De vsu huius loci plura Tullius 1. de inuentione, & libr. 2. de Oratore, Aristoteles 2. Topicorũ. Quintilianus lib. 1. cap. 10. & 11. plura contrariorum genera designat, quæ ad breuem summam numerauit Bohetius in Topicis. Nã alia velut priuatio & habitus opponuntur; alia contradictoriè; alia contrariè, seu mediatè, cùm medium reperitur, seu immediatè, quando non apparet: alia relatiuè. Nec verò opus est, vt contraria sub eodem immediatè genere collocentur: sat erit, si sub eodem extremo Orator contrariorum naturam perquirat, vel in natura, vel in moribus. Deinde videat, an medium habeant interiectum, vt facilior sit forma argumẽtandi. Tertiò, an nomine careant, vel eo notentur. Quartô, an sint contraria priuantia, quorum alterum nihil est, vt cæcitas: alterum aliquid, vt aspectus: an sint contraria, quæ sunt res, quarum vtraque aliquid est, vt frigus, & calor: an contradictoria, quorum alterum ait, alterũ verò idem negat, vt homo, non homo: an denique relata, comparata, seu affecta, vt magnum, & paruum. Sed quia hæc omnia exẽplis illustrantur, illorum tractationem sic fusiùs explico.

Exemplorum tractatio.

Exempla propriè sunt dictorum, & factorum, sicuti similia rerum. Ex his alia sunt maiora, alia minora, alia paria, quæ ad quantitatem referuntur: alia similia, alia dissimilia, vel cõtraria, quæ ad qualitatem reuocantur. Genus, modus, tempus, locus, cæteræq; fermè circumstantiæ, cùm de dissimilitudine, & inæqualitate agitur, considerentur.

Exemplorum alia antiqua, alia recentia, alia externa, domestica alia: quædam vera, alia ficta: denique illustria quædam; alia verò ficta & obscura.

Diximus de diuisione similiũ, & exemplorum, nunc de vsu. Primò dignitatis causa ad ornandum adhibentur. Secundò ad aperiendum quæ obscura sunt. Tertiò, vt verisimilis esse res confirmetur. Quartò denique, vt res dilucidè, perspicuèq; per descriptionem exprimantur.

Forma tractandi similis & exẽpli multiplex est. Primò per inductionẽ, cũ plura exẽpla conglobãtur. *M. Tull. Quintilianus, Isocrates, hanc inierunt eloquentiæ viam. Eandem securus aggredere.* Secundò simul assumes exempla bina, quorum alterum alteri contrariũ sit: *Quæ labores suscepit ciuitas gentium victrix,*

victrix, ac domina fuit, secùs multò quæ inertia, socordiaque sepulta: prioris exemplum Roma, posterioris denique Carthago sit. Tertiò, alia rursus via tractabis exemplum, si personam, gentem, nationem, aut authorē, vnde sumitur, laudaueris; dein de exemplum induxeris non sine verborum lumine; postea accommodaueris paritate, vel imparitate declarata. Ad hæc amplificationē adhibueris collatione, & comparatione facta. Denique post acclamationes & sententias per epilogum conficienda conclusio. Quartò, adhibebis exemplum, vel per solam recitationem, & propositionem, nulla subiecta assumptione, aut conclusione: vel alterutra ex ijs declarata, & confirmata, vel tandē vtraque simul & expressa, & per contentionem dilatata. Hæc ad probandum: nunc succedunt quæ ad infirmandum conducunt.

Exemplorum confutatio fiet, primò per locum communē, quo exemplis dicamus non esse credēdum. Secundò, si opposita exempla melioribus infirmentur. Tertiò, si alia alijs opponantur. Quartò, si vt mala refutentur. Quintò, si discrimina inueniantur: atque ijsdem ferè modis tractatas inuenies similitudines.

Cap. VII. de loco à coniunctis ex Hermogene, & Tullio.

SEptimus locus à coniunctis ea complectitur, quæ circa rē, vt accidentia, inueniuntur. Admonet hic locus, qui in libris de Oratore à Tullio omissus est) quid ante rē, quid in re, quid post rem euenerit. Continet autem omnia signa probabilia: quem diligenter tractat Cicero pro Milone; ante rem, ostendit apparatum Clodij, & seruos, & minas: in re, quòd expeditos equites haberet, quòd nulla impedimenta duceret, nec vxoris, nec filiorum: post rem, quòd Milo rectè Romam venisset, & se populo, iudicioq; commisisset. E persona, loco, tēpore, signis, ducūtur argumenta præcipua, quæ à coniunctis desumi consueuerunt.

Hic locus est eorum, quæ proximum, ac finitimum locū tenēt, vt si eorū quodlibet modò extiterit, modò alterū quoq;, vel extitisse, vel extare, vel exciturū esse videatur. Hæc enim sibi quasi vicina sunt: quæ verò in existendo sibi sunt proxima, hæc vel antecedere rem solent, vt studium, & diligentia doctrinam: vel esse simul, vt somnus & obliuio; vel aliud aliud sequitur, vt pœnitentia peccatum: eaque est adiunctorum natura, vt separari quidem posint, tamē sese inuitē mōstrant.

Hic locus coniecturalibus causis est maximè necessarius, de quo multa Aristoteles primo Rhetoricorum ad Theod. cap. 2. in Rhetor. ad Alexandr. cap. de signis, Tullius ad Herennium cap. 2. idē 1. de inuentione, Quintilianus libro 5. cap. 9. & 10.

Silua argumentationum circa coniuncta.

OMnia personarum attributa, de quibus tractatu sequenti dicemus, ad hunc locum reuocantur, vt patria, nomen, educatio, sexus, vitę genus, & similia. Huc etiã pertinent physiognomica, & chiromantica, quæ à corporis & partiũ corporis affectibus sumuntur, vt à capite, fronte, & supercilijs, &c. Huc etiã signa prognostica, ex quibus aliquid futurũ colligimus. Tãdẽ omnia signa, & indicia, ex quibus aliquid factũ fuisse, vel non factum conijcitur. Verùm hæc sequens tractatus clariora dabit.

Coniuncta circa factũ, vel in opere sunt, vel in dicto, vel in cogitatu. Ac primò (ex Tullio mutuatis plerisq; verbis) consideremus, quæ continentia cum facto appellantur, sine quibus negotiũ, & quę sine negotio esse nõ possunt. Hæc ĩtaq; sunt, sũma facti, summa causa facti, & ipsius facti tria tempora.

Sũma facti est parentis occisio, Cluẽtij v.g. deinde causa est, quia inimicus. Iã post causam, facta cõsideranda, quæ per tria tẽpora diuiduntur. Causæ nomine intelligo, (quod alibi dicã) eã, quæ à ratione, vel à perturbatione nascitur.

Secũdò, Ingestione facti de his, quæ factis attributa sunt, quæritur locus, tempus modus, occasio, facultas.

Locus cõsideratur ex opportunitate, quã habuisse videtur ad negotiũ administrandũ ex magnitudine, interuallo, lõginquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, vicinitate regionis. Hæ prætereà colliguntur ex Rhetoricis & Philosophis, loci differentiæ. Primò, ex ipsius natura, & ita alius est locus superior, alius inferior; alius maior, alius minor; alius remotus, alius vicinus. Secundò, ex attributis quibusdã, quæ locis insunt; partim à natura, vt quòd locus sit maritimus, terrestris, mõtanus, planus, occultus, manifestus, saluber, pestilens, sterilis, fœcundus: partim ex hominũ operibus, aut opinionibus, vt quòd sit desertus, publicus, priuatus, sacer, profanus, pudendus, honestus, cultus, & neglectus: & quòd vrbs, prouincia, forum, vicus, templum, domus, vel rus dicatur.

Tertiò, tempus videndum ex his, quę pręterierunt, ex fabulis, historijs, antiquis monumẽtis, vel ijs, quæ nuper gesta sunt. Insuper videatur quę pręsentia sint, & quę consequantur. Prætereà lõginquitas petenda est, quã metiamur cum facto, ex anno, & mense, & die, & nocte, & vigilia, & hora, & aliqua istorũ parte. Itaq; tẽporis differentię, partim à natura & accidẽtibus; partim ab hominũ statu & volũtate sumũtur. Ex natura, vt nũc, tũc, mox, nuper, dudũ, citò, tardè, breui, diu. Ex accidentibus, dies, nox, annus, mensis, hyems, ver, æstas, & autũnus. Ex hominibus, infantia, pueritia, adolescentia, virilis ætas, & senecta. Ad hæc, festum, profestum,

stum, mesis, vindemia, tẽpus belli, pacis, vbertatis, caritatis, opportunum, & importunum.

Quartò, occasio, quæ est pars tẽporis, habens in se alicuius rei idoneã faciẽdi, aut non faciẽdi opportunitatẽ, vel ob aliquid publicum, vt cũ ciuitas vniuersa frequentat ad ludos, vel ob aliquid cõmune, quod omnibus eodẽ tẽpore accidat, vt mesis calor, frigus, vel ob singulare, quod priuatim solet alicui accidere, vt funus, conuiuium, somnus: itaq; triplex est occasio, publica, communis, priuata.

Quintò, modus occurrit, in quo, queãdmodũ, & quo animo factũ sit, quæritur. In hoc duo inspicienda sunt, modus facti, & animus facientis, vt si dicas, *clã*, est mod⁹ facti: verũ in eo est animus faciẽtis latens, insidiosus. Sed in ipso duo rursus debemus inspicere, prudẽtiã, id est, vtrũ aliquid cõsilio fecerit, ex ijs, quæ clã, palã, vi, persuasione tentata: imprudentiã, id est, vtrũ aliquid fecerit animi impulsu, cuius partes sunt ignorantia, casus, necesitas, affectiones animi, hoc est, molestia, iracundia amor, & similia.

Deniq; facultates, quib⁹ facilius aliquid fit, aut sine quibus aliquid confici nõ potest. Huc pertinere possunt locus, tẽpus, & aliæ circũstantiæ: ita Cicero in Rosciana, *Nõ potuit*, inquit, *occidere patrẽ Roscius, quoniã absens fuit*: hic argumentum à loco fecit: deinde ait, *Age nunc videamus cæteras facultates*.

Deinde adiũcta cũ negotio cõsiderentur, in quibus videndũ, quid maius, & quid min⁹, & quod simile erit negotio, de quo agit, & quod ęquè magnũ ex vi, numero, figura negotij. Insuper quod cõtrariũ est, & quod disparatũ, & gen⁹, & euẽt⁹.

Tãdẽ, ex his, quæ negotijs sunt attributa, vltimũ, inquit Tullius, est cõsecutio, qua ea conquirũtur, quę gestũ negotiũ cõsequũtur. Primò, quod factũ est, quo nomine appellari cõueniat. Secũdò, qui sint eius facti Principes, & inuentores, qui cõprobatores, & æmuli. Tertiò, & quæ eius rei sit lex, cõsuetudo, actio, iudiciũ; scientia, artificiũ. Quartò, an eius natura euenire vulgò soleat, an insolẽter, ac raro. Quintò, an id homines sua authoritate cõprobare, vel defendere cõsueuerint, & cætera, quę factũ aliquod cõfestim, vel ex interuallo solẽt cõsequi. Sextò attẽdẽdũ est, quę res ex ijs, quę sunt positæ in partibus vtilitatis, aut honestatis, cõsequãtur. Id nosces ex tractatu de genere deliberatiuo.

Cap. VIII. de antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus.

NOnus locus ab antecedentibus est, cũ ijs positis aliud necessariũ sequitur, licèt illud, quod antecedit, sit minus, atq; posterius, siue simul sit, siue ante: sic Cicero in partitionibus, & lib. 2. de Oratore, Quintil. li. 5. & Arist. 2. Topi.

Locus à cõsequentibus est, vt cũ fuerint antecedentia posita consequantur, siue priora, siue posterio-

ra sint; siue simul, dummodò indissolubili nexu cõnexa sint inter se.

Succedit deinde locus à repugnantibus. Repugnantia verò sunt, quæ contraria consequuntur, si cõtrarijs comparentur. Sed accuratè si quis consideret, hi tres loci sunt vnus in tria membra diuisus, vt Agricola voluit, cuius tamen rationes dissimulo; nec enim omnia, vel persequi, vel confirmare, vel testimonijs onusta proponere, extra compendij limites decreui.

Cap. IX. De causis, & effectis.

CAausa vniuersè sumpta, est cuius vi efficitur aliquid, cuius quatuor sunt genera, materia, forma, finis, & efficiens; ex quarũ cognitione, perfecta cuiuscunquę rei habetur scientia.

Materia propriè dicitur id, ex quo aliquid fit; qua ratione, & elementa, materia mixtorum, & ligna, materia domus dicuntur.

Deinde materia per catachresim id dicitur, quod in aliqua scientia, aut arte tractatur, quomodò Rhetoricæ materia censentur res omnes illi subiectę. Tertiò, materię nomine designatur id, in quod, vel circa quod, ars versatur formam inducendo: sic lapis sculptoris materia nominatur. Quartò, materia dicitur quæcunq; res, cui aliqua forma siue actus inhæret, ac propriè subiectum appellatur, qualis est humana mens erga virtutes. Accedunt aliæ eiusdem materiæ diuisiones: altera enim naturalis est, ex qua natura sua conficit opera; sic nubes materia sunt pluuiæ; altera artificiosa, quam vel natura arti, vel vna ars alteri subministrat; sic aurum materia est coronæ. Rursus, altera permanens est materia, quę in re effecta immota perseuerat, vt argentum, vasis est materia: alia mutabilis, & quæ in re non manet effecta; quomodò farina est materia panis. Pręterea, alia est proxima materia, ex qua res proximè conficitur; vt lignum dolatum, ex quo fit scamnum: altera remota, quæ ab artifice supponitur; vt ligna in syluis, ex quibus possit fieri scamnum.

Forma est vltima rei perfectio, quæ vnà cum materia rem totam absoluit, cõseruat, & ab alijs distinguit, ac separat. Hac causa animus humanus, hominis forma dicitur. Omitto formam pro figura, & accidenti quolibet à Philosophis desumi, cùm parum vsurpatio ista Rhetoricis conducat. Libet autem diuisiones formæ percurrere: aliæ essentiales sunt, quæ rem in certa specie constituunt, in his numero attributa intrinseca, à genere, & specie desumpta: aliæ sunt accidentales, in quibus & naturales, & artificiosæ cõtinentur; illæ etiam quæ à voluntate humana dependent.

Hùc spectant adiacentia, quæ sic distribuo: alia sensu percipiuntur, vt candor: alia sola cogitatione comprehenduntur, vt bonitas: alia à natura inseruntur, vt calor in igne: alia aduentitia sunt, vt idẽ

calor

calor in aqua; quorum alia non facilè remouentur à subiecto, cuiusmodi sunt habitus: alia verò facilè, vt rubor ex pudore natus. Methodum argumentandi ex his locis habebis in exercitamentis, & præcepta, quæ transgredi non liceat. Exemplar, & imaginem ad causam istam formalem reuoca, vel ad materiam.

Locus ab efficiente latissimè tractatur à Titelmanno lib. 5. Dialect. cap. 11. & huius vsum docet cap. 12. cum exemplis Scripturę, Iurisprudentiæ, & Poetarum cap. 11. Multa etiam habet Quintilianus lib. 5. cap. 10. Tullius in Topicis de efficientibus tantùm causis agit, vt author est Bohetius, quidquid reclamet Agricola: & eisdem fermè Ciceronis verbis causas istas tractabimus, dissimulantes nonnullas formas loquendi, quas ægrè patientur Philosophi.

Causarum plura sunt genera: aliæ sua vi efficiunt, vt ignis accendit: aliæ, etsi vim efficiendi non habent, sine illis quidquam effici nõ potest, vt locus, tempus, materia, ferramenta; & eæ, vel sunt quietæ, nihil agentes, vel præcursionẽ quandam adhibent ad efficiendũ, adiuuantes per se, vt *amori loquela causam attulit.*

Ex his verò causis, quæ ex sua vi efficiunt; aliæ nulla re adiuuantur, aliæ adiuuari cupiunt, vt sapientia efficit sapientes sola per se, beatos non efficit: at cùm in disputationem inciderit causa efficiens aliquid necessariò, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa concludere. Si in causa non est efficiendi necessitas, necessaria conclusio non sequitur, & solet sæpe conturbare. Non enim si sine parentibus filij esse nõ possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria.

In causis etiam est dissimilitudo: aliæ sine appetitione animi, sine voluntate, sine opinione suum opus efficiunt: aliæ, aut voluntate, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Quæ diuisio non tàm est secundùm efficaciam, quàm secundùm modum efficiendi.

Aliam rursus adducit Tullius causarum diuisionem: nam aliæ (inquit) constantes sunt, vt in natura & arte, quibus iungere potuisset habitus, in cæteris nulla est cõstantia.

Sed harum causarum, quæ inconstantes sunt: aliæ perspicuæ, quæ appetitionem animi, iudiciũque tangunt: aliæ latent ex casu, vel fortuna. Insuper quæ fiunt, partim ignorata, partim sunt voluntaria. Denique instrumenta, partes causæ, & adiumenta considerentur. Hæc vt intelligas, Tullij fermè verbis explicata, quę ad efficientem causam pertinẽt, alijs diuisionibus attingo. Causa efficiens, alia est naturalis, alia artificiosa. Secundò, alia per se agit, nullo egens extrinseco auxilio; alia nequit sine concausa effectũ producere.

ducere. Tertiò, alia est causa efficiens, constans, & stabilis, semper vi sua propositum finē attingens, & effectum producens, vt sol lucis est principium; alia interdum à fine aberrat, vt sunt omnes causæ, quæ ab alijs impediri, & contingēter agunt. Quartò, alia producit effectum, qui non possit ab altera fieri causa, vt sol diem: alia, quæ sufficiens est ad producendum effectum, ita tamen vt ab alia fieri contingat, quomodo cicutę potus est causa mortis. Quintò, alia effectū producit, & conseruat; alia verò producit, sed nō conseruat. Sextò, alia necessariò ob naturæ suæ conditionē operatur, vel ad quoduis extrinseca impellat: alia, nec naturæ impulsu, nec extrinseca violentia operatur. Septimò, alia ex cognitione agit, vt animalia; alia sine vlla cognitione, vt quæ sensu carent. Octauò, alia ex deliberatione & consilio operatur, vt rationalis natura; alia sine deliberatione vlla, vt bruta. Nonò, alia est causa per se sua vi aliquo modo attingēs effectum; alia per accidens, quæ cōiuncta causæ operāti eam nihil iuuat, vt musica cum arte medica. Decimò, alia est causa efficiens actu; alia potēs efficere, nec efficiēs. Vndecimò, alia est causa proxima; alia remota effectus. Duodecimò, alia est causa sufficiens, & idonea ad producendum effectum; alia verò non idonea.

Finis, vt ab eius definitione exordiamur, est id, quod rei vsus spectat, bonū nimirūquoddā à natura, vel ratione propositū, à quo efficiens causa ad agēdū mouetur. Boni rationes & differentias tractatus secundus, & tertius ministrabunt. Nunc finem distribuo, & in eum, qui summus est, atque vltimus, vt is, vnde cuiusque rei perfectus status proximè pendet, sic finis hominis beata vita, & studiorum eruditio: alter finis est destinatus, hoc est, non vltimus, sed aliò relatus, qui ad supremum consequēdum idoneus sit, vt cibus, & opes ad vitam tuendam referuntur.

Secundò, alius est finis per se expetendus, & nullo modo propter aliud; alius, qui solùm expetitur propter aliud. Tertiò, finium alius est operis, in quem opus sua natura refertur, vt belli pax: alius agētis, quem sibi qui agit proponit, vt belli vita voluptuosa. Quartò, alius finis est integer, qui solus vrgeat, & impellat; alius partialis, id est, integri finis pars. Hæ nunc finis diuisiones sufficiant. Quę ad argumentandi rationem, atque vsum spectant, documenta habes in exercitamentis.

Effectuum definitio, & diuisio ex causarum definitione & diuisione cognoscuntur. Quot enim sunt causarum genera, & singularum causarum modi, totidem erunt effectorum.

Hi sunt præcipui modi quos ad rectè argumentandum, aut laudādum, exornandumque cognitos habere oportet.

Cap.

Cap. X. de comparatione.

COmparationis locus est, cùm maiora ex minoribus, vel minora ex maioribus, vel paria ex paribus colliguntur. Maius est id, quod est magis credibile. Minus, quod minùs credibile: par verò, quod æquale habet assensionis rationē. Disputarūt de hac re Arist. in Topicis, & Marcus Tullius, sed paucis ad Trebatium.

Cicero in his quatuor dixit spectari comparata, numero, specie, vi, & affectione. Illius locos percurro, simul & explico.

Numero cōparantur primò plura bona paucioribus, & illa præponuntur. Secundò, pauciora mala pluribus anteponūtur. Tertiò, diuturniora bona breuioribus anteferenda sunt: qua ratione M. Tull. res vrbanas bellicis prætulit lib. 1. de Officijs. Quartò, longè, latèque peruagata bona, & quæ in plura sese diffundunt, angustis anteponentur, sic in Lælio iustitia fortitudini præfertur.

Sub cōparatione ab specie, quæ comparantur bonorū genera, has Cicero posuit partes. Primò, quæ propter se expetuntur, anteponēda sunt ijs, quæ propter aliud, vt bona, quæ sunt honesta vtilibus. Secūdò, innata, atq; insita assumptis, & aduentitijs, quomodò melius erit sua, quā suorū virtute splendere: & innatus color, quā fucis quæsitus. Tertiò, integra contaminatis, seu perfecta imperfectis, cùm sub eodem genere continetur; vnde oculi integri corruptis præferuntur. Quarto, iucunda minùs iucundis, si cetera sint paria. Quinto, honesta vtilibus, idque omniū sententia, cùm in honesto omnis boni ratio contineatur. Sextò, procliuia laboriosis præponderant, vt virtutes acquirere, quod in nostra situm est potestate, satius erit, quā honores sequi. Septimò, necessaria meliora sunt ijs, quæ non iudicantur necessaria: sed non ideò quæ magis sunt necessaria, meliora censentur; edere necessarium magis est, quàm contemplari, non tamen melius. Nec etiam non necessaria, eo ipso quòd meliora erunt, anteponenda sunt necessarijs. Octauò, sua alienis, id est, communibus præcedunt. Nonò, rara vulgaribus, quoad possessionem, & pretium insigniora sunt, licèt quoad vsum vulgaria raris anteponantur. Decimò, perfecta inchoatis potiora sunt in eodē genere. Vndecimò, tota partibus intra idem genus præferuntur. Duodecimò, ratione vtentia, quantum ad rei dignitatem, præponuntur rationis expertibus, sic seruus, qui minoris venditur, quàm fundus, præcellit. Decimotertiò, animata inanimatis cum eadem obseruatione antepones. Decimoquartò, volūtarium non voluntario, si vtrumque ad animum referatur, melius erit. Decimoquintò, naturalia, id est, quæ lege natura constant,

potiora

potiora sunt ijs,quæ humana voluntate fiunt. Decimosextò,artificiosa non artificiosis meliora sunt, vt eloquentia, quæ illustratur arte,melior est ea,quę arte destituitur.

Quæ vi & efficacia conferuntur,sic comparantur.Primò,efficiens causa grauior est,quàm quæ non efficit,idque est in bonis. Cōtrà in malis,quod est malorum efficiens,peius est eo, quod nullius est mali,vel saltem minoris detrimenti causa.Secundò:quæ per se efficit causa potior est,quàm quæ fortuitò.Tertiò: quæ se ipsis contenta sunt,meliora sunt, quā quæ egent alijs, quomodo Cicero sapientiā eloquentiæ prætulit.Quartò: quæ in nostra sunt potestate, ijs quæ in aliena sunt,anteponuntur,vt bona animi bonis fortunæ. Quintò:Stabilia incertis. Sextò: quæ eripi non possunt ijs, quę facilè eripiuntur,vt virtus diuitijs.

Quæ comparantur ex eo,quòd ad res aliquas spectatur affectio, sic diuidit Cicero. Primò, præcipui subiecti cōmoda maiora sunt, id est,quæ in meliori insunt, quo ordine bona animi bonis corporis præferuntur. Secundò:quę pluribus probata. Tertiò:quæ ab optimo quoque laudata. Quartò: quæ perfectiori rei assimilantur. Hi sunt comparationis loci Marci Tullij à nobis breuiter declarati. Sed multò plures numerauit Arist. quorum nonnullos recensebimus, adiunctis exemplis,quibus declarentur,sic vbi opus fuerit.

A definitione. Primò,quod magis suscipit rei definitionem, magis est tale:sic,*Qui magis suscipit rationem sapientiæ,magis est sapiens.* Secūdò:quod rei magis est propriū, id ei est melius, vt homini *cum ratione viuere,quàm voluptates capere.* Tertiò: quod proprium est meliori rei,melius est eo, quod est proprium deteriori. Quartò: Si duo in eadem specie contineantur, illud melius est, quod eius speciei habet proprietatem:ideò *cùm sitis sit appetitus humidi & frigidi,melior est potus frigidus,quàm calidus.*

A loco totius; quod vniuersè bonum est, vt valere melius est, quàm si alicui solum bonum sit, vt curari,& sanari. Secundò, plura bona anteponuntur paucioribus, si hæc in illis continentur. Tertiò:quod semper aut plurimū est,melius est eo, quod est aliquando,sic, *Supra musicam est sapientia.* Quarto:quod omnibus, vel pluribus vtilius est,melius iudicatur, quomodo, *Pecunia melior est vestibus.*

A loco causę materialis. Primò, quod versatur in præstantiore,aut certiore materia, illud est cæteris præstantius. Secundò: quod inest rei meliori, melius est, si propriū est ei,cui inest. Tertiò:quod prioribus inest,melius esse contingit, quàm quod posterioribus;sic,*Valetudo melior est,quàm color.*

A loco causæ formalis. Primò: quod

quod per se expetitur optabilius est, quã si propter aliud expetatur. Secundò, & quod per se desideratur, quã quod ex accidenti. Tertiò, & quod natura bonũ, quã quod nõ natura, vt, *Iustitia, quàm iustus*. Quartò, & quæ propter se sunt in maiori honore, magisque laudãtur, quã quæ propter aliud, vt, *Beata vita, quã virtus*. Quintò, quod magis propter se expetitur, quã quod ad alterius cõmendationem; ideó studia voluptatibus præstant. Sextò, quod additum rei, eam magis reddit expetibilem, melius est eo, quod non ita reddit expetibilem.

A loco efficiẽtis. Primò, quod est causa per se boni, præstat ei, quod est causaper accidens, atque idem iudicium sic circa malũ. Secundò, quod si omnes causæ haberent, non egerent altero: & quo nõ obtento altero indigent, melius est. *Quare fœlicitas summa voluptatibus est melior*. Tertiò, quod efficit id, in quo est bonum, est melius, quàm id, quod non efficit, vt, *Virtus, quã diuitiæ*. Quartò, id, cuius quisque magis optat se esse causam, quàm alium, præstantius est eo, cui hæc non accessit gratia. Quintò, id melius est, quo melior res comparatur.

A loco finis. Primò, finis magis est expetendus, quàm media ad finem. Secundò, eorũ, quæ ad finẽ conducunt, id melius est, quod propiùs accedit ad finem, vt, *Vuas colligere, quàm vites putare*. Tertiò, & quod ad finem vitæ spectat, quàm quod ad aliud aliquid, *Quale est opulentum domiciliũ*. Quartò, e duobus efficientibus illud præstantius est, cuius finis est melior.

A loco effectorũ. Primò, quod facilius fit, eligibilius est, quàm quod difficilius. Secundò, quæ difficiliùs conquisita sunt, & cum maiori labore, cariora sunt. Tertiò, quorum ortus magis optandi, & interitus magis fugiendi, ea magis expetenda.

A loco consequentiũ. Primò, cuius consequens est maius bonum, aut minus malum, potiùs eligendum est. Secundò, & id, quod magis insigne, quàm quod minus. Tertiò, & id, in quo excellere præstantius est, quàm id, in quo non est ita laudabile.

A loco circumstantiarum. Primò, quod diuturnius, id præstantius est cæteris paribus. Secundò, & quæ maiorem voluptatẽ, & indolentiã cõiunctã habẽt. Tertiò, & quod sine alijs meritò expeti potest, anteponitur ei, quod sine alio expeti non debet, vt prudentia potestati. Quartò, bona, quorũ defectione magis laudamus eũ, qui veretur abesse, aut increpamus eum, qui illis carere non grauatur, sunt præstantiora, vt, *Virtutes, quàm doctrina*.

A loco similiũ. Primò, quod est rei bonæ, vel meliori propinquius, aut similius, id melius est. Secundò, quod præstantius est

in vno genere, & vincit illud, quod in alio genere eſt optimũ, præſtantius erit illo. Tertiò, ſi abſolutũ prædicatum conſequatur abſolutum ſubiectum, quò magis creſcit prędicatum, eò magis creſcit ſubiectum, vt, *Si honeſtũ eſt per ſe bonum, honeſtius erit melius bonũ.* Id intelligendum eſt de prædicatis, quæ per ſe conueniunt ſubiectis.

In loco à contrarijs, & repugnantibus, & coniugatis, facilè fiẽt comparationes ſimiles. Denique ex loco authoritatis ſic conferes rem cum re: *Melius eſt, quod potiùs eligit vir prudens, aut vir bonus, aut recta lex, aut qui in aliqua re excellit, aut quod melior diſciplina proponit.* His explicare licet alia quæſtionum genera de maiore, longiore, breuiore, digniore, honeſtiore bono, alijſq; compluribus.

Cap. XI. de locis à teſtimonio deſumptis, ex Tull. lib. Top.

OMnis argumentatio, quę dicitur artis expers, in teſtimonio poſita eſt. Teſtimoniũ autẽ nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externa ſumitur, ad faciendã fidẽ. Perſona nõ qualiſcũq; teſtimonij põdus habet; authoritas enim requiſita eſt, ſed hanc natura, aut tẽpus affert. Naturæ authoritas in virtute ineſt, quàm maximè. In tempore autẽ multa ſunt, quæ authoritatẽ afferant: ac cedunt ingeniũ, opes, ætas, fortuna, ars, vſus, neceſsitas, concurſio etiam nonnunquã rerum fortuitarũ; nam & ingenioſos, & opulentos, & ætatis ſpatio probatos, dignos quibus credatur, putant. Neceſsitas vi & tormẽtis facit authoritatẽ, & fidem; & quæ à perturbationibus animi ſunt, dolore, cupiditate, iracũdia, metu. Huius etiam generis pueritia eſt, ſomnus, imprudentia, vinolentia, inſania, per quæ ſæpe multa patefacta ſunt. Id etiam ſpectat fama vulgi, quod eſt multitudinis teſtimonium.

Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipartita ſunt, ex quibus alterum natura valet, alterum induſtria. Dei virtus natura excellit, & hominum induſtria. Diuina hæc ſunt; oracula, in quibus Dei ſermo; res, in quibus inſunt opera diuina, vt mundus, ordo, ardores, portenta, accedunt ſomnia. In homine virtutis opinio valet multum, atque ingenium, ſtudium, doctrina, dignitas. Huc attinent Theologi, Philoſophi, Poetæ, Oratores ſuis dictis, atque ſententijs.

Cap. XII. de decem argumentorum capitibus,

AD decem prædicamenta rerũ reuocari omnia argumẽta poſſunt, cũ in eis omnes rerum naturę partes, cauſæ, proprietates, attributaq; contineantur. Primò

mò à ſubſtantia rei, quam Cicero naturam vocat. Hanc diuidendo cognoſces: nam vel infinita eſt, vel creata, vt aliæ prȩter Deum. Deinde creata, vel incorporea eſt, vt ſunt intelligentiæ, & humanus anim⁹; vel corporata, ſub qua reliqua omnia continentur. Hȩc ſi ſimplex eſt; vel ab omni corruptione aliena, vt cœleſtes orbes; vel mutationi obnoxia, vt quatuor elementa. Si cōcreta eſt; vel anima caret, vt ferrum; vel anima vtitur, quæ ſit ſenſus expers, vt herba; aut ſit ſenſu prȩdita, vtquȩ ſentiendi habent facultatem. Rurſus quæ ſentiunt; vel ratione carent, vt bruta; vel ratione prædita ſunt, vt homo. Lege Quintilianum lib. 3. cap. 6. Ex hac categoria generis, & definitionis quæſtiones eliciuntur.

Secundò à quantitate non leuia deduces argumenta. Eam in gratiam Rhetorū, ne Philoſophi audiant, ſic definies: Eſt natura, ſiue res, quæ molem & partes habet. Huius naturæ duo ſunt genera; alia continuata, cuius vnitæ partes in aliquo: deiuncta altera, ſeu diſcreta, cuius partes nullo communi termino vinciuntur, vt cuiuſcumque numeri partes. Incontinuata, quod longum eſt, & quod latum, & quod profundum conſidera. Quid in ipſius tempore præſens, præteritum, & futurum, quȩ in eius loco ſint ſpatia indiſcreta. Numerū deinde animaduertes, ac pro ipſius conſideratione videbis, an ſimplex ſit, vt quinque; an collatus, vt duplus, triplus; an figuratus, vt tetragonus. Quatuor illȩ quȩſtiones generis, definitionis, proprij, & accidentis, circa iſtam naturam ventilandæ erunt. Hic præterea multum, paucum, magnum, paruum, quod ſatis eſt, & mediocre, comprehenduntur.

Tertiò à relatione, ſuæ etiam rationes deducuntur. Ea nihil aliud eſt, quàm mutua duarum rerum inter ſe affectio. Per hanc naturam referuntur, tùm ſubſtantiȩ inter ſe, tùm accidentia. Subſtantia ad aliam refertur per omnia accidentia: quantitate, primum & ſecundum: par, & impar: æquale, & inȩquale, aliquid dicitur. Qualitate, ſimile & diſsimile. Actione, & perpeſsione, pater & filius, Creator, & creatura, emptor & venditor. Loco, inferior & ſuperior, vicinus & remotus. Tempore, coæuus, ſeu æqualis. Situ, pronus, ſupinus, ſtans, ſedens. Habitu, diues & pauper, continens, ſeu contentum. Similiter ſingula prȩdicamenta inter ſe conferuntur, vt in qualitatibus candor cum candore, virtus cum virtute, &c. Quæſtionum exempla ex hoc prædicamento ſunt, vel generis, an ſit duplum, vel triplum; vel definitionis, vel proprij, vel accidentis, quorum exempla facilè ipſe finges.

Quartò à qualitate, cuius plures species. In ea habitus animi recensentur, vt scientia corporis, vt ars gladiotoria: hos habitus suo loco clariùs enumerabimus. Deinde vis, & naturalis facultas qualitas est, qua aliquis natura perspicax est, docilis, & ad palæstram, vel actionem aliam idoneus. Huic opponitur naturalis imbecillitas. Vis ista naturalis, partim in rebus est anima carentibus; partim in his, quæ anima vtuntur, & hæc vel in corpore, vt valetudo; aut in anima, vel vegetante, vt vis nutriendi; aut in anima sentiente, vt sunt quinque sensus exteriores, & alij interiores, sensus communis, phantasia, & memoria. Ad hæc in sentienti anima considerabitur vis mouendi se, & appetendi, vel fugiendo, vel prosequendo. Patibilis qualitas est ea, quæ aut sensum mouet, vt sunt colores, sapores, odores, & quæ tactu percipiuntur qualitates, aut quæ ortum habet ab aliquo motu, seu affectu, vt color diuturnus in corpore, & amentia in animo. Pasſio est quædam fluens, & breui transiens qualitas, quæ aut sensum mouet, aut ex motu nascitur, vt rubor ex verecundia contractus, pallor ex metu Figura est modus quantitatis simpliciter consideratæ, vel qualitas quædam vna, aut multis lineis comprehensa, vt figura circuli & quadrati. Forma verò, vt hoc loco sumitur, est quædam compositio & concinnitas, quæ ex apta membrorum compositione in animalibus, & in mutis rebus ex partiũ recta collocatione consurgit, qua res pulchræ & formosæ dicũtur. Huic leuia, aspera, tenuia, & crassa, ac denique obliquitas, & rectitudo referuntur. Quæstionum exempla sunt ex hoc prædicamẽto. Primò, circa genus; sintne virtutes scientiæ? vt Stoici volebant. Secundò, circa definitionẽ; sitne virtus bona animi qualitas? Tertiò, proprij. Quartò, accidentis.

Quintò, ab actione est operatio & motus, vt ab agente proficiscitur: quæ diuiditur in eã, quæ transit in effecta, vt ædificare, & in eam, quæ manet in re agente, vt saltare. Prætereà sunt actiones à natura, & necessariæ, aliæ ab humana voluntate liberè trahente se. Actiones necessariæ; aliæ sunt circa substantiam; aliæ circa quantitatem; aliæ circa qualitatem; aliæ citra locum, vt natare. Humanarum actionum aliæ ex deliberata ratione proficiscuntur; aliæ verò non ita.

Sextò à pasſione, quæ est patientis actus, actionisve susceptio, vt generari. Hęc categoria eodem diuiditur modo, ac categoria actionis, & vtraque quatuor illa quæstionum genera suscipit, generis, definitionis, proprij, & accidentis.

Septi-

Septimò à loco. Ad hanc categoriam pertinent modi, quibus res se habent ad locum, vt, *Vnde, quo, qua*, huius generis partes, *Supra, infra, ante, retrò, ad dextrã, & ad sinistram.* Prætereà locus alius communis; vt vrbs, alius proprius, vt cubiculum. Quæstionum genera quatuor, generis, definitionis, proprij, & accidentis, tractari poterunt circa locum.

Octauò à tempore, in quo, & quandiu, & instans, & præteritum, & præsens inquiritur. Annus, mensis, hebdomada, dies, & hora huc spectant, & in alia mẽbra diuiduntur, vt annus in ver, æstatem, autumnum, & hyemẽ; dies in naturalem, ciuilem, festum, & profestum, & sic de alijs.

Nonò à situ, de quo libro 3. Quintilianus ait, quodam modo compositum esse, ita vt nihil agatur, seu patiatur, vt sedere, stare, cubare, pronum & supinum esse. Consideretur in situ, an naturalis, voluntarius, vel artificialis.

Decimò ab habitu, seu in habitu, atque in tegumento, seu in dominio, & possessione, vt habere aurum. Hic considerantur quæcumque capiunt, & continent, & sunt plena.

Obseruandum denique censeo, alias locorum enumerationes fuisse ab alijs inuentas: nos ipsis repugnare non libet. Agricola hanc diuisionem amplexus, vt primò statueret in substantia rei definitionem. Secũdò, genus. Tertiò, speciẽ. Quartò, propriũ. Quintò, totũ. Sextò, partes. Septimò coniugata. Octauò, circa substantiam rei, adiacentia, actus, & subiecta. Nonò, cognata, quorum alia sunt causa, vt efficiens, & finis: alia euenta, quæ fiunt per causas, vt effecta, & destinata. Decimò, applicita rei, vt locus, tempus, connexa, contingentia. Vndecimò, accidentia, vt pronuntiata, nomen rei, cõparata, similia, & dissimilia. Duodecimò, repugnãtia, vt opposita, & differentia.

Themistius, & Bohetius, quos sequuti Dialectici, nonnihil immutarunt in hãc formam. Primò à definitione: secundò à descriptione: tertiò ab interpretatione: quartò à toto integrali, vel vniuersali, vel in quantitate, vel in modo, vel in tẽpore, vel in loco. Quintò à causa & effectu, vel efficiente, vel materiali, vel formali, vel finali. Sextò à generatione & corruptione, & à cõmuniter accidentibus. Septimò, ab oppositis relatiuè, priuatiuè, contrariè, contradictoriè. Octauò à dispara tis. Nonò à maiori, vel minori. Decimò à simili, vel dissimili. Vndecimò à proportione, seu disproportione. Duodecimò à transumptione. Decimotertiò ab authoritate. Decimoquartò à cõiugatis. Decimoquintò à casibus. Decimosextò à diuisione Has quidẽ probamus diuisiones, & commenda

mus Dialecticis, nos cum Tullio : liam explanauimus, ad cuius mē bra, quæ in alijs sunt dispersa, reducuntur.

Cap. XIII. de circumstantijs generalibus.

CIrcūstātia nihil aliud est, quā rei accidens, non itaq; sunt circūstantiæ, ipsa vel persona, locus, vel tēpus, sed aliquid adiunctum, vt persona sacra, locus frequens, tēpus importunū. Circumstantię, vt quibusdam placet, sunt numero octo, quæ in hoc versiculo cōprehendūtur, *Quis, quid, vbi, per quæ, quoties, cur, quomodo, quādo.* *Quis* assignat adiunctum personæ, siue rei agentis, vt amicus, sacerdos. *Quid* rei actæ circumstantiam demonstrat, vt butyrum in phiala Principum. *Vbi* denotat loci circumstantiam. *Per quæ* designat, quibus auxilijs, qua facultate, & quibus instrumentis res facta. *Quoties* numeri & quātitatis circumstantiam ostendit. *Cur* causam finalem demonstrat. *Quomodo* circumstantiam modi. *Quando* adiunctum temporis, an festiuum, necne?

Sunt qui aliter exponant harum circumstantiarū doctrinam, sed pro Rhetoricis hæc sufficiūt; & nihil ab alijs dicitur, quod non in his circumstantijs octo cōprehendatur. Aristotelis circumstantias aliter quidam Theologi intellexerunt. Fruātur suo iudicio.

Cap. XIIII. de locorum vsu.

QVamuis in singulis locis aliquid de ipsorū vsu dixerimus, vt qua forma ad praxim referantur, cognosci possit; nonnulla adhuc addenda existimaui.

Primus modus fit ab accurata consideratione vocum, sic rem quamuis, aut quæstionem per singulos locos seorsim tractare possumus: vt gratia exempli, Si proponeretur simplex quæstio de fortitudine, quā explicare velles per eius definitionē, ex illius partibus latissimus pateret ad dicendum campus. Consideratis singulis vocibus per nouas definitiones, descriptiones, & amplificationes. Deinde sumes locū ab specie & forma, & quanta sit huius virtutis dignitas, ex illius speciebus ostendes, quæ sunt, magnificentia, fidentia, patientia, perseuerātia; ex quarū magnitudine, quanta sit fortitudinis virtus, cognosces. Tertiò, ex effectis fortitudinem edisseres.

Secundus modus fit, cū res, de qua disputandum est, per diuisionem, & partitionem tractatur, diuidendo eam per species, per partes, per subiecta, in quibus reperitur, & per accidentia.

Tertius modus per attributa, seu circūstātias excurrit, vt siquis in Baptistæ morte perpenderet; quis pateretur, quid pateretur, cur, quomodo, quando, vbi, à quibus, quot tormentorum genera, quibusq; in partibus.

Quartus modus, si decem percurramus prædicamenta, demonstrando rei naturam, quantitatē, qualitatem, & reliqua, quæ diximus capite duodecimo.

Sextus modus humanis solū actionibus tractandis adhibetur. Si quis eas ad virtutem, aut vitiū aliquod reuocet, singula percurrens, quæ in vitio, aut virtute cō siderari solent, eaque traduntur succedenti tractatu.

Septimus modus fit, si de re proposita omnia quæstionum genera euoluantur. Primò, quid rei nomen significet. Secūdò, an sit. Tertiò, quid sit. Quartò, quæ habeat accidentia. Quintò, quas causas. Sextò, quos effectus, officiū, & finem. Septimò, quot partes. Octauò, quæ affinia, similia, contraria, & pugnantia.

Octauus modus est, cū vniuersa, quæ in alijs septem modis attigimus circa rem vnam, vel quæstionem tractamus. Vt si quæratur, an Herodes rectè tradiderit caput Ioannis Baptistæ, puellæ saltanti. Hic singula verba animaduertes. Secundò, quę in verbis continentur. In voce, *Herodes*, attributa considera, regiā dignitatem, libidinem, intemperantiam, &c. In voce, *Ioannes Baptista*, qui ortus, quæ sanctitas, quæ integritas, examinetur. In voce, *puella*, quæ libertas, inuerecundia, ira, rabies. In verbo, *Tradendi*, circumstantiæ quomodo, quo tempore, quo loco. Hinc variæ quæstiones exoriuntur. Prima est, an Herodes caput tradiderit Ioannis? Secunda, an puellę tradiderit? Tertia, an rectè tradiderit? Cæteræ quæstiones sunt latentes, vt, An Rex intemperans egregiæ sanctitatis virum, iratæ puellæ rectè tradiderit.

Cap. XV. *Vbi nonnullæ admonitiones pro locorum vsu.*

QVi in dicendo, aut differendo excellere cupit, singulorū locorum vim, atque naturam, & diuersas argumentandi rationes optimè percipiat.

Deinde more dialectico singulorū locorum argumentandi modos, varijs exemplis breuiter exprimat. Qua in re, si quis strenuè sese exerceat, fructum capiet, eūque maximum.

Tertiò, cognitis, atque tractatis in hunc modum locis, eandem quęstionem per omnes, aut plures locos deducat, ac dilatet.

Quartò, argumentum strictim confectum, copiosè, & ornatè, oratorio modo tractabit.

Quintò, animaduertet, quænā sit illa quæstio, quā suscepit, simplex: qua de re aliqua simpliciter interrogamus, vt, *Suntne Angeli dæmones?* an coniuncta, quæ multa de multis interrogat, per coniunctionem aliquam, vt, *An verū sit sole nascente diem exoriri, & fugari tenebras?* Præterea, sitne quæstio naturę, quæ difficilior:

an accidentis, quæ faciliùs per omnes locos deducitur. Deinde, an cognitionis sit quæstio, vel actionis. Tandē in quo genere versetur, aut laudationis, aut deliberationis, aut iudicij? Nec enim ijdē loci ad eandē quęstionē cōferūt.

Sextò, spectentur diligenter partes quæstionis, subiectū scilicet, & attributū, quorum cognitione locos vtiles amplectetur, repellet inutiles, & infœcundos; nec enim in vniuersis locis latēt argumenta, quæ confirment, etsi nulla quæstio sit, in quam plura non incidant.

Septimò, præter hos communes Oratorum, & Dialecticorum locos, cognitos etiā habeat Orator proprios bonarū artiū. Neq; enim loci cōmunes ex se in vllo rerum genere hominē faciūt peritū, sed inueniendi argumenti rationē docent. Hanc notitiā is sibi parabit, qui bonis artibus operā dabit, qui Autorum sententias, pronuntiata, definitiones, similia, dissimilia, & denique omnia pręclara dicta, ad demostrandum, & amplificandum exceperit.

Octauò, in bonis authoribus legendis, nullam sententiā prætereat, in qua argumentū delitescat, & quinā locus sit & quo pacto adhibitus, & ad quæstionē probandam accōmodatus fuerit, percipiat. Vbi locū inuenerit, vniuersam sententiā, ad aliquā argumentandi formam paucis verbis, more Dialectico reuocet.

Cap. XVI. de quæstionum inuentione, & eorū, quæ lectione, & commentatione obseruanda sunt.

QVi Oratoris partes suscipit, aliquam certā quæstionem sibi proponet, ne ignorata causa, atq; materia, in incerto versetur argumentū. Hæc quò liberiùs faciat, & expeditiùs, quò facilior sit via inueniendi, de quæstionū varietate tractabimus, subiectis diuisionibus, & partitionibus Dialectico compēdio & stylo. Est autem quæstio, *Cùm interrogatione elata vox dubiam ostendens veritatē.* Hanc sic diuido.

Primò, quæstionū, quæ in oratione veniunt, aliæ sunt cognitionis, quarum finis est sola veritatis notitia, vt, *An cœli sentiant vetustatē.* Hìc nihil est quod facias, imò nec quod possis circa rem ipsam, quæ disputatione vētilatur. Aliæ sunt actionis, quæ ad agendum, vel non agendum instituuntur, vt, *An ad iustitiam, ac misera-tionem teneamur?*

Secundò, aliæ quæstiones infinitæ sunt, quibus personarū, locorū, & tēporū remotis circūstātijs, vniuersè rem aliquāperquirimus, vt, *Præstetne castè viuere, quā matrimonio iungi?* Aliæ finitæ, quę adcertas personas, tempora, & loca cōtrahuntur, vt, *An diuæ Cæciliæ præstiterit Christum sequi, quā matrimonio copulari?*

Tertiò, quæstionū alia absoluta, cūde re seorsum quęrimus, vt,

Sit

ſit ne virtus verecundia? Alia comparata, quando rem rei, aut perſonam perſonæ cõparamus, *Vter maior orator Cicero an Demoſthenes?*

Quartò, alia quæſtio ſimplex eſt, vt, *An phœnix reperiatur?* Alia verò cõplexa, vt ſi quæras, *An aquilæ diutius viuant, quàm animalia cætera?*

Quintò, omnium quæſtionũ varietas quatuor capitibus cõtinetur, ita vt prima quæſtio generis ſit, quæ ſub ſe continet differẽtiæ & ſpeciei quęſtionẽ, cùm ſcilicet vel genus, vel differentia, vel ſpecies rei alicuius inueſtigatur, vt, *Sit ne prudentia virtus? & an homo rationalis ſit?* Secunda quęſtio eſt definitionis, qua de rei natura quærimus, per genus, & differentiam, vel proprietates explicata. Hũc pertinent duæ aliæ quęſtiones; altera, qua inquiritur, an aliqua duo inter ſe differant: altera, qua de nominis interpretatione litigamus. Tertia queſtio eſt proprij, vt, *Sit ne taurorum proprium mugire?* Aut, *Solius ſerpentis ſibilare?* Quarta verò quæſtio accidentis eſt, qua id, ſine quo res eſſe poteſt, interrogatione comparata, vel ſimplici perquirimus, vt, *An ſenex fuerit Priamus, nec ne?*

Deniq; ad decem categorias, de quibus duodecimo capite dictum eſt, omnes quęſtiones licebit deducere; vt alia ſit ſubſtantiæ, atq; naturæ; alia quantitatis; alia qualitatis, &c.

Tandem de lectionis conſuetudine ad eloquentiam comparandã aliquid præcipiẽdũ duximus, amice lector. Qui illuſtris orator eſt futurus, aſsiduè legat, & multũ; non tamen multa, & omnia, ſed ſingula curet intelligere, & intellecta conſeruare.

Intelliget, ſi attendat, ſi commentetur, ſi deniq; à prudentibus didicerit. Neq; tamen accuratiùs intelligenda ſunt vniuerſa, ea pręſertim, quorum cauſa non ſuſcepimus legendi laborem.

Lectione primùm obſeruabimus verborum ſermoniſq; nitorem. Deinde ſcientiam rerũ, quas optamus. Tandem quid ibi deliteat artificij. Hæc fient.

Primò, ſi teneamus ſenſuum varietatẽ, vim, naturã, & argumẽtandi rationes, quę reperiũtur in autoribus, & tum demum ad ea, quę legimus, applicemus. Secundò, ſi totã, & vniuerſam orationẽ vel tractatũ, non vnã tantùm partem legamus. Tertiò, principum oratorię facultatis debet eſſe aſsidua, & perpetua lectio, vt nunquam de manibus deponantur. Quartò, non vbiq; quærantur myſteria, ſententiæ, res acutæ, cũ non hæc ſit hominis felicitas, vt ſemper ſe ſe mirabilẽ valeat oſtẽdere. Quintò, pręcipua cura ponẽda erit in perueſtigãdo ſenſu, rationũ ductu, verborũ proprietate, argumentis, &c. Sextò conſuetudinũ, tẽporũ, locorũ, & perſonarum varias attributiones intelligat, conſideret, & examinet;

Sep-

Septimò, eorũ, quæ leguntur, notẽtur digreſsiones, loci cõmunes argumentorũ iuxta præſcribenda tractatu primo, rationes quæ ad docendũ, & permouendum ſunt magis idoneæ, amplificationes, & ſimilia, eo ordine, & modo, qui magis placeat.

Poſt lectionem, quę materiam ſuggerit, orationis commentatio ſuccedet, vt eadẽ digerat, & formet. Eſt verò commẽtatio animi cura, atq; diligentia, qua pro ratione officiorum artis diſcendi omnia accuratè priùs perpendimus, quàm aliquid ſcribamus, aut dicamus.

Itaq; diligentiſsimam cauſæ, ſiue materiæ ſubiectæ cõſiderationẽ, & perpenſionẽ includit. Hãc ſic tenebimus: primô diligenter inueniendo, & inuenta perpẽdẽdo. Secundo, ſi quo ordine, & qua diſpoſitione vtendum ſit, videamus. Tertiò, ſi formam, genuſq; dicendi, quo vtimur examinemus. Deniq; qua voce, quo geſtu pronũciandũ ſit, dignoſcamus.

Præterea ſingulæ partes per cõmentationẽ diſcernẽdę ſunt, ſeparentur quę ad ſuadendũ idonea, ab ijs quæ ad docendũ ſunt apta; & hæc ab illis, quæ ad mouẽdum, & delectandũ magis appoſita videbuntur.

Materia commentationis popularis ſit, copioſa, cognitudigna, vtilis, vera deniq; atq; honeſta; ſi enim falſa eſſet, humilis, à cõmuni ſenſu remota, atq; difficilis, audientium animos auerteret.

Conſtituta iam materia, cogitationem ad inuenienda argumenta conuertemus. Modum, & viã, qua id præſtabimus, dabit primus Tractatus de inuentione. Adhibendus tamen labor circa qualitatem, & pondus argumentorum ea ſeligendo, quæ victoriam pariant, quæ animos permoueant; quæ deniq; ſpiritu plena ſint.

Inuentis ergo, ſelectis & locis, cogitandum eſt de collocatione, elocutione, & ornamẽtis, ne quidquam videatur temerè, aut nimus conſideratè dictum.

TRACTATVS SECVNDVS, DE GENERE EXORNATIVO.

SEntentia antiquorum communis eſt, quæ tria cognoſcit genera cauſarum, ad quæ omnes aliæ dicendi formæ conferuntur. Fabius, examinata difficultate, tandem hanc opinionem retinendam cenſuit, quam meliorũ Rhetorum autoritas comprobat, cum

Ariſ-

Aristotele ad Theodecten, & Tullio, varijs in locis. Sunt hæc genera; exornatiuum, delibera-tiuum, & iudiciale, non adeò inter se diuersa, vt vnum cum alio copulari nequeat; imò raræ sunt orationes, in quibus non sint plura genera, quæ orationes mixtæ vocantur. Alia causarum genera, si ab his distincta sunt, non oratorum propriæ, aut certè ad hæc reuocantur, vt historia, narratio, gratiarum actio, gratulatio, querimonia, consolatio, cohortatio, & alia innumera in tabella contēta, quam Ioannes Sambucus, ex incerto authore Greco-Latinam fecit.

Cap. I. De locis inuentionis ad laudandum, & vituperandum personam.

EXornatiui generis partes sunt, laus, & vituperatio personæ, aut facti circa præsens tempus, vel præteritum. Inueniendæ laudes sunt, & vituperationes ex subiectis locis.

Quod ad laudes Dei optimi Maximi attinet, hæc sibi proponat orator. Primò, naturam ipsam diuinam, per negationes, vel affirmationes descriptam. Secundò, attributa, vt bonitatem, perfectionem, iustitiam, &c. Tertiò, effectus suo ordine distributos; ij sunt mundi fabricatio, conseruatio, gubernatio, & in singulis effectibus, multitudo, varietas, magnitudo, pulchritudo, considerentur. Quartò, varia ipsius nomina. Quintò, altaria, sacrificia, festiuitates, templa, supplicationes, miracula, prodigia. Sextò, per capita laudandi hominis excurrat, & inde quid in laudē Dei possit deflecti, attētè cōtēpletur orator.

In Angelis similis laudandi modus seruandus est. Oportet autē, eos quid ad omnes personas, facta & res laudādas volūt esse parati, vt plures locos cōmunes perspectos atq; tractatos habeant, vt de vitijs, virtutibus, artibus, studijs, legibus, pace, discordia, bello, vita, morte, opibus, honoribus, politica, re domestica, alijsq; similibus, vnde suo loco depromat argumenta. Iam ad laudis, & vituperationis hominum locos accedamus, in quibus hæc perpendenda sunt.

Primò, nomen, cognomen, agnomen, tituli, epitheta, elogia ex natione, prouincia, familia & euētibus considerentur.

Secundò, natura, sexus, natio, patria, cognatio, ætas, dignitas. Hæc vt fiant distinctè, persona diuidetur in corpus & animam. In corpore perpendenda sunt, quęcunq; ante natiuitatem sunt; vt, nobilitas gentis, ciuitatis, & loci, in quo exortus est ille, quē laudamus. Deinde conditores, res gestæ, successio, & id genus alia. Ea prætereà, quæ priuata cuiq; familia, ex præstantia virorum, & fœminarum in diuitijs, opibus, virtutibus, pręcla-

ris

ris gestis. Rursus accedent dotes corporis, quæ post ortum dignoscuntur in quinq; sensibus, valetudine, longitudine, formositate, velocitate, candore, &c. In animo examinabitur ingenium, & quæ illius maturitas, pondus, agilitas; memoria, & quæ in ediscendo facilitas, in conseruando tenacitas, &c. Denique voluntas, & quàm ad bonũ procliuis, & quæ illa sunt bona, quibus alliciatur.

Tertiò, virtus seu educatio perpendentur; qui magistri, qui sodales, quibus rebus intenti, qui mores, lege initium 3. Tuscul. vbi, quantum valeat educatio, eleganter sapienterq; docuit Tullius.

Quartò, consideretur fortuna; in qua munus, officium, imperium, dominatus, & quæ accedũt pecuniæ, libertas, fama, & contraria dignoscentur.

Quintò, affectio vel animi, vel corporis, quæ subitò contingit, vt in sensu pallor, rubor, tremor, lætitia, tristitia, & quæ ex inopinato casu consurgunt.

Sextò, habitus exercitatione comparati, seu in corpore, vt velocitas, robur; seu in animo, vt eruditio, probitas, facundia; hi habitus, ex virtutibus morum dignoscentur, quos paulò post exponemus.

Septimò, studium, & applicatio, vt Medicinæ, Rhetoricę, armorum, &c.

Octauò, facta, præterita, præsentia, & quę sperantur, vel timẽtur, & in singulis factis declaretur, quid honestum, iustum, prudens, decorum, gloriosum, vtile, iucundum, rarum; quam ob rem factum, quomodo, quo loco, qua gloria, an sine spe præmij, an cum labore.

Nonò, casus, & rationes, quæ euenerunt, vel quæ euenient ex socijs, ciuitatibus, maioribus, amicis, seu inimicis.

Decimô, consilium seu ratio, quam persequi deliberauit. Deniq, mors, sepultura, monumenta, simulacra, imagines, statuæ; in quibus, effector, materia, forma, & finis consideranda.

Cap. II. De ordine, & dispositione generis exornatiui.

IN exornando varij collocandi ordines inueniũtur, sed duo pręcipuè; prior est, cùm gradus temporum seruãtur, vt à patria, genere, educatione, studijs, præceptoribus exordientes, deinde progrediamur ad res præclarè gestas, quoquo tẽpore. Quem ordinem Socrates in Euagora Cypri Rege exornando seruauit, Cicero in 2. Philipp. parum ab ea declinauit.

Posterior ordo est, cùm generum dispositiones sequimur, nulla temporum seruata ratione; vt si primò, bona fortunæ explicemus, qualia sunt nobilitas, diuitię; deinde bona corporis, vt valetudo,

do, robur, pulchritudo: tertiò, Animi dona, &c. Suo ordine virtutes persequentes; vel à minoribus ad maiora, vt Cicero in Verrem primò, rapinas eius commemorat. Secundò sacrilegia, tùm Ciuium Romanorum atrocissima supplicia. Vel à maioribus incipientes ad minora dilabimur, quod Cicero pro Cornelio Balbo fecisse videtur, vbi Pompeiū primò, laudat à triumphis, & victorijs, deinde ab ingenio, tùm à pudore; postremò, ab autoritate.

Vel possunt eius facta quem laudamus, inæquabili varietate distingui, cùm parua magnis intexuntur; quo ordine plura sunt in oratione pro lege Manilia; vel tandem parua magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus misceantur. Ita quidem Tullius docuit.

Cap. III. De materia generis exornatiui.

HOC Genus latissimum est, cùm nihil sit, quod non laudare, vel vituperare possimus. Nam neq; hominum tantùm, & eorum laudes, sed etiam aliarum rerum materiam desumimus. Isocrates laudat Athenas, & Plato in Atlantico easdem commendat. Tullius pro lege Manilia, Asiam, & 4. in Verrem Siciliam, Glauco iustitiam, Fauorinus Thersitem, & quartanam febrim. Deniq; nihil est, quod non ad exornationem pertineat. Hæc vberior ad dicendum, vtilior ciuitatibus, & magis in cognitione virtutum vitiorumq; versatur; & licèt suum per se genus habeat separatum ab alijs, deinde per alia, etiam genera spargitur; nemo defendet, quin laudet, & accusabit, quin vituperet. Ideò in oratore ad Brutum Cicero exornationem, quasi nutricem oratoris perfecti commendat.

Totum laudationis aut vituperationis fundamentum, sunt virtus, & vitium. Quare imperitè faciunt qui prolixè robur corporis, nobilitatem, pulchritudinem commendant, si non ad virtutem dirigātur. Benè enim Vlysses 12. Metamorph. Apud Ouidium, cùm Aiax ignobilitatem obiecisset: *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.*

Conficitur hoc genus factis narrandis, exponendisq; sine vllis argumentationibus, solum ea, quæ certa, aut pro certis posita augendo. Adhibenda sunt frequētiùs ea ornamenta rerum, vt voluptatem sibi proponat exornator. Primò, mirabilia adducentur, sic pro lege Manilia Cicero in Pompeio. Huc pertinent exclamationes, quæ sunt admirationis gratia, vt, *Proh Dij immortales, tantane huius hominis diuina virtus.* Et pro Cornelio Balbo in eundē

Pompeiũ. *O Pompei sic longè lateq; diffusa laus, vt eius gloriæ domicilium communis imperij finibus termi netur.* Secundò, adducātur quæ præter opinionē, & expectationē ab aliquo fiunt; hæc enim nō opinata maximè laudantur, vt Brutus qui stultitiam simulauit; deinde, mortua Lucretia, contra omnium opinionem, summā prudentiam ostendit, & Rempub. Romanam à Regibus liberauit. Tertiò, quæ significata sunt mōstris, sæpe ad laudem referuntur, & quæ prodigijs, vt cùm formicæ puero Mydæ dormienti tritici grana in os congesserunt. Deniq; oracula, & quæ diuina sunt, & quæ fatalia tractare oportet.

Sed quoniam in tribus generibus bona malaue versantur. Primò, in externis, Secundò, in corpore. Tertiò, in animo. Externa quę à genere breuiter laudētur; deinceps de fortunis, & facultatibus; posteà de corporis bonis dicendũ, in quibus facilè forma laudatur; etenim vultus est tacita mētis locutio: tandē ad dotes animi deueniendũ est.

Cap. IIII. De factis exornandis, vel vituperandis.

POsteà ad facta veniendum, in quibus locus virtutum, atq; vitiorum latissimè patet. Nunc ius, & naturam virtutis duplicem facio; nam vel ad scientiam pertinet, & prudentia dicitur, vel calliditas, vel sapientia; vel ad actiones, & hæc cupiditates hominum moderatur, & regit animi motus, diciturque temperantia.

Quæ partitio à Tullio assignata, optima est. Nam vt Aristoteles ait, homo natus est ad intelligendum, & agendum; quamobrem vt finem suum assequatur, eas virtutes acquirat, necesse est, quæ ad finem conducunt. Sed prudentia, & sapientia facit, vt homo rectè intelligat; temperantia, vt rectè agat: itaq; hæ duæ necessariæ sunt, prudentia, quæ in suis rebus domestica, quæ in publicis, ciuilis appellari solet. Temperantia itidem in suas res, & in communes distributa, duobus modis discernitur; & ea quæ absunt, non expetendo, & his quæ in potestate sunt, abstinendo.

Temperantiæ nomine omnes virtutes comprehendit Cicero in partitionibus. In rebus incommodis est duplex temperantia; nam quæ venientibus malis obstat fortitudo, quæ quod iam ad est tolerat, patientia nominatur; quæ autem hæc vno genere complectitur, magnitudo animi dicitur, cuius est liberalitas in vsu pecuniæ, simulque altitudo animi in incommodis capiendis, & maximis initijs, vt est omne quod graue est, insedatum, & turbulentum. Tùm etiam, vel maximè liberalitas fulget, cùm egentibus

tibus subuenitur. Patientiæ con. iuncta quidem est animi altitudo.

Summa igitur sit, vt, temperantia quatuor virtutes contineat præcipuas. In rebus incommodis qui se se continet, laudatur, & virtus hęc continentia appellatur. Qui nemini nocet, ab innocentia commendatur. In rebus in commodis, qui venientibus resistit, fortis est, & constans, & ea virtus fortitudo dicitur, cui adiuncta liberalitas. Qui aduersa tolerat potiens est, cui animi altitudo cõiungitur.

Hæc est temperantia, quę ad res priuatas spectat; quæ verò ad communes, iustitia dicitur, cuius sex partes. Prima, qua Deum colimus, religio nuncupatur, & omne ius sacrorum continet. Secunda, qua patriam, parentes, amicos, maiores obseruamus, & dicitur pietas. Tertia, erga homines, que neminem lædimus, & adiuuare quã plures studemus, & est bonitas. Quarta, fidelitas in promissis. Quinta, lenitas, qua non ad vlciscendum festinamus, nec contentionibus delectamur. Sexta, amicitia, quæ multorum nobis beneuolentiam cõciliamus. Sunt aliæ quasi ministræ, comitesq; sapientię, Dialectica, & Rhetorica, quas inter virtutes Quintilianus lib. 1. numerat: de quibus ad præsens institutum plura Cicero 1. de Oratore. Custos verò virtutum omnium dedecus fugiens, laudemquè maximè consequens, est verecundia, omnis honestatis parens, & nutrix, cuius solus homo est particeps.

Sunt præter hos habitus, aliæ artes liberales, quæ etsi virtutes non sunt, maximè tamen laudantur. Hæ sunt præter Dialecticam, & Rhetoricam, studium literarum, scilicet Grammatica, à qua, vt fonte, reliqua studia proficiscuntur. Deinde Mathematicæ, quarum princeps Arithmetica. Succedit Musica, quę harmoniam & sonos, cum poetica complectitur. Tertiò, Geometria, mensuras cõtinens. Quartò, Siderum cursus, & proprietates Astrologia declarat.

Sunt alia nobilitatis studia, vt cursus equorum, à quo laudat Virgilius Mesapum, Lausum, Latinum, & poetæ cæteri suos Heroas. Alterum venatio est, quo studio delectatus quotidie Cyrus Persarum Rex, apud Xenophontem, Vlysses apud Homerum, AEneas apud Virgilium. Alterum genus in armis est, quibus similia studia conquirenda.

Virtutum quidem genera iam dicta; vitiorum autem contraria dignoscentur ex ijs. Et cauendum ne nos fallant, quæ virtutem videntur imitari; nam & prudentiam malitia æmulatur, vt latè explicat Tullius 3. de officijs; & immanitas in voluptatibus aspernandis; cinica qui-

quidem,& tetrica, temperantiam assimilat; superbia in animis extollendis,& despicientia in contemnēdis honoribus, animi magnitudinem adumbrat; sic Cicero atrocioribus verbis Pisonem insectatur, quòd se triumphi cupidum negaret. Prætereà liberalitatem effusio, fortitudinem audacia, patientiam duritia, immanis acerbitas iustitiã imitatur. Deniq; superstitio religioni simillima, vt ait Cicero 2. de natura Deor. Deniq; lenitatem animi mollitia animi adumbrat, & verecundiam timiditas, quæ vitiosa est verecundia, quam Græci Dysopiam appellarunt, de qua Plutarchi extat opusculum: eaq; est, cùm quis in rebus honestis pudore ac rubore suffunditur. Nota ista rusticorum est, qui cum paucis hominibus versantur. Prudentia dispu tandi, quæ est Dialectica concertatio, captioq; verborum, Sophisticam simulat; & vim oratoriam; inanis superfluentia eorum, qui blaterones appellati sunt. Studijs etiam bonis similia videntur, quę sunt in eo genere nimia, vel super flua.

Nec solùm facta, sed dicta,& cogitationes laudantur, quid quisq; dixerit, senserit, gesserit, vt possit ad virtutem accōmodari, in quo nimius Tullius oratione pro Milone, exponens quæ dixerit, quæ considerauerit forti ac constanti animo. Causas etiam euentus,& consequentia requiremus, cur Brutus prudentissimus stultitiam simularit; cur Tarquinium expulerit, cùm esset cognatus? cur proprios filios occiderit, cū esset clementissimus? Deinde euētus, quid ex simulata stultitia contigerit? quid ex morte Lucretiæ? tùm consequentia, vt extinctio Regij dominatus, recuperatio libertatis, &c. Si laudauerimus eū, qui iam è vita excesserit, mortē exponemus, & quid in ea gloriosum. Cicero 1. Tusculanarum, multa in hanc rem congerit,& in lib. de senectute.

Cap. V. Elenchus eorum, quæ in virtute quauis seu vitio cōsideranda.

PRimò genus, & definitio; ibi considerando quàm honesta, vtilis, ac iucunda virtus sit. Secundò, sedes, & ordo, inter cæteras virtutes,& vitia Tertiò, cui potentiæ corporis vel animi inhæreat. Quartò, quem ibi effectum eliciat. Quintò, munus propriū, actusq; interni, & externi. Sexto, vitium, & passio contraria. Septimò, eius virtutis necessitas ad quietem, & incolumitatem. Octauo, eius radices, præcepta,& causę. Nonò, fructus consequētes cum effectibus. Decimò, varietas,& multiplicitas eius virtutis. Vndecimò, nomina propria, & metaphorica. Duodecimò progressus, initia, media,& terminus. Decimotertiò, mensuræ lōgitudinis, latitudinis, profunditatis, & subli-

ſublimitatis. Decimoquartò, proprietates, & qualitates veræ, fictę, & apparentes. Decimoquinto, eius virtutis Magiſtri, tractatus, præclara dicta. Decimoſextò, collatio illius cum cęteris virtutibus, ex cap. 10. de compar. primi tractatus. Decimoſeptimo, quid experientia virorũ circa eã virtutẽ inuenerit. Decimooctauò, rationes Theologiæ, Philoſophię, & cõmunes circa illam. Decimononò, quibus medijs, & opera conquiratur. Vigeſimo, quo obſtaculo, & forma debilitetur. Vigeſimoprimò, qui actus in verbis, intelligentia, & opere. Vigeſimoſecũdò, quę tẽpora, opportunitates, perſonæ quibuscum exerceatur. Vigeſimotertiò, qui fuerint illuſtres, vt adhibeantur tanquam exempla.

Percurram breuiter hæc capita in humilitate, vt qui habitus ſit, quam facultatem præſtet, & ſuauitatem.

Quæ ſit eius forma ſeu differẽtia? moderatio ſcilicet, & appetitus excellentię.

Quod ſubiectum primum humilitatis? intellectus ſcilicet, proximum voluntas.

Quod medium inter extrema? actus præſumptionis, & puſillanimitatis.

Quæ principia virtutis huius? Dei gratia, humana exercitatio, ſui cognitio, ſcelerum meditatio, ſui cum Deo & ſanctis collatio.

Qui effectus? temperando verba, facta, in honore, & ſimilibus.

Quæ humilitatis nomina glorioſa? vt ſedes virtutum, maieſtas Eccleſiæ.

Qui gradus & progreſſus? contemptus proprius, amor ſpernendi mundum, ſpernendi nullum, & ſpernendi ſe.

Quæ longitudo? quæ vitæ.

Quæ latitudo? ad omnes. Quæ profunditas, cordiſque ſublimitas? perfectionis altiſsimæ.

Quàm facilis, iucunda, neceſſaria; rara, potens, audax, pulchra.

Qui Magiſtri? cum Chriſto, & Diſcipulis.

Qui libri? ſacræ paginæ, & Doctorum.

Quæ comparatio? cum abſtinentia, virginitate, & alijs, iuxta tractatum primum.

Quæ experientia? lucis, gaudij, & patientiæ.

Quæ rationes? ex anteacta vita, Dei magnitudine, Dæmonum fuga.

Quæ media? oratio, paupertas, correctio.

Quæ obſtacula? ſodalitas ſuperborum, ſumus nobilitatis, generis, ingenium inſolens.

Quæ remedia? qui actus interni, & externi.

Quo tempore exercenda? ſemper. Quo loco? vbique. Qui viri illuſtres? Patriarchæ, prophetæ, & Doctores.

Quæ imagines fictæ & ſimula-

tæ virtutis huius ? queque veritas?

Caput.VI. *De virtutibus cognitionis.*

VIrtutes cognitionis ex Aristotele 6.Ethicorum,sunt numero quinque Prima , *Intellectus* , quo scientiarum , & artium omnium principia cognoscuntur. Secunda , *Sapientia* , quæ scientia est humanarum ac diuinarum rerum. Tertia , *Scientia*, id est , rei per suas causas euidens cognitio. Quarta , *Est cognitio illa, quæ tota in speculatione versatur.* Si res altissimas , & diuinas considerát,est Theologia; si quæ sensibus & mutationi subiectæ fuerint, tractat , est Philosophia, vel Medicina: si quantitates corporum , & numerorum affectiones cognoscat , erit Mathematica , cuius membra numerabis, Geometriam , Arithmeticam, Astrologiam,Musicam, Perspectiuam. Quinta, *Est cognitio,quæ in actione versatur;* comprehendit Politicam , in qua ratio gubernandæ Reipublicæ continetur: OEconomiam , quæ præcepti tradit gubernandæ familiæ. Ethicam , quæ virtutum naturam exponit. Omnium veró regula logica est , quæ modum, rationemque rerum cognoscendarum docet.

Restant duo alij intellectus habitus. *Ars,* quę recta ratio est aliquid faciendi: &. *Prudentia* , quæ regula est actionum humanarũ. His annectes eam laudem , quæ ab experientia sumitur in rebus humanis.Præterea , varia artium genera,quæ præstô cui q; succurrent.

Hinc plura sunt ad laudandũ, & vituperandum adiumenta.

Cap.VII. *De prudentia ex Philosophis,& Theologis.*

NOnnulla pro commendatione prudentis viri, aut im prudentis vituperatione præscribimus. Partes ad perficiendam prudentiam necessariæ sunt. Prima,*Memoria*, præteritorum experientiam , & recordationem spectans.Secundò , I*ntellectus*, id est , recta principij per se noti æstimatio.Tertia, *Docilitas* , qua reuerenter maiorum excipimus documenta. Quarta , solertia, viam inueniens ad facilè ac prõptè aliquid agendum.Quinta, *Bonus rationis vsus* , quo rectè ratiocinamur, seu consilium capimus. Sexta, *Prouidentia*, quæ futura considerat ad pręstitutum finem. Septima , circumspectio , quà ad finem destinata, cum ijs conferũtur,quæ circunstant. Octaua,cautio , qua , ne boni specie seducamur,in boni electione pro vitando malo cautelam adhibemus.

Aliæ sunt prudentiæ partes, non integrales quidem,sed subiectiuæ;vt prudentia militaris, pro bello;

bello; OEconomica, pro domus regimine; Politica in Republicæ administrationem, &c.

Virtuti prudentiæ annexa est. *Bona consultatio*, quę post susceptum consilium præcipit conuenienter. Secunda, *Synesis*, quæ circa humanas actiones rectum iudicium importat. Tertia, *Gnome*, quæ extra consuetas regulas, iudicij, perspicacitatem amplectitur.

Prudentiæ contrariæ sunt, astutia, fraus, superflua solicitudo, negligentia, inconstantia, præcipitatio, inconsideratio. Prudentiæ munera, circa malum tria sunt. Primũ, imminens cauere. Secundũ, acceptũ expellere, vel imminuere. Tertiũ, generose sustinere, quod nec vitari potest, neq; decrescere. Circa bonum verò, illud, disponere, conseruare, augere, & eo honestè vti.

Cap. VIII. *De iustitia.*

IVstitia ad alium est, non ad se; æqualitatem in re extrinseca constituit Eius partes sunt duæ; altera iustitia commutatiua nominatur, quam qui inter se contrahunt, seruant: altera distributiua, pro meritorum ratione præmia & honores distribuens.

Iustitiæ distributiuę opposita est personarum acceptio; commutatiuæ verò, fraudulentia, vsura, rapina, furtum, cõtumelia, vltio, detractio, susurratio, derisio, & maledictio. Tullius subiecit iustitiæ vniuersè sumptæ, religionẽ, pietatem, obseruantiam, obedientiam, vindicationem, gratiam, veritatem, & nonnullas alias. Religio cultum, cæremoniamq; Deo exhibet; eius actus sunt, votum, iuramentũ, adiuratio, diuina laus, oblatio; sacrificium, oratio, adoratio: eius contraria, rerum sacrarũ vẽditio, sacrilegium, periuriũ, Dei tentatio, vanæ obseruationes, falsa diuinatio, idololatria, superstitio. *Pietas*, cultum diligẽtem, & officium tribuit sanguine coniunctis, & patriæ beneuolis. *Obseruantia*, cultum & honorem exhibet ijs, qui in dignitate constituti: honos autem testificatio est excellentiæ in alio agnitæ, cuius partes autore Arist. 1. Rhetoricorum cap. 5. sunt sacra, memorationes, cantilenæ, carminum, orationes, imagines, sepulchra, luci, prçstantiori cedere loco, & id genus alia. *Obedientia*, est, quam ijs, qui nostri curam gerunt, præstamus, dum illorum paremus imperio. *Vindicatio*, vim & iniuriam omnem propulsat, defendendo, vel vlciscendo. *Veritas*, ea quæ sunt, fuerunt, aut futura sunt, immutata relinquit, dum dicuntur, huic ironia, iactantia, simulatio, hypocrisis opponũtur. *Amicitia*, est affabilitas in communi vsu, & consuetudine, & dictis factisq; hominem tractabilem efficit. *Liberalitas*, iustitię comes est, rectum bonorum externorum vsum, dando, & accipiendo, complectitur.

Cap. Nonum de fortitudine.

IN periculorum susceptione, & laborum perpessione sita est fortitudo. Huic subiecit Tullius vt partes, magnificentiam, patientiam, perseuerantiam. *Magnificentia*, rei magnitudinem, & sumptus, qui in ea impenduntur, spectat. Oritur à magnanimitate, quæ virtus est, magnos honores, & rationi congruentes appetens, adiuncta fiducia, & securitate ex auxilij consideratione, & spei robore. *Patientia*, perpessio est voluntaria, & diuturna ardui ac difficilis laboris. *Perseuerantia*, mansionem stabilem, & perpetuam in ratione bene considerata habebit; cui affinis est constantia, aduersus impedimenta, quæ temporis diuturnitate consurgunt. Hac virtute carent, qui nihil timent, vel nimis timent. Contraria facilè dignoscuntur.

Cap. X. De temperantia.

TEmperantia sensuum illecebras contra rationem opprimit. Aristoteles 3. Ethicorum illius actus verecundiam & honestatem censet. *Verecũdia*, timor est de turpi actu. *Honestas*, animi pulchritudo est, qua actiones hominis rationi, cum quodam nitore conformantur. Formæ subiectæ erunt, *Abstinentia*, in cibo; *Sobrietas*, in potu; *Castitas*, in rebus venereis; *Pudicitia*, in his quæ venerem redolent; *Virginitas*, quæ à delectatione venerea abstineat se perpetuò. Contraria etiam deducantur. Partes propinquæ sunt, *Continentia*, quę nimis rebelles concupiscentias expugnat non succumbendo, *Clementia*, vel, *Mansuetudo*, iræ motus comprimit, & frænat in externa punitione, & efferuenti corde præ dolore. *Modestia*, animi motus temperat, & exterius quæ in corporis cultu, veste, incessu, ludo, & verbis contingunt, dirigit. *Animi summissio*, appetitum comprimit, ne vltra modum ad superiora contendat; sicut per magnanimitatem, cum ratione impellitur ad rerum magnarum consecutionem. *Studium*, virtus est, quæ & animum ad cognoscendum applicat, teporem amouendo, & modum in cognoscendo seruat, nimium discendi frænans desiderium. Huic opponitur, *Curiositas*, dum plus quàm par est, vel id quod non debemus, vel non eo modo quo debemus, cognoscere tentamus. *Vrbanitas*, in iocis modum præfinit; si excedas, scurrilis es; si deficias, rusticus. Alia sunt, quę fermè in dictis continẽtur. Ex his, nullo negotio contraria iudicantur.

Cap. XI. Vbi nonnulla pro laudatione sanctorum.

PRimò, ea laudãda bona, quę supernaturali Dei beneficẽtia homi-

minum generi donantur. Ad hãc seriem imprimis eę pertinent virtutes, quæ Deum ipsum attingunt, vt sunt, fides, spes, charitas. In earum commendatione mutuabimur à Theologis definitionẽ, actus, & officia, & quæ in virtutum elẽcho præscribemus. Ea etiam quę ex his virtutibus deriuantur adducenda, vt misericordia, beneficentia, pax, & concordia, quæ à charitate exoriuntur. Et quæ opponuntur, vt cõtẽtio, scisma, bellum, rixa, seditio, &c.

In hoc bonorum supernaturalium ordine collocantur septem Spiritus sancti dona. Primò. *Intellectus donum*, quo mens humana, res diuinas penetrat: huius oppositum est sensus hebetudo. Secũdò, *Donum sapiẽtiæ*, quo de rebus diuinis vniuersè conside ratis fit iudicium; huic opponitur stultitia. Tertiò, *Donum scientiæ*, Pro humanarum rerum recto iudicio: huic opposita est mentis cęcitas. Quartò, *Donum consilij*, quo fertur sententia de rebus diuinis, & humanis, vt ad actiones humanas accõmodantur; huic imprudentia est opposita Quintò, *Donum fortitudinis*, quo vitatis periculis, ad inchoati operis finem peruenitur. Sextò, *Donum pietatis*. Tum & hominibus propter Deum, & Deo ipsi cultum & officium exhibemus, vt filij. Septimò, *Donum timoris*, quo tanquam filij reueremur parentem Deum.

In eadem serie alias numera dotes, quas gratias gratis datas Theologi appellant: vt donum fidei, donũ sapientiæ, sermo sciẽtiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, & spirituum discretio, donum linguarum, & interpretatio sermonum. Consule pro definitionibus & proprietatibus D. Thomam 1.2. quęst. 111. art. 4. Quòd si Theologiæ sis inscius, sanctosque exornaueris, à Theologis subsidia erogabis. Hos locos oratores profani non tractauerunt. Cætera ex communibus locis desumes.

Cap. XII. *De oratione funebri.*

ANte funerationem circa morientes & in vicinia mortis constitutos, quid gesserint consanguinei, & amici, quid vè dixerint, aut senserint. Deinde circa mortuos, quæ lotio, vestitus, conclamatio, collocatio, indicia domus funestæ. Secundò, funeratio consideranda est, in qua cadaueris elatio, & sepultura attentè dignoscenda. In elatione obserua præcipuè quoto post mortem die funus sit elatum, & an nocturno tempore, vel diurno sit peractum, & quę personæ ad funus sponte, vel mercede conductæ, & quæ præcesserint, vel fuerint subsequutæ lacrymis, planctu, inusitato incessu, depositione ornamentorum; & an lectica extulerunt, vel sandapi

la, & qui locus, perquẽ funus effe rebatur, priuatus, vel publicus.

In sepultura obserua, an sibi viuus extruxerit, vel hæredes ex testamento confecerint; an singulare sepulchrum, vel alijs commune; altum, an depressum; & quibus septimentis circumvallatum, & ex qua materia; quibus simulacris & inscriptionibus ornatum. Tertiò, post funerationem certi sunt dies, quibus mortuis parẽtamus; perpendatur luctus, & in eo tempus, & signa, & causa, cur minueretur, cæremoniæ, & honores, &c. Quartò dicentur laudes defunctorum. Quintò, moneantur viuentes officij; Sextò, coniuncti ad virtutis æmulationẽ excitentur. Septimò, adhibeatur consolatio lugentiũ, ex his quæ tractatu sexto dicemus. Octauò, explanentur loci communes, de huius vitę miseria, de bono mortis, de inmortalitate & beata vita.

Cap. XIII. *De facti vituperatione, & laude.*

PRo damnando aliquo insigni culpæ defectu, primò consideretur species, & virtus contraria. Secundò, quot, quantisque virtutibus opponatur. Tertiò, quâm facilè, quo affectu, quàm inuerecundè, quàm sine timore committatur. Quartò, quoties inciderit in damnum. Quintò à persona & officijs. Sexto à loco, & tempore, Septimò à dãnis subsequentibus, & periculis. Deniq; inuertantur quæ dicta sunt, ac dicenda, pro laudanda persona; in vituperationem ipsius, desumpta natura contrariorum. Quòd si laudandum sit factum, hæc considerentur. Primo, si magnũ, rarũ, ac difficile, vtile, honestum, amabile. Secundò, antecedẽtia in efficiente ab amore, potentia, scientia, & finibus alijs pręstitutis. Tertiò; comitantia factum, quare eo tempore, & non antea, &c. Quare eo loco, & non alibi, &c. Quarto, facilitas, voluptas, qua factum est cum aliorum, vel à se, vel ab alijs factorum comparatione. Quintò, qui effectus, quæ incitatio, &c. Comparatio fiat ex tractatu primò. Denique quas virtutes factum adumbret videbimus, nihil omittentes ex ijs, quæ pro singulis diximus, & dicemus.

Cap. XIIII. *De scientiarum, & artium laude.*

SCientiarum laudes desumuntur ab honesto, & vtili, demonstrando, quanta si vtilitas, quam vniuersis afferunt, & singulis. Secundò, à voluptate & cognitione. Tertiò, à perfectione, & fælicitate, quam generant. Quartò, à bonitate, & duratione. Quintò, à necessitate. Sextò, à facilitate, seu difficultate. Septimò, ab antiquitate, & inuen

tori-

toribus. Octauò, à præmijs, & honoribus in scientias illas. Nonò, à professoribus, & Magistris. Decimò, à locis communibus definitionis, naturæ, partium, materiæ, finis, effectorum, actuũ, exemplorum.

Cap. XV. De laude regionum, & vrbium.

PRimò laudetur regio ab antiquitate, & primis cultoribus. Secundò, à populorum genere, & studijs. Tertiò, quibus rebus illustres homines. Quartò, quas artes inuenerint. Quintò, quæ sint res gestæ. Sextò, an libertate fruantur. Septimò, quibus legibus gubernentur. Octauò, quæ & quanta sit religio. Nonò, quæ sit amplitudo, & situs, an Orientem solem spectet, ac Occidentem. Decimo, à cœli clementia, amænitate, delicijs, fertilitate, & commoditate ad inuehendum necessaria. Vndecimò, à vicinis locis, an longè, vel iuxta mare. Duodecimò, an tuta regio, vel vrbs. Decimo tertiò, à montibus, fluminibus, stagnis, planitie, animalibus, fructibus. Decimoquartò, considerentur mænia, arces, propugnacula, porticus, templa, viæ, theatra, scholæ, mundities, fontes, Syluæ, prata, horti. Decimoquintò, quæ sint ibi monumenta antiquitatis, quæ vrbanitas. Decimosextò, à rebus memoralibus ibi gestis.

Cap. XVI. De laude templorum.

PRimò, cognomina & definitiones. Secundò, cui dicata sint. Tertiò, ædificatio, & ipsius causæ. Quartò locus, an intra, vel extra vrbem. Quintò, situs dextræ, sinistræ, anticæ, & posticæ partis. Sextò, dedicatio, consecratio, inauguratio. Septimò, forma, tûm partium, tûm fabricæ totius. Octauò, decoratio, & conseruatio. Nonò, epitheta varia ipsorum. Decimò imagines, & statuæ. Vncimo, altaria, & eorum numerus. Duodecimo, Sacerdotes, & ministri. Decimotertiò, vestes sacræ, & pretiosa supepllex. Decimoquartò, quæ ibi festiuitates, sacrificia, donaria, suffitus, sepulchra, monimenta. Decimoquintò, qui hominum concursus, quæ ibi doctrina, qui sacrorum vsus. Decimosextò, ab vsu, quàm sancta sint, angusta, religiosa, impolluta, optima, pinguia, venerabilia. A quantitate, quàm magna, excelsa, alta, spatiosa, ampla; à pretio, quàm magnifica, laqueata, marmorea, eburnea, fulgentia, cõspicua, &c. A Sacerdotibus, qui vestitus, & ipsius materia, color, & ipsorũ ætas, dignitas, gradus, ordo, vitę genus, numer?, munus. Amussicis inst-

trumentis, hymnis, lætitia. A miraculis, & oraculis.

Cap. XVII. De inuentione locorũ circa irrationalia; adhibita Sylua locorum inuolucri.

EXemplum sit huius inuentionis inuolucre. Primò, considera qui scripserint circa illius animantis naturam, & quæ voces synonymæ ad eam significandam inuentæ fuerint. Secundò, quæ genera, & species, & differentiæ, quibus & inter se, & ab alijs differant. Tertiò, forma interna, & externa examinentur. Quartò, sexus, & in eo varietas. Quintò, quæ loca maximè illis animalibus abundent. Sextò, odoratus, visus, auditus, memoria, volatus, sonus, ætas, generatio. Septimò, qui primùm animal illud habuerint, inuenerint, vel cognouerint. Octauò, quod illius officium, & ad ipsius munera quæ apta loca. Nonò, quæ ex illo præsagia, & auguria. Decimo, quę mystica fuerint apud antiquos ex eo animanti obseruata; velut, si Deo cuipiã dicatũ fuerat, & causa, &c. Vndecimò, quæ hieroglyphica indeide sũpta. Duodecimo, quę moralia, & similia, & exempla pro hominũ doctrina. Decimotertiò, quę symbola ipsius, & quid innuant. Decimoquartò, quę emblemata. Decimoquintò, quæ epigrammata. Decimosexto, quę ænigmata. Decimoseptimo, quæ epitheta. Decimooctauò, qui vsus in cibis, & in bello, &c. Decimo nonò, quę prouerbia. Vigesimo, quæ historiæ. Vigesimoprimò, qui apologi, & fabula. Vigesimo secundò, quæ vitę tenacitas. Vigesimotertiò, quæ temperies, frigida, an calida. Vigesimoquartò, considerentur qualitates animantis. Vigesimoquintò, quantitas, vt an longum, curtum, magnum, paruum, rotundum, angulosum, ouatum, glabrum, hirtum, lanuginosum. Vigesimosextò, videndum discrimen partium corporis, vt oculi, palpebræ, lingua, dentes, venter, os, caro, cutis, cartilago. Vigesimoseptimò, qui morbi, & interitus. Vigesimooctauò, qui sanguis, vel illius defectus, quę respiratio, qui motus. Vigesimononò, quem in locum, & quas in res inclinet. Trigesimo, quæ cõmoda, vel incommoda hominum generi inferat. Trigesimoprimò, quæ pulchritudo. Trigesimosecundo, quod ingenium mores, & docilitas. Trigesimotertiò, quæ vox. Trigesimoquartò, qui victus. Trigesimoquintò, quæ illius pugna, pręda, venatus. Trigesimosextò, quę antipathia, & simpathia cũ cæteris animalibus.

Cap. XVIII. De descriptione.

DEscriptio, quę orationẽ maximè illustrat, & amplificat, ad figurarum exẽpla subijciẽda erat, quia tamẽ in exornatiuo genere maxime dominatur, velut ipsius clausula adijcietur.

Quæ

Quę rem exponunt oculis describentes res, personas, actiones, & facta, descriptiones appellari consueuerunt. Huc pertinet prosopopœia, cũ persona introducitur. A Etopęia, quę mores exprimit, ac describit. Imago, quæ instar picturæ rem colorat, & pingit. Sermocinatio, cũ sermo personæ datur, seu veræ, seu fictæ. Euidentia, quæ rem sub oculos euidenter exponit. Id enim descriptione conamur, vt res quasi in conspectu geratur.

Nunc in descriptionibus hæc obserua. Primò, ne res inutiles describendo delectationem auriũ aucuperis: sic irati maris tempestatem, gemmeum camporũ ornatum, floridum gemmarũ splẽdorem, ventorum sibilum, curruum fragorem, stulti quidam Oratores nimis operosè describunt. Hæ, inquam, leues descriptiones conuincunt nihil, delectãt parum, & non cum leui iactura temporis dicuntur.

Secundò, personarum mores cum fructu maximo describuntur. Iratum & mansuetũ elegantissimè describit Chrysost. hom. 29. ad pop. detractores Bernard. serm. 24. in Cant. Inuidos Cyp. lib. de zelo & liuore.

Tertiò, descriptione vteris apposita similitudine, vt magis appareat, quæ solet dici imago. Id exactissimè pręstitit Chrys. hom. 9. in 1. ad Cor. peccatum describens, & Aug. 5. de ciuit. cap. 20.

Quartò, in re grauiori describes cũ sermocinatione, & prosopopęia. Harũ verò figuram, & ipsius descriptionis inuentionẽ, dabit tractatus primus de inuentione, & quę pro exornatiuo genere dicta sunt.

Caput vltimum de Chria.

CHria (vt indicat nomẽ ipsum) Græcũ est, Latinè efferri potest vsus: propterea quod maximam affert vtilitatem ad dicendum, eius mentionem fecit Quintilian. 1. institut. cap. 9.

Eius tripartita est ratio: nã vel in rebus, vel in verbis, vel cõiunctè in rebus & verbis spectatur. Octo partes complectitur, commendationem, & laudationẽ breuem authoris, cuius vel verbum, vel factum argumentũ est Chrię. Secundò, interpretationem dicti, vel facti. Tertiò, rationẽ dicti, vel facti. Quartò, argumentationem conclusam à contrarijs. Quintò, similitudinem, qua factũ, vel dictũ illustratur. Sextò, exemplũ veterum. Septimò, testimonia eorum qui idem dixerunt, vel fecerunt. Octauò, breuem epilogum: ergò in hũc modum Chria definiri potest. Est commemoratio alicuius dicti, vel facti, aut dicti simul & facti constans commendatione personæ, interpretatione, ratione, argumentatione conclusa à contrarijs, similitudine, exemplo, testimonio veterum, breui epilogo.

TRACTATVS TERTIVS DE GENERE DELIBERATIVO.

DEliberatiuũ genus eſt, quod in conſultatione poſitum, habet in ſe ſuaſionem, & diſſuaſionẽ, cuius finis vtilitas eſt, cum voluptate, & honeſtate (ſi fieri poſsit) coniuncta. Quare præcedens tractatus multã nobis operã abſtulit è pręſenti: ea præſertim cauſa, quòd in deliberatione & perſona, cui ſuadetur, laudãda eſt & perſona, quę ſuadet, ſeipſam cõmendare debeat. Deniq; res ipſa per exornationem augenda, vt in futurum tempus decernatur. Illudne contemnas, cùm omnis plerumque deliberatio habeatur comparatè, eos locos prę manibus habere oportet, quos tractatu primo, agentes de comparatione, declarauimus, quo faciliùs videamus in certamine bonorũ, quæ præponderent.

Cap. I. de fine deliberationis.

FInis huius generis eſt vtilitas cũ honeſtate coniuncta. Duo verò capita ſunt in omni deliberatione, quæ ſuaſor, & diſſuaſor diligenter videbit. Primum, poſſitne fieri, an non poſsit? Secundum, quid neceſſe ſit, aut non neceſſe?

Exemplum prioris, poteritne Cæſar Iſthmum perfodere? poteritne Cicero Conſulatum adipiſci, cùm ſit homo nouus, & nobiliſsimos habeat competitores? ſi certum eſt poſſe, fieri videndum eſt, an ſit neceſſarium, ne ſuperuacua aggrediamur. Si quid verò eſt perdifficile, pro impoſsibili iudicabitur, vt ponte Helleſpontum ſternere, & Atho montem perfodere; quæ tamen Xerxes effeciſſe dicitur.

Nomine neceſsitatis non abſolutã intelligimus, ſed eã, quæ adiuncta eſt conditioni, vt neceſſe eſt cibo & potione vti, ſi volum⁹ viuere. Si aliquod non neceſſariũ videbitur, videndũ tamen erit, quã ſit magnum: quod enim permagni intereſt, pro neceſſario habetur, qualia ſunt, quæ Ariſtot. 2. Rheto, numerat: *Vectigalia, bellũ, & pax, cuſtodia regionis, quæ importantur; & exportantur, leges deniq; ipſa.*

Cap. II. de materia deliberationis.

SVnt qui ſuaſori ſex capita proponant, ad quæ ſemper

respicere debeat: *Honestum, vtile, iucundũ, necessariũ, possibile, facile*: quæ omnia simul probet, vel quotquot poterit: dissuasori verò totidem ex altera parte cõtraria, *Turpe, damnosum, molestũ, superuacaneum, impossibile, difficile.*

Arist. 2. Ethicor. tria esse docet quę sequamur, honestũ, vtile, iucundum, & his tria opposita, quę fugiamus: sufficiet, si ad hæc tria respiciat orator. Exemplum est: Deliberat Cleantes senex, tardus, & pauper, an philosophię det operam? suasor dicet, nihil esse difficile volenti, paupertatem nõ obstare philosophiæ, nec senectutẽ ineptã ad discendũ, & tarditatẽ amore superari. Numerabũtur deinde bona philosophiæ. Dissuasor dicet, stultũ esse conari, quod effici non posſit præ inopia, quæ disturbat; & præ ætate; nam vel ab adolescẽtia occupati nihil proficiunt. Demũ obstabit tarditas, cũ velox ingenium desideretur.

Bonorum, quæ ad deliberationem veniunt, partim sunt necessaria, vt vita, liberi, parentes, qui necessarij appellantur: partim sunt bona non necessaria, vt ait Tullius, quorum alia sunt per se expetenda, vt quæ in officijs sita sunt, atque virtutibus: alia expetenda, vt opes, quia ex eis aliquid commodi efficiatur.

Eorum autem, quę propter se expetũtur, partim honestate, partim cõmoditate expetuntur. Honestate, quæ proficiscuntur à virtutibus, quæ sunt laudabiles per se: cõmoditate autem aliqua, quæ sunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda.

Verũ, alia sunt quasi quodammodo cum honestate coniuncta, vt honos & gloria: alia diuersa, vt vires & forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, clientelæ. Est autem materies quodammodo honestati subiecta amicitia, quæ in charitate & amore cernitur: charitas grauius nomen est quàm amor, vt primo de natura Deor. docuit Tullius. Pertinet autem ad quinque genera, hoc est, ad deos, & deorum cultum, ad parentes, ad patriam, ad sapientes, ad illustres, ad Principes viros: amor ad reliquas personas inclinat, vt coniuges, liberos, fratres, amicos, familiares, propinquos, & affines. Et ijs facilè contraria dignoscimus. Huc attinet tanquam materia, quidquid tractatu secundo circa virtutes dictũ est, & quod succedenti capite dicetur:

Cap. III. de forma & dispositione deliberationis.

IN exordio captabitur beneuolentia. Atq; in hoc genere principia, vel non longa, vel sepe nulla sunt; nã ad audiendũ qui deliberant, sua causa parati sunt, nec multum sæpe narrandum, cùm suasio rerum futurarum sit. Hęc præcipit Cicero, sed interdum in deliberationibus longiſsimis vtitur

exordijs, vt pro lege Manilia, & contra Rullum, quæ concio à Plinio mirificè commendatur. In Philipic. 13 & 14. nullum est exordium. Nihil hic monere libet, nisi vt prudentia oratoris iudicet, ne omnino incipiat ex abrupto. Secundò, fiet narratio apta ad suadendum. Tertiò, confutabimus quod obstare potest. Quartò, rationes nostras copiosè tractabimus; & rationes sumentur ab honesto, vtili, tuto, iucundo, facili, necessario,

Honestum, vt Tullij verbis vtar, diuiditur in virtutem, quæ complectitur prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiã. Prudentia distribuitur in intelligentiam temporis præsentis in memoriam temporis præteriti, & in prouidentiam temporis futuri.

Iustitia diuiditur in legẽ, consuetudinem, & naturam, quæ quidem venanda est ex religione in Deum; pietate in parentes, patriam, & consanguineos; obseruãtia in antecedentes, dignitate & gratia.

Fortitudo diuiditur in patientiam, & perseuerantiam, quarum naturæ satis sunt cognitæ, & in magnificentiam, quæ est rerum magnarum cum ampla animi cogitatione administratio.

Temperantia diuiditur in continentiam, clemẽtiam, modestiã, & in his omnibus, quæ honesta sunt, consideranda erunt contraria, & circumstantiæ. Circa harũ virtutum diuisiones tractatum secundum consule.

Bonum vtile cum respectu ad diuersa considerandum est; vel enim vtile corpori est, vel animæ, & designandum, cui parti, cui potentiæ, & habitui prosit: vel vtile est amicis, vel Reipublicæ, vel Deo, vel Religioni: & in hac vtilitate diuturnitas, extensio, numerus bonorum consideretur.

Bonum iucundum, vel delectationes corporis, vel animæ cõplectitur: in corpore, cui sensui exteriori, vel interiori respondeat, considerandum est, ducendaque omnis comparatio, ex tempore, numero, perfectione. Denique in animæ delectationibus idem considerandum erit. Insuper, an sit iucundum diuis, hominibus sapientibus, amicis, Rebus publicis, &c.

Ex his colligere licet duodecim fieri posse in materia deliberationis propositiones: tres, ratione conseruandorum bonorũ præsentium, animi, corporis, fortunæ: tres ratione eorundem bonorum absentium comparandorum Tres ratione separandi mala animi, corporis, fortunæ. Tres denique ratione repellendi eadẽ mala imminentia tribus illis bonis contraria. Videatur quid turpe, perniciosum, molestum, periculosum.

Præterea, in bono vtili, & iucundo facienda distributio: ratio ne

ne temporis in præterita bona, quorum recordamur: in præsentia, quæ sentimus, & in futura, quæ speramus. Et consideranda sunt euenta, amici, fortunæ, fama, gloria, expectatio amicorũ, & inimicorum, locus, persona, & demum quidquid ex circumstantijs trahi posſit.

Cap. IIII. circa personas efficientes deliberationem.

QVod si semper optima tenere possemus, non multum consilio egeremus: sed quia sæpe euenit, vt vtilitas cum honestate certet, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit: ad hæc nunc faciamus gradum.

Cumque duo sunt hominum genera; alterum indoctum, & agreste, quod anteferat vtilitatem honestati, huic questus, emolumentum, fructusq, proponãtur: alterum humanum, & expolitũ, quod rebus omnibus dignitatem anteponat, huic honor, laus, gloria, fides, iustitia, omnesque virtutes proponentur. Omnes denique voluptate falluntur, sed præcipuè imperiti hæc enim, vt Plato censuit, *Esca est malorum, qua homines capiuntur, vt hamo pisces.*

Illud etiam videndum, quantò magis homines mala fugiant, quã bona sequantur Nemo enim est, qui tanto studio expetat honestatem, quàm euitet turpitudinem: acrior quidem est metus, quàm est spes, & ignominiæ, contumeliæ, infamiæ, dedecoris cõmemoratio multùm valet. Verũ, quia est genus hominum ad honestatem natum, prauis opinionibus corruptum, illud vnum nobis debet esse propositum, vt à bonis mala distinguamus, doceamusque viam, & consequendi bona, & euitandi mala: sin apud indoctos, imperitosque dicemus, fructus, emolumenta, vitationesque dolorum proferantur, addanturque contumeliæ, atque ignominiæ.

Deinde transeundum est ad agendi facultatem, qua fieri posse, rem declaremus, in quo causas, & earum vim iuxta normam tractatus de inuentione, manifestabimus. Excitanda est spes iuxta dicenda tractatu de affectibus, intentis semper oculis ad efficientiam, & adiumentum causarum. Quo toto genere, quibuscum socijs rem aggressuri, contra quæ impedimenta, vel hostes habeamus: quo tempore, loco, & facultatibus possumus vti, requirendum est. Nec solùm ea, quæ nobis suppetunt, sed quæ aduersantur videnda, & ex comparatione demonstrandum est, quæ suademus esse iucunda, facilia, & procliuia Eius rei pulcherrimũ exẽplum est Tullij contra Catilinã oratione prima in fine: *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, &c.*

Dissua-

Dissuasori etiam vtilitas labefactanda, aut ostendenda est magna difficultas in contentione boni, eisdem capitibus, ac in suasione dictum est, vtetur. Vterque tamen exemplorum magnam habeat copiam. Nam, vt ait Quintilianus, nulli generi æquè conueniunt, ac deliberatiuo. Succurrit Aristotel. Ethicor. 10. dicens, exempla multò magis mouere, quàm argumenta & verba. In hoc genere copiosissimus Cicero, cùm suasurus bellum contra Methridatem, multa statim adducit exempla, tùm etiam oratione pro Milone, quo ex contentione ostendat illi esse ignoscendum.

Ad commouendos autem animos sententias quærat Orator, quæ motum animis afferant: illæ sunt, quæ nobis optatos fines proponunt, vt si expellendę sint cupiditates, si satiandum odium, si vlciscendæ iniuriæ, quæ tria homines vehementer cupiunt. Quoties verò animi sunt reprimendi, debet Orator ostendere, quàm incertus sit fortunę status, quàm dubia euenta rerum fortunatarum, admonere vt suas fortunas retineant, & pericula euitent.

Cap. V. de locis à vero, quibus innituntur præcedentes causæ deliberationis.

HVmanarum actionum duo sunt principia: alterum ad verum propendet, alterum in bonum inclinat. Quodsi de veritate deliberationis & rationum ambigitur, tota ipsa forma suasionis imbecilla est.

Loci, qui ad vim intelligendi pertinent, & ex quibus rationes desumemus, sunt, *Verum, certum, credibile, seu fides, opinio, probabile, seu verisimile. suspicio, vel coniectura, lex naturæ, conscientia, communis apud omnes consensus, & notio.* His sunt contraria falsum, dubium, inopinabile, paradoxum, & id genus alia. Consideretur in deliberatione, an res, cui innititur deliberans, vera sit; an ex notitia & certitudine, & experientia dependeat: an plerumque contingat; an ab insita naturæ notione, quæ lex naturæ dicitur: vel à diuino iure confirmetur: an gentium consensus, & consuetudo stabiliat: an conscientia, quæ est mille testes, suadeat: an leges, quæ sunt rationis regulæ, succurrant. Hæc & opposita per vniuersa deliberationis fundamenta deducantur.

Cap. VI. de locis à bono in deliberatione.

QVi suadere, aut dissuadere quidpiam tentauerit, omnē boni & mali vim, partesque omnes cognitas, penitusque perspectas habere debet. Hic summatim bonorum & malorum genera at-

tingemus. In his certum & incertum spectandum est iuxta caput præcedens: maius & minus ex capite de comparatione tractatu primo: tandem tempus præsens, tempus præteritum, tempus futurum.

Loci facultatis appetentis, seu voluntatis sunt bonum, & malū, præsens, vel imminens.

Boni partes sunt, honestum, vtile, iucundum.

Honestum, indecorum, iustum, & æquum diuidimus. His contraria sunt turpe, iniustum, & iniquum.

In decoro sunt laudabile, honorabile, gloriosum: atque his sunt contraria illaudabile, vituperabile, humile, seu obscurum.

Decori partes sunt omnes virtutes morum, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, de quibus tractatu secundo diximus.

In iusto continentur debitū, promissum, pactum, & meritum.

Insuper Religio in Deum, pietas in parentes, obseruantia & amor in amicos, voluntas & studium in omnes.

Ad æquum pertinet consentaneum, siue cōgruum & par. Hęc circa honestum.

Sub vtili sunt secunda fortuna, quod commodū est, quod necessarium est: & his erunt contraria, infortunium, incommodum, non necessarium, & inutile: præterea remuneratio, gratiarum actio, & gratus animus. Hæc in bono vtili.

Sub bono iucundo sunt lætū, suaue, iocosum, gratulario: & his contraria triste, insolitum, nō lætum, & insuaue.

In bonis numerabis ea, quę circa virtutes, & corporis, animique fœlicitatē diximus tractatu secundo de genere exornatiuo.

Cap. VII. de exhortatione & dehortatione.

IAm cū suasimus, vt velint, exhortabimur, vt audeant; fit enim exhortatio ad acuendū stimulis ignauos, & timidos. His autē partibus constat. Primò, laude numerando præclarè gesta, vt opus aggrediatur ignauus: deinde nobilitate, splendore, sapientia, virtute, ætate, ex quibus monendus, vt perseueret.

Secundò, exhortabimur ab spe & metu, si exponamus decus, voluptatem, commodū: ex aduerso infamiam, reprehensionem, damnum, dolorem, si rem deliberatam fugiat, vel sequatur, simulq; extenuabitur labores, quibus difficultates euitentur.

Tertiò ab exēplis sui ordinis, professionis, patriæ, seu à pari, seu ab impari, in sexu, ætate, patria, circūstantijs, quibus mouebimus concitatius, tūm exhortabimur demissos animo viros.

Quartò, ab expectatione amicorū publica, seu priuata, qui à genere, indole, educatione, magistris, loco, tempore, & anteactis

rebus

rebus expectant deliberationis euentum.

Quintò, ab expectatione inimicorum, lætitia, insultatione, risu, maledictis. Si res in decore deficeret, frustra tẽtata deliberatione

Cõcludemus obsecratione obtestantes per nobilitatem gloriã, ingenij laudem, per amicorũ vota, &c. vt difficultates contemnant. Per eadem capita dehortabimur.

TRACTATVS QVARTVS DE GENERE IVDICIALI.

PLures sunt dicendi artifices, qui ideò de hoc iudiciali genere pauca sibi dicenda esse arbitrantur, quòd videant accusandi, & defendendi munus his temporibus ad Iurisperitos delatũ, qui non tàm dictione, quã scriptione non oratoria, sed potiùs dialectica, aut ne dialectica quidem, sed alia quadam ratione iudiciales causas testimonijs authorum onustas tractant. Quæ etsi ita sint, hoc genus negligendum esse non censeo, cùm eius diligens tractatio summas habeat vtilitates coniunctas. Et nos qua breuitate potuerimus, resecatis pluribus, absoluemus.

PRIMA PARS DE GENERE IVdiciali non mixto.

Caput I. Quid status sit in causa iudiciali, & quot statuum genera, & diuisiones?

STatus est totius orationis prima quæstio ex contentione litigantium nata. Ille simpliciter censendus est alicuius causę status, qui eam continet quæstionẽ, ad quam tandem omnia, quæ in tota causa dicuntur, referri debent: id, inquam, quo vtraq; pars sua argumenta tandem dirigit & id, vbi causa sistit.

Hæc ad explicandum statum sufficient, dissimulatis innumeris definitionibus, quæ apud antiquos ventilatæ sunt: nunc vnã,

nunc

nunc alteram sequutus est Tullius.

Circa statuum numerum, tam variæ,& tot extiterunt Rhethorum sententiæ, vt Quintilianus lib. 3.cap.6. nullam magis dubiã crediderit in tota arte dicendi quæstionem. Alij decem iusta rerum genera cum Philosophis collocant; alij quinque numerant cum Theodoro: quatuor alij cum Hermogene; alij sex, alij plura, vel pauciora. Ego cum Tullio, lib. de inuentione, & in procemio,lib.1. de oratore, tria quæstionum genera constituo, primò, *An res sit?* Altero, *Quid sit?* Tertiò, *An ita, seu qualis sit?* Hũc numerum Quintilianus, probat lib. 3. cap. 6. & Victorinus, non ignobilis Rhetor. Rationes robustæ in alijs plures, sed doctrinæ declaratio maior hic necessaria. Cùm longè aspicimus, primum quidem videmur aliquid videre, sed an aliquid sit, an fallamur, dubitamus; vbi verò magis accessérimus, non continuò scimus, an homo sit, vel arbor; postea cùm perspicimus hominẽ esse, tacitè nobiscum quærimus, sit ne peregrinus, an ciuis, notus, an ignot⁹, propinquus, an alienus, quib⁹ perspectis nihil aliud desideramus. sic in cognoscẽdis rebus, primò qui dẽ venit in mentem, sit ne omnino illud, de quo quærimus; deinde hoc explorato, inuestigare conamur quę sit eius definitio atq; natura; postremò, scire optamus quale sit in accidẽti, proprietateq; singulari, quę naturã comitať.

Statuum diuisiones plures, velut quæstionũ. Aliæ quæstiones consistens dicuntur, quas orator defendẽdas posśit suscipere; aliæ non consistentes, & instabiles dictæ, cũ vel accusator, vel defensor nil habent, quo niti securè valeãt. Huius diuisionis D. August. meminit lib. de principijs. Deinde status diuiduntur in iuridiciales, & negotiales. Iuridicialis idẽ prorsus est, quod status qualitatis, in quo ęqui & recti natura, aut pęnæ ratio quæritur. Negotialis est, in quo, quid iuris ex ciuili more, & æquitate sit, consideratur. Sed in Topicis, & lib. de partitionibus, negotialem sub iuridiciali statu cõplexus Tullius.

Status qualitatis duas habet partes, quarũ vna absoluta, altera assumptiua nominatur. Status absolutus est, cùm factum ex se suaq; vi defenditur, nihil extrinsecus adiecto, vt, *Verberaui filiũ, quia parentibus licet.* Status qualitatis assumptiuæ est, cùm ad factum defendendũ aliqua extrinsecus sumitur ratio, vt in oratione pro Milone, extrinsecus sumpta est ratio ad defendendum factum, quòd liceat aggressorem, & improbum ciuem occidere.

Duo grauiśsimi dicẽdi Magistri Tullis & Quintilianus dissentiunt, an in causis qualitatis, status, ex prima, vel secunda conflictione nascatur? seligat quisq;

quam maluerit sententiam in re omnino nobis superuacanea.

Cap. II. de status coniecturalis vi, atque natura, & de coniectura ex causa.

STatus hic solet his nominibus appellari: *An sit, de facto, coniecturalis, inficialis,* quo duo inuestigamus, vel an aliquid sit, vel an ab aliquo factum sit. Est coniectura, vt Hermogeni placet, *Probatio de existentia incertæ rei, ex signo aliquo manifesto, vel ex suspicione de aliqua persona concepta.* Posset reperiri status iste in deliberatiuo, & demōstratiuo genere, Authore Tullio 2. de Oratore. In causis iudicialibus coniectura potissimū est de præterito; de futuro rarò. In hoc genere orator nō solū vtetur signis probabilibus, sed etiā necessarijs, vt docet manifestissima Aristotelis authoritas lib. 1. Rheto. cap. 2. cui subscribit Tullius in partitionibus.

Tullius omnem coniecturā capiendam esse censet, ex causa, ex persona, ex facto.

Causa est, authore Tullio, *quæ homines ad aliquid faciendum permouentur,* & distribuitur in impulsionem, quæ habet repentinū, & involuntarium motum, vt amor, iracundia, violentia; & in ratiocinationē, seu voluntatem, quæ cū temeraria esse non debeat, sed cōsulta, consilium dicitur, quod est diligens faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio, vt si inimicitiæ, vindictæ, metus, gloriæ, pecuniæ causa fecerit; vel denique causa alicuius adipiscendi, augendi, retinendi cōmodi: aut contrà, reijciendi, diminuendi, deuitandi ve incommodi. Hic locus est fundamentum constitutionis; nam nihil factū esse cuiquā probatur, nisi quare factum sit ostēdamus.

Primò, accusator cū aliquid impulsione factum esse dicet, impetum animi verbis & sentētijs amplificabit, ostendens, quanta sit vis amoris, &c. Secundò, commemorentur exempla eorum, qui similli impulsu aliquid cōmiserint. Tertiò, fiat similitudinum collatio, affectuum explicatio, vt non videatur mirum, si quod ad facinus, tali perturbatione, commotus animus accesserit.

Cū autem ratiocinatione aliquid commisisse dicitur, quid cōmodi, aut incommodi assecutus fuerit, vel fugerit, demonstrabit, & id augebit quàm maximè, vt quam gloriam, dominationes, amicitias, inimicitias speraret. Secundò, quid in opinione eius fuerit vehementius, etsi res ipsa fieri nō posset; nam opinio fallit homines; aut cū res eiusmodi non est, ac putatur, vel euentus non is est, quem sumus arbitrati. Tertiò, illud erit caput accusatori, si demōstrare poterit alij nemini causam fuisse faciendi, ac tam idoneā nemini fuisse, quinimò coniecturis, & argumentis potestas alijs defuisse demonstranda est, ob igno-

rantiam, absentiam, impotentiã, vel saltem facultas, quia ratio, adiutores, adiumenta, & cætera defuisse demonstrabuntur: vel denique voluntas etiam, aut animus non fuisse declaretur. Quartò, videatur quæ fuerit spes celandi. Quintò, qui contemptus pœnarũ ex fiducia amicorũ, potentium, affinium. Sextò, quam occasionẽ, locus, tempusq; tribuerint. Septimò, quos euentus honoris, famæ, vtilitatis, voluptatis sibi proponeret. Postremò, quas ad defensionem rationes reo dabimus, ijs accusator, ad alios ex culpa eximendos, abutetur. Verũ id breui faciendum est, vt ne alterius defendendi causa hunc accusare, sed huius accusandi causa, alterum defendere videamur.

Defensor autem ex contrario vel nullã dicet fuisse impulsionẽ, vel extenuabit: aut nõ ex ea, huiusmodi nasci facta docebit. Quo in loco demonstretur, quæ sit vis & natura eius affectionis. Exempla & similitudines proferantur, &c. Ratiocinationis suspiciones infirmabit, si nullum ostendat fuisse commodum, vel parũ, &c. ita vt omnia eodem ordine, quo aduersarius euertebat, ipse confirmet. Hæc ferè omnia ex Tull.

Cap. III. de coniectura ex persona.

EX persona coniectura capitur, si illa personæ attributa, quæ tractatu 2. diximus, diligenter considerabuntur: nam & de nomine suspicio nascitur, ac de natura, & reliquis.

Accusator (vt Tullij verbis ad cõpendiũ redactis vtar) ex anteactis improbabit vitã, ostendens si in quo pari antè peccato reus cõuictus sit, vel maiori, vel minori, aut pari. Secundò, numerẽtur prauæ de illo suspiciones, alleuetur authoritas, cũ discurret per capita illa decem laudandæ, vel vituperãdæ personæ. Tertiò, si nulli affinis poterit reus vitio antè admisso demonstrari, locus inducitur ille, per quẽ hortandi iudices, vt putent veterẽ hominis famam nihil ad rem pertinere; nã eũ antè celasse, nunc manifestò teneri: quare non oportere hanc rẽ ex anteacta vita spectare, sed superiorem vitã ex hac re improbari, & aut potestatẽ non fuisse antè peccandi, aut causam; aut si hæc dici non poterunt, dicẽdũ est illud extremũ non fuisse mirũ, nunc primũ delinquere: nã necesse est illũ qui velit peccare, liquãdo primũ delinquere. Quartò, si vita anteacta ignoretur, hoc loco prætereito, & cur prætereatur, demõstrato, argumentis statim accusationẽ cõfirmare oportebit. Quintò, spectẽtur mores officij, vel nationis, vel sodaliũ. Sextò, aliorũ testimonia, vel suspiciones proferantur.

Defensor primũ, si poterit, debebit vitam eius, qui insimulabitur, quã honestissimã demonstrare. Secundò, ostẽdat nota eius aliqua, & cõmunia officia, quod gen⁹

in parentes, cognatos, amicos, vicinos, affines, necessarios, quę magis rara, & eximia, si labore ac periculo facta. Tertiò demõstretur defuisse facultas, aut volũtas. Hoc ipsum genus erit eo firmius, si eo ipso genere, quo arguitur, integer antea fuisse demõstrabitur. Quartò, hic cũ grauitate inducetur indignatio iuncta conquestioni per quã miserũ facinus esse, & indignũ talem famã subita criminatione maculare dicatur. Quintò autẽ in anteacta vita aliquæ turpitudines erũt, aut falsó venisse in suspicionẽ dicetur, aut ex inuidia, obtrectatione, falsa opinione, imprudentia, necessitudine, persuasione, adolescẽtia, & nõ malitiosa affectione. Sextò, ac si nullo modo vitæ turpitudo, aut infamia leniri poterit oratione, negare oportebit, de vita eius, & morib⁹ quæri; sed de eo crimine quo arguatur: quare ante factis omissis, illud quod instet agi oportere

Cap. IIII. de coniectura ex facto.

Ex facto suspiciones ducẽtur. Primò, si negotiũ ex omnibus partibus petatur ex genere, ex continentibus circũstãtijs, ex antecedentibus, ex spe perficiendi nata, & facultate faciendi quæsita. Secundò, quid in ipsa re gerẽda, quid postea cõsecutũ fuit, spectabitur. Tertiò, locus, tẽpus, occasio, facultas, euentus, & quæ sit consuetudo, lex, actio, artificiũ, ausus exercitatio, hominum approbatio, offensio. Quartò sumũtur etiam suspiciones ex personarum attributis, ex fortuna, natura, victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio, habitu corporis, & animi. Quintò, quæratur etiãsi potuerit fieri: deinde à quo alio, & quæ in alijs facultas. Sextò, si spem celandi haberet? Septimò, an necesse fuerit fieri, vel ita fieri? Octauò, quã ante sermonis causam quæsierit, cur diuerterit, exierit, cur hoc modo potiùs quã illo? cur nullo adiutore, aut cur hoc? cur nemo conscius? cur ante vel post factũ? constetne oratio, aut signum illius? Horum argumentorũ pars probabili, pars necessario genere continetur. Nonò, accedunt ad coniecturã, quæstiones, testimonia, rumores.

Distinguitur hæc causa maximè in dicendis locis cõmunibus, vt suspicationibus credi oportere, & nõ oportere; testibus credi oportere, & nõ oportere, quęstionibus credi oportere, & nõ oportere; vitã anteactã spectare oportere, & nõ oportere: hi quidẽ & alij huiusmodi, ex proprio argumẽto cõmunes loci nascẽtur, qui in contrarias partes deducantur.

Certus autẽ locus accusatoris est, perquẽ auget facti atrocitatẽ, & quem negat malorum misereri oportere: defensoris, per quem calũnia accusatoris cum indignatione ostenditur, & cum cõquestione misericordia captatur.

Cap.

Cap.V. de statu diffinitiuo circa rationes.

CVm est nominis controuersia, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiua dicitur. In hoc statu inuestigatur rei natura per definitionẽ, quę in Rhetorũ scholis familiaris est, vel declarata vi nominis, vel adducta in medium aliqua ex illis definitionibus, quas tractatu primo commẽdauimus. His ferè nominibus status ille solet appellari: *De proprietate* ab Hermagora, & Theodoro: ab alijs, *Quid sit*: ab alijs, *Status definitionis*, seu *definitiuus*: ab alijs, *nominis quæstio*. Breui & succincta forma sic ipsum definimus: *Est quæstio, cuius explicatio à sola definitione pendet, per quã, quid res sit, aut quo nomine appellari debeat, statuitur.* In hoc genere exordiendum erit primò; deinde narrãdum factum. Tertiò, proponendum, ac partiendum. Quarta nostra definitio confirmanda, & cũ facto conferenda erit. Quintò, contrariæ definitionis ratio expellenda, vt falsa, turpis, iniuriosa. Denique perorandum: sed hæc explanemus ampliùs pro accusatore & defensore.

Primus accusatoris locus est nominis, cuius de vi quæritur breuis, & aperta, & lex hominũ opinione definitio, cui succedet confirmatio. Deinde factum eius qui accusabitur, adiungere oportebit, cui etiã iungetur sua confirmatio, per quã ipsius facti atrocitas, seu indignitas, & culpa cũ indignatione augeatur. Tertiò, infirmanda est aduersariorũ descriptio: id fiet, si falsa demonstretur ex hominũ opinione, si turpis, inutilis, incõmoda. Quartò, fiet cõparatio cum nostra definitione. Quintò, insimuletur aduersariorũ arrogantia: quę & faciat quod velit, & quo velit nomine, appellet.

Defensoris primus locus est breuis, & aperta nominis, & ex hominum opinione descriptio. Deinde confirmabitur similibus exẽplis, & rationibus. Tertiò, adiungetur sui facti ab illa definitione separatio. Quartò, locus cõmunis, per quẽ facti vtilitas, aut honestas adaugetur. Quintò, aduersariorum definitionis reprehẽsio, cũ indignatione, conquestione. & alijs locis communibus.

Cap. VI. de ambiguo circa scripta, voluntates scriptoris, leges contrarias, ex Tull. & Hermog.

IN scripto versatur cõtrouersia, cũ ex scriptionis ratione aliquid dubij nascitur. Sunt verò cõtrouersiæ quinq;, *Ambiguitas, scriptum, voluntas, leges contrariæ, ratiocinatio, & definitio.*

Scripti controuersia est, cũ in vnoquoq; chyrographo dubium nascitur, vt in legib⁹, testamẽtis, pactis, edictis, & cæteris, quæ in scriptura sunt. Principalis ambiguitas est, cũ quid sẽserit scriptor,

dubium est, ideo quia duas, vel plures res significat.

Quæ succedunt omnibus, sunt communia pro intentione & depulsione. Primò vt negemus ambiguũ, & doceamus locutionis cõsuetudinẽ. Secundô, vt superiora & inferiora verba consideremus, ex quibus colligamus, quæ sit vera sententia. Tertiò, excutiamus personam eius qui scripserit, vt ex cęteris dictis, factis, scriptis, animo, atque vita, quid senserit, posſit colligi. Quartò, excutiamus omne scriptum, ne in aliquo verbo nos adiuuet, & impugnet aduersarium. Quintò, dicendum id quod aduersarius intelligit, minus commodè fieri, quàm quod nos intelligamus. Sextò, id, quod nos interpretabimur, docebimus esse magis honestum, vtile, necessarium. Septimò, dicemus, quemadmodum scribi oportuisset, si id sentiret, quod aduersarij dicunt. Octauò, quæramus quo tẽpore scriptum sit id, quod scriptũ est, quia ex hoc intelligitur voluntas scriptoris. Denique quasi deliberatiuo modo tractandum, quid honestius & vtilius.

Ambiguitas hæc, cùm in vtrãque partem verbi significatio, & potestas reijcitur, examinanda est: nam vel oritur ex pronuntiatione, vel accentu: vel ex nomine nimis antiquo, & inusitato; vel ex multiplici significatione, quæ magnas parit controuersias; vel ex multiplici appellatione, cùm vna res pluribus vocibus nominatur; vel ex varia constructione, vel ex compositione, & diuisione, vt si dicas, *coruinum* aliud est, ac separatè cor vinum; vel ex abundantia & deficientia; vel denique ex repugnantia.

De ambiguitate dictum est: superest, vt scriptum & voluntas explicentur, siue in legibus, siue in testamentis, siue in edictis. Hoc controuersiæ genus definiuit ita Tullius: *Cùm alter vtitur verbis quæ scripta sunt; alter scriptoris sententiam interpretatur, & ad id, quod scriptum est, animum scriptoris adiungit.* Præcepta eius, qui scriptum defendit, & scripto se tuetur, sunt laudes scriptoris, quibus doceatur, nihil à iudicibus spectari oportere, nisi legitimum scriptum.

Secundò, inducatur factum ab aduersario.

Tertiò, comparetur cũ scripto.

Quartò, dicetur quòd iudex in legem iuratus sit.

Quintò, interrogabitur quid sit, quod ex aduersa parte dicatur, idque modis varijs, modò iudicẽ interrogãdo, modò aduersariũ, modò se ipsum cum admiratione. Interrogetur etiam an neget scriptum, vel factum, & quanta sit dementia contradicere.

Sextò, sit crebra ratiocinatio scripti, & cõparatio facti cũ scripto, vario modo, nũc ad te ipsum vt redeas, nunc ad iudices ista tractes.

Septi-

Septimò, ſubiunguntur, quæ cõtra eũ dicũtur, qui vtiturſentẽtia, receditque ab ſcripto, vt quia de ſcripto conſtat, de volũtate etiã ſcriptoris cõſtare neceſſe eſt.

Octauò, ſi à ſcripto recedatur, iudices incertum ſequentur, & ſcriptores nil ratum relinquent.

Nonò, magis eum voluntatem ſequi, qui ſcripta defendit, quàm qui interpretatur, cùm certius ſignum ſcriptum ſit.

Decimò, poſt hæc tres locos debet afferre, qui pro ſcripto nititur: ſunt autem ij, nulla in lege cauſam contra ſcriptum accipi, & in hac lege non accipi, & hanc cauſam minimè accipi. Ac primò nulla in lege cauſam accipiendã eſſe probatur, quòd nec ſcriptori defuerit ingenium, neque ſermo. Recitet aliam legem, quærat exceptionem, examinet, definitionẽ inducat, ac nihil aliud eſſe cauſam accipere, quã legem tollere: idq; fieri, ſi cauſa accipiatur, quæ extra legem eſt, id eſt, ſcriptũ: dari etiam omnibus peccandi licentiam, iudicibus errorem immitti, omnes ciues, quid agant, ignoraturos. Deinde quæratur à iudicibus, an aduerſarijs permittant ad dere cauſas, quibus ſe defendant, quód ſi ipſi non permittant, iniquum erit, vt ita illi iudicent, ſic etiam derogatur lex in vituperationẽ veniẽs, abrogatur tota penitus ablata, cõmutatur etiã, ac præuertitur. Deniq; nihil noui fieri poſſe ſine populi conſenſu.

Secunda pars, in quà oſtendendum eſt, etſi in cæteris legibus oporteat, in hac nõ oportere accipi cauſam, demonſtrabitur, ſi lex aut ad res maximas, vtiliſsimas, honeſtiſsimas, religioſiſsimas videbitur pertinere, aut inutile, nefas, turpe eſſe non obtemperare.

Tertia pars ei, qui pro ſcripto dicit, maximè neceſſaria eſt, per quam oſtendat, oportet, ſi conueniat cauſam contra ſcriptum accipi; eam tamen minimè oportere, quæ ab aduerſarijs affertur, ex ęquitate, comparatione, remotione, aut relatione criminis, aut conceſsione, & alijs, de quibus infra latiùs dicemus.

Qui veró cõtra ſcriptum dicit pro voluntate ſcriptoris, is primò oſtendet æquitatem cauſę. Secundò, aſſumptiuæ partis pręcepta ſeruabit, quæ poſtea dabimus. Tertió, tres illos cõparet locos, quibus vſus eſt, qui ſcripta defenderat: & ex contrario doceat & cauſas accipi, & in hanc legẽ accipi debere, & hanc cauſam accipi debere. Quartò, omnia ſupplicia malitiæ, vindicandæ cauſa conſtituta, hîc nullam eſſe malitiam. Quintò, ſcriptorem, ſi hodie pręſens eſſet, factum ſuum probaturum. Sextò, hac de cauſa viros bonos, electos ætate, & dignitate, non vt ſcripta legis recitarent, ſed interpretarentur. Septimò, ſcriptorem non barbaris & ſtultis commiſiſſe ſcripta; ſi enim hoc crederet, diligenter

cuncta exequeretur, nunc quædam posuisse, quibus etiam non scripta cognosci posſint. Octauò, quid faciendum, cũ propter necessitatem, vel honestatem ostenditur, recedendũ fuisse ab scriptis. Nonò, nõ posse omnes leges omnia cõprehendere, vel excipere, sed esse naturaliter legibus cũctis exceptiones tacitas. Decimò, neque sermo hominum, neque scriptũ aliquod planè se exprimit, aut eloquitur voluntatẽ, sed ex scriptis expectari reliqua, quæ in volũtate intelligi possunt. Vndecimò, vtilitatis & honestatis partes explicãdæ sunt, in quibus docebimus, quid nos fecimus, & quid aduersarij velint, & nostrũ votũ vtile, aduersariorũ inutile demonstremus. Duodecimò, non literas nos sequi debere, quę tenues sunt & obscuræ notæ voluntatis, sed ipsam illã voluntatẽ: deinde induces legis definitionẽ, vt potiùs voluntas, quã scriptũ videatur. Ad hæc, iudices deseruire legi ad explicandã voluntatẽ. Decimotertiò, non oportere supplicio affici illum, contra quẽ expressa nõ sit lex. Decimoquartò, dabimus operã, vt scriptum ipsum ad eã, quam conamur voluntatem conuertamus. Id fiet, si ambiguum in scripto inuentum fuerit, aut per collectionem ex eo quod scriptũ est id, quod scriptum nõ est, ostẽditur. Decimoquintò, derogabit orator de æquitate partis aduersæ, & adducet locos communes ex partibus assumptiuæ qualitatis, & addet alios, veluti leges in consilio scriptoris esse, & vtilitate communi. Deinde indignũ esse æquitatem literis premere. Denique concludetur iterum probando dictam partitionem, & accipi causam, & in hanc legem accipi, & hanc causam accipi.

Cũ leges, vel scripta contraria sunt tractatus talis erit, vtra lex vtilior, honestior, magis necessaria, ad plures res pertineat, vtra ad maximas, vtra posterior, vtra lex iubeat, vtra permittat, vtra vetet. Considerandum etiam est, vtra lex de parte constituta sit, vtra de omni re, vel actu, vtra lex specialiter scripta sit, vtra generaliter. Hæc, & similia, cũm explicata fuerint, dabit operã, vt vnaquæque pars, quæ pro sua lege nititur, manifestet, legem suam iustam esse, aduersariorum iniustam, obscuram, ambiguam: fiet comparatio nostrę legis, cum lege aduersarij, sic vt quæ vetat, fortior sit, quã quæ permittat, iuxta pręscripta Theologorum.

Ratiocinatio est etiam controuersia ex scripto, cũ ex eo, quod scriptum est id, quod scriptũ non est, colligitur. Loci argumentorum sunt tales. Primus, vt scriptum laudemus, & cõfirmemus. Secundus, vt conferamus cum facto, quod colligim⁹ ad scriptũ. Tertius, simile esse doceamus. Quartus, si æquum sit hoc, illud

quoque æquum iudicemus. Quintus, dicamus cur, cum de hoc scribatur, de alio scriptum non sit, quia scilicet videbat scriptor cõstare. Sextus, plura accipi in legibus, ac si non sint ommissa ex ijs, quæ scripta sunt.

Qui contra pugnat primò, tollat similitudinem. Secũdò, ex eo quod scriptum est, non debere accipi id, quod scriptum non est. Tertiò, periclitari omnia iura, si similitudines accipiantur. Quartò, euertantur fundamenta opposita. Quintò, omnia ab aduersario tractari per coniecturam, & diuinationem.

Cap. VII. *De statu qualitatis, & quid, & quotuplex sit, ac de omnibus eius partibus in genere.*

PEr hunc statum non rei existentiam, non naturam, sed solam qualitatem quęrimus, & accidentia; & qui nec coniectura, neque definitione se defendere poterit, hic vnicus restat modus, vt qualitate se tueatur. Qualitatis nomine intelligitur quicquid ad rei naturam non pertinet, & solet his nominibus appellari: *Status consecutionis, generalis defensio, status iuridicialis, constitutio de recto, status rationis*. In deliberatione, demonstratione, & iudicio status iste reperitur.

Quæstio, qua de facti qualitate ambigitur, si tractetur demonstrando factum sua vi, atq; natura esse rectum, absoluta dicitur: si extrinsecus assumantur auxilia, assumptiua nominatur. Illius prioris exemplum habes in Planciana, vbi accusator ait iniuria factus es AEdilis? defensor respondet iure sum factus, populus enim hoc potuit, qui iure me AEdilem creauit. Est etiam hoc constitutionis genus in Archiana & Quintiana. Posterioris exemplum habes in Miloniana, vbi orator non ait Milonem iure occidisse Clodium, sed rem assumit extraneã, ideo occidere licuisse, quòd insidias pararet. Sunt hic innumera, quæ aboratoribus antiquis tracta ta sunt. Ego reiectis, quæ minus necessaria videbuntur, ea solùm percurrendo describam, quæ plerique desiderare solent: multa enim ad nostra tempora non satis accommodata antiqui dixerunt.

Absoluta contingit, cùm id quod factum est, vt aliud nihil foras assumatur, rectè factum esse dicimus. Cuius partes sunt, naturæ ius, quod religionem, pietatẽ, gratiam, vindicationem, veritatẽ complectitur. Secundo, leges, Tertiò, consuetudines. Quartò, iudicatum, cùm sententia est lata, vel decretum. Quintò, pactũ, si quid inter duos, vel plures conuenit. Sextò, cùm ex æquo, & bono ius constat, quod ad vtilitatẽ communem videtur pertinere.

Assumptiua constitutio, vt diximus, est cum per se defensio est

est, cùm per se defensio est infirma, sed assumpta re externa comprobatur. Eius partes sunt quatuor. Prima est concessio, cùm nobis ignosci postulamus: hæc in purgationem diuiditur, & deprecationem. Purgatio est, cùm non factum, sed voluntas defenditur; vel ex fortuna, & casu, vel ex imprudentia, quærentes, an potuerit reus nō scire? an casu nescierit, vel culpa, vel ex necessitate? an culpa in eam ventum sit ignorantiam, vel vis illa vitari potuerit; altera pars concessionis est deprecatio, cùm peccasse, & consilio fecisse confitetur, & tamen ignosci postulat ob pristina merita; vel à comparatione, quia plura, vel maiora officia, quàm maleficia; vel ab atributis personæ, si qua erit virtus in eo qui supplicabit; vel à causa ratiocinatiua, si qua erit spes melioris vitæ; vel ab honesto, si ipse se supplex, mansuetus; vel ab excusatione, vel à simili venia, vel laudabili, si nulla ex venia ostendatur vituperatio.

Secunda pars assumptiuæ constitutionis est translatio criminis, cûm fecisse nos non negamus, sed aliorum peccatis coactos fecisse dicimus. Primò, quæratur, an iure crimen in alium transferatur? Secundò, an æquè magnum sit peccatū, quod in alterū cōferatur? Tertiò, an oportuerit in illa re peccare, in qua, quis ante peccarit, lege lib. 2. Rhet. ad Herenn.

Tertia pars assumptiuæ constitutionis ex remotione criminis constat, cùm eius intentio facti, quod ad aduersario infertur, in aliū, aut in aliud, dimouetur: si in aliū, id est, hominē, causa confertur, quæretur quonā modo, honestè, an sine periculo potuerit obsistere; nū cōsultò res facta sit; & alia ex coniecturali causa iungantur: si conferatur in aliud, id est, rem, quæ de necessitudine dici solent, considerentur.

Quarta pars est comparatio criminis, cū dicimus necesse fuisse alterutrū facere, & id quod fecerimus, satius fuisse facere. Hæc fusiùs ex Tullio postea declarabimus.

Tandem vt omnia in genere dicta sint, aduertas, velim has esse partes constitutionis legitimæ. Prima ab scripto, cùm voluntas scriptoris ab scripto dissentire videtur. Secundò à sententia, quæ breuis est cum affectu declaratio iudicis. Tertiò, à legibus contrarijs, cùm inter se discrepent. Quartò, ab ambiguo, cùm scriptum in plures sententias trahi potest. Quintò. A definitione, non illa Dialecticorum, quam Quintilianus seruitutem appellat lib. 7. sed Rhetorum, qua varijs verbis res dilucidatur, dum vis rei, vel nominis iudici, vel auditori cognita sit, de quib⁹ nō nihil dictū supra.

Cap. VII. De dispositione partium orationis in genere iudiciali.

IN iudicijs duplex est collocatio, altera accusatoris; altera defensoris.

Accuſator ſolet ordinẽ rerũ in accuſãdo perſequi; vt quod prius cõmiſſum eſt, prius explicet; vel vt omnia crimina quæ ſunt eiuſdẽ generis, conijciat in eundẽ locũ; deinde proponat argumẽta, quæ acriter concludat, & teſtimonijs corroboret, & vnũ quodq; amplificet; tandẽ in reum iudicum animos concitet.

Rerum ordinem ſecutus Cicero, cùm Verrem accuſat, vt primò quid in quæſtura turpiter geſſerit, explicet, deinde quid in legatione; tùm in prætura vrbana; denique quid in Sicilienſi prouincia. Ipſam verò Sicilienſem adminiſtrationem, pro qua accuſationem ſuſceperat, quatuor in partes diuidit. Primò, explicat quæ ad iurisdictionem attinent; deinde, quæ ad rem frumentariam; tùm quæ ad ſigna deorum ablata; poſtremò, quæ ad ſupplicia ciuiũ Romanorum, quæ omnium grauiſſima.

Propoſitionem criminum habet perſpicuam, tertia actione in Verrem, ibi enim ordine, quo diximus, proponuntur turpiter facta Verris in hanc formam. *Quæſturà, primus gradus dignitatis, quid aliud in ſe habet, niſi Cneium Carbonẽ ſpoliatum, à Quæſtore nudatum, & proditum Conſulem, deſertum exercitum, relictam prouinciam, ſcortis receſsitudinem, Religionemque violatam?* Deinde ita de legatione. *Cuius legatio exitium fuit Aſiæ totius, & Pamphiliæ, quibus in prouincijs multas domos, plurimas vrbes, omnia fana depopulatus eſt.* Iam de prætura vrbana. *Quæ ædium ſacrarum, publicorumque operum depopulatio? ſimul iniure dicendo bonorum, poſſeſsionumque contra omnium ſtatuta, addictio, & condemnatio?* Denique de Sicilienſi prætura: *Iã verò omnium vitiorum ſuorum plurima, & maxima conſtituit monumenta, & indicia in prouincia Siciliæ, quam iſte per biennium vexauit, ac perdidit, vt ea reſtitui in antiquum ſtatum nullo modo poßet.* Quæ ſcelera deinde acriter concluduntur, atque amplificantur, vt poſt Quæſturæ crimen. *O ſcelus! ó portentum in vltimas vſque terras deportandum! non poteſt ea natura, quæ tantum facinus commiſerat, hoc vno ſcelere eſſe contenta.* Et poſt Philodomi condemnationem, *Quid lachrymarum putatis ipſum Neronem profudiße? Quem fletum totius Aſiæ fuiſſe? Quem luctum & gemitum Lampſacenarum?* Hæc confirmantur tabulis ipſius Verris, decretis, teſtimonijs. Debet accuſator in ſingulis criminibus immorari, & ea amplificare.

Defendere difficilius eſt quàm accuſare, ſicut ſanare difficilius quàm vulnerare. Defenſor & Patronus ſic inſtruendus, vt totum exordium conſumat in mitigando iudice, & concilianda beneuolentia. Denique ad narrationem accedendũ eſt. Tertiò, ad cõfirmationẽ, in qua laborãdũ eſt, vt crimina diluãtur, vel falſa oſtẽdantur, vel diminuãtur, vel defendendo

obſ-

obſcurabuntur; vel ſi nihil fieri poſsit, digreſsionibus eſt vtendum. Denique perorationibus commouenda miſericordia. In exordio captatur beneuolentia, vel cõmemoratis rei virtutibus, vt in oratione pro Milone, & in oratione pro L. Flacco, ſocium, atque adiutorem ſibi in patria liberanda oſtendit, quod idem in exordio pro Sextio facit. Aliquã do patronus non à perſona rei, ſed à ſua ſumit exordium, vt pro Archia poeta, & Deiotario. Nonnunquam ab aduerſarijs ipſis exordium ſumitur, vt pro P. Quinctio, & in oratione pro A. Cæcina, ſtatim aduerſariũ criminari incipit. Interdum à re ipſa defenſor incipiet, vt pro A. Cluentio; interdum ipſos iudices patronus laudat, vt pro domo ſua ad Pontifices: ſed nullum eſt artificioſius exordij genus ad beneuolentiam conciliandam, quàm cùm reus oſtendit voluntatem ſuam, cum iudicum voluntate ſemper fuiſſe coniunctam, quod pro Cn. Plantio Cicero fecit.

Narrationes, ſi pro nobis faciunt, dilatentur, vt pro Roſcio Amerino, pro P. Quinctio, & pro Milone; ſi lædunt, relinquantur, vt pro Muræna Cicero nulla narratione vſus, ſed poſt exordium refellit aduerſarios, & ita pro Deiorato totam narrationem prætermitiit. Si partim adiuuant, partim offendunt; pars quæ offendit, amputanda eſt, vt pro Cælio non nullæ ſunt narrationes, quas Cicero breuiter proponit, & ſtatim refellit.

Iam verò firmamenta, quę poſuit accuſator ad fidem faciendã, tribus modis à defenſore tractantur; vel ſi defenſor per ſe diluat, oſtendens eſſe falſa, vel obſcurat; vel digreſsionibus obruit: ſed omnium tutiſsimum eſt, vt ait Quintilianus, ſi crimina negare poſsimus, vt Cicero pro Roſcio Amerino, negat patrem interfectum; pro Deiotaro, negat Deiotarum de interficiendo Cæſare cogitaſſe. Quæ per ſe diluere non poſſumus, obſcurare contendemus, vt Cicero gloriatus eſt in cauſa Cluentij ſe tenebras iudicibus offudiſſe. Pro L. Muræna, cum negare largitionem non poſſet, negat ambitum à Muræna commiſſum, ſed liberalitate, & magnificentia populi Romani voluntatem conciliatam. At ea crimina, quæ neq; per ſe negare, neq; obſcurare poſſimus, digreſsionibus obruere tẽtabimus, vt pro Lucio Muræna, Seruio Sulpicio autoritatem adimit, dum ius ciuile facetiſsimè irridet, & Marco Catonè, dum diſciplinam Stoicorum deridendam propinat iudicibus, atque totum iudicium riſu diſſolutum eſſe dicitur: vel rem aliquam triſtem in medium adducemus, vt pro Cælio, cùm dixiſſent aduerſarij venenum à Clodio comprobatum in ſeruo quodam; ſtatim Quinti Metelli interitum deplorare in-

cipit,

cipit, vt digreſsione crimē obruat, & diſsimulantur etiam artificioſe crimina, cùm aut rem pro perſona, aut perſonam pro re ſubijcimus; aut rem pro re, aut perſonā pro perſona.

In perorationibus miſericordia commouenda eſt, de qua tractatu de effectibus dicemus, & ſunt illuſtria exempla apud Tullium, vt pro Cn. Plautio, pro P. Sylla, & pro L. Flacco, pro Milone. Neq; verò leges iſtæ ſeruandæ ſunt, vt nonnunquam aliter non collocentur; tota enim popularis debet eſſe oratio. Quare Tullius pro Milone, priuſquam narret, præiudicia refutat, & pro Sylla vltimo fere loco verba facit de eius vita. Legantur quæ in Cicerone ſunt in Bruto de Marco Piſſone.

Cap. IX. *De partibus qualitatis aſsūptiuæ, ex Tullio & Hermogene comparatio.*

ASSumptiuæ qualitatis partes diximus eſſe quatuor his nominibus appellatas: comparatio, relatio criminis, remotio criminis, cōceſsio. Comparatio eſt, cùm aliquod factum, quod per ſe ipſum non ſit probandum, ex eo cuius cauſa id factum eſt, defenditur.

Hoc cauſæ genus ex ijs locis tractari poteſt. Primò, oportebit adhibere cæterarum conſtitutionum rationem, atque præcepta, ac maximè ſtatus coniecturalis, infirmando illud quod obijcitur. Id fiet, ſi id quod dicunt defenſores futurum fuiſſe commodi, aut honoris, niſi id factum eſſet, negabitur futurum fuiſſe; aut ſi alia ratione, ac ſi ob aliam cauſam, ac dicit reus, demonſtrabitur fuiſſe factum. Secundò, ſi certi nomine maleficij vocabitur in iudicium, definitione, & definitionis præceptis vti oportebit per ea capita, quæ in ſtatu definitiuo aſsignauimus: ſin aliud quoque aliquod genus incidet, eius generis præcepta trāsferemus. ¶ Tertiò, illud quod cōparabitur, cum eo quod factum eſt, magis honeſtū ac vtile declaretur. ¶ Quartò, oportet accuſatorem illud quod ſæpe arguat, ab illo quod defenſor comparat, ſeparare demonſtrando, neque ita fieri oportere, nec ſolere, nec eſſe rationem vllam ¶ Quintò, comparabimus cum beneficio maleficium, & id quod arguitur, cum eo quod factum à defenſore laudatur; beneficium extenuabitur, maleficium augebitur, reduceturque cauſa ad deliberatiuum genus, ventilando vtrum honeſtius, vel vtilius.

Defenſor per diuerſas comparationes, & oppoſitas rationes defendet, vteturq; præterea locis communibus, laudando, vel vituperando iuriſperitos proponendo præſentibus, quid in ſimili caſu ipſi decernerent; quæ mutationes ex tempore debeant contingere.

Relatio criminis.

RElatio criminis est, cùm reus id quod arguitur confessus, alterius se inductum peccato, iure fecisse demonstrat. Primò, ex cæteris cõstitutionibus quod expedierit, eligetur; vel circa personam ipsius rei, quo animo fecerit; vel circa personam illam, in quam reus transfert crimen. Secundò, leuius esse peccatum quod in alterum trãsferatur. Tertiò, relationis partibus vtendum, ostendendo à quo, & per quos, & quomodo, & quo tempore, aut agi, aut iudicari; aut statui conueniret. Quartò, leges, & iudicia demonstranda, per quæ factum excusetur. Quintò, comparetur culpa illius, in quem crimen transfertur, & cum aduersario conferantur, extenuando, vel augendo partem propriam, vel alienam. Sextò, adiungetur ex tractatu sexto de affectibus indignatio, & conquestio, inquireturque quid ipsi facerent. Tandem de vtilitate, & honestate per comparationis capita accusator, & defensor disputationem inibunt.

Remotio criminis.

CVM intentio facti, quod ab aduersario infertur, in aliud, aut aliud dimouetur, remotio criminis dicitur. Quando causa remouetur, primum erit sicut in cæteris, vt aliquid ex alijs constitutionibus sumatur. Secundò, pleraq; ex comparatione, & relatione criminis in hanc quoq; causam conueniunt. Tertiò, dicet accusator illũ, cuius culpa factũ est illud defendendũ esse: sin minus poterit, adijciet suo quemq; officio cõsulere oportere, nec si ille peccasset, illum oportuisse peccare.

Defensor, post quã alijs constitutionibus vsus fuerit, cuius acciderit culpa, demõstrabit. Deinde si aliena culpa acciderit, ostendet se nõ potuisse, aut debuisse id facere, quod accusator dicit oportuisse. Sumentur probationes ab honesto, & vtili, vt in genere deliberatiuo. Tertiò, in alterius culpa exponenda demonstrandũ est, quantũ voluntatis fuerit, & cõfirmandũ signis ex antedictis, & factis, atq; hoc ipsi vtile fuisse, & cũ cætera vita magis cõsentaneum. Sin autẽ non in hominẽ certum, sed in rẽ causa dimouebitur, fiet depulsio criminis per consueta capita, de quibus diximus in hoc tractatu, & dicemus infra. Loci cõmunes accusatoris, & defensoris, ex indignatione, & conquæstione, ac alijs sumendi sunt, vt in tractatu de affectibus ostẽdemus.

Concessio criminis, vbi purgatio, & deprecatio continentur.

COncessio est, cũ factũ petitur, vt ignoscatur. Huius partes duę: prima, purgatio, per quã non factũ, sed voluntas eius, qui accusatur, defenditur ex imprudẽtia, casu, necessitudine.

Accusator cõsultò delictũ factũ suspicione aliqua demonstrabit.

Secun-

Secundò, inducet definitionē necessitudinis casus,atq;imprudentiæ,atq;à facto separabit. Tertiò, probet potuisse crimen deuitari, & in aduersum prouideri. Quartò, in similibus casibus non fuisse veniā. Quintò,ex genere deliberatiuo, quàm inhonestū factum declaretur, & quidvis perpeti satius fuisse.

Defensor, conuersis omnibus partibus vtetur. Primò,voluntatē ostendet. Secundò,impedimenta ipsius,& cōmunē hominū infirmitatē. Tertiò,nihil indignius quàm culpa carentē,supplicio, nō carere. Quartò,loci cōmunes commiserationis adducantur.

Secunda pars concessionis est deprecatio,in qua nō defensio facti,sed ignoscendi postulatio continetur. Quę autē partes huius generis declaremus. Primò,demonstretur studiū, & beneficia antiqua,ex quibus dignoscatur dignus mansuetudine. Secundò, augeatur beneficium, & maius esse quā delictū suadeatur. Tertiò,maiorū beneficia proponātur. Quartò,non odio,& crudelitate quippiā factū sed honesta, ac probabili causa. Quintò, pollicebimur se hoc peccato doctū, & beneficio, ignoscentiū confirmatū omni ratione à tali delicto abfuturū. Sextò, spē ostendemus gratitudinis in ipso & cōsanguineis. Septimò, proferemus eos,quibus maiora dimissa delicta. Octauò,illum quādo in potestate erat,procliuē ad misericordiā fuisse. Nonò, peccatū extenuabitur sicut in genere demonstratiuo.

Aduersarius malefacta augeat ex oppositis capitibus malitiæ, misericordiæ,superbiæ, inimicitiæ. Secundò,beneficia quæ ab eo facta ad cōmodū propriū directa probet. Tertiò,maiora esse beneficia,quàm maleficia. Quartò, turpe esse,& inutile ignosci. Quintò exaggeretur maleficium per amplificationem.

Caput .X. De quæstione præmij ex Tullio.

QVestio præmij in quatuor partes distributa est. Primò, in beneficia ex sua vi,an magna, parua,facilia,difficilia,rara, vulgaria,vera,an falsa:& ex tēpore, si cū indigeremus; si cū cæteri nollent,aut non possent, Spesq; deseruisset collata beneficia,re,&ex animo;si nō cōmodi causa &ex casu; si non fortuna, sed industria.

Secundò,in hominē considera tio præmij destinatur, quibus rationibus vixerit, quid laboris insumpserit,num alieni laboris, an deorū bonitatis præmiū postulet?nū iam satis pro eo,quod fecerit honos,habitus sit?num necesse fuerit facere quod fecit? num tale sit factum,quod nisi fecisset, supplicio dignus esset?nū ante tēpus præmium petat,& spem incertam,certo vindicet pretio.

Tertiò,præmij genus videndū quid, & quantum, & quam ob- rem

rem postuletur, in quo, & quanto pretio digna sit res, & apud maiores qui mos?

Quartò, facultates videantur, an his honor nimis peruagetur, & an dari queat?

Qui obstat petenti præmium, suadebit fore sanctum, castum, ini quis non commune, imò nec mediocribus peruulgare; aliter minus homines virtutis cupidos fore, præmio peruulgato, ideoque non concedendum præmium. Secundò, numerabuntur qui apud maiores maioribus meritis præmium non consecuti; fiet enumeratio, & comparatio, & per opposita capita, ijs quæ aduersarius dixit, excurratur. Adducantur loci communes ex gratitudine, & alijs virtutibus.

Pars secunda, de his quæ in iudiciali genere solent misceri, & sunt alijs generibus communia.

Cap. I. De petitione.

NIhil est, quod frequentius in iudiciali genere occurrat, quàm petere, & obsecrare. Quod si rem magnam postulamus, aduocandæ sunt omnes rationes generis suasorij. Et hæc orationis particula sic est disponenda, vt primò, eius à quo petimus, beneuolentiam conciliemus ex tractatu quintò. Secundò, rem facilem, honestam, necessariam ostendamus ex tertio tractatu. Tertiò, quæ nostra sunt in illum merita, summa cum dissimulatione, significabimus, dicemusque nos velle fieri deuinctiores nouo beneficio. Quartò, nostram summam fiduciam ostendemus. Quintò, narratio erit ad extorquendum consensum, artificiosè facta. Sextò, profitebimur nos gratiam habituros, & relaturos, diceturque quibus in rebus. Septimò, adijcienda obsecratio, refutato eo quod obstiterit.

Cap. II. De commendatione.

HOc genus finitimum est petitioni, nam alieno nomine quidpiam petimus. Erasmus quæ in hanc rem desiderari poterant, ex antiquis decerpsit oratoribus. Considerentur primò nostra persona. Secundò eius, cui commendamus. Tertiò, eius, quem commendamus. Quartò, res ipsa, quæ commendatione petitur. A nostra persona deducantur causæ ad commendandum iustæ, magnæ, plu-

plurimæ;ab hoſpitio,propinquitate,patria,aſſinibus, maioribus, & beneficijs eius,quem commendamus.Secundò,eundem qui cōmēdatur,laudabimus à modeſtia, probitate,eruditione, integritate, humanitate,nobilitate,& quæ cōmendati,vel noſtra in illū merita præceſſerint,inſinuabimus,ex tenuantes facta,amplificantes benefaciendi voluntatem. Tertiò, ex genere exornatiuo, laudabimus eum,cui commendamus,perſonam, deſumptis ijs virtutibus quæ conducent. Addemus eum, quem commendamus, de eo, cui commendamus optimè ſentire, & prædicare.Quartò,à re fiat cōmendatio,quia facilis,pia, honeſta,vtilis,ex ea honoris,vtilitatis, gratiæ plurimum obuenturum, & multos eſſe deuinctos,&c.Poſtremò,noſtro & commendati nomine, polliceamur gratum animum. Commendatio recta eſt, cum expoſcitur fauor; obliqua, cùm negabimus nos velle aliud, quàm vt hominem cognoſcat.

Illa denique in omni petitione obſeruanda.Primò,vt quod petimus,in eius à quo petimus,ſicum poteſtate oſtendamus. Secundò, eſſe iuſtum. Tertiò, modum & viam indicemus,qua conficiatur. Quartò, vt promittatur remuneratio. Quintò, id ſic fiet; ſi cauſa eſt fauorabilis, apertè ſuadeamus; vbi ſecus, per inſinuationem. Primum exaggerantes quāta nos circumſtet neceſsitas,quàm improbum ab eo rem tantam petere, de quo nihil promeriti; nō mediocrem nobis porrigi ſpem à à benignitate,bonitate,&c.

Sed vbi nihil opus inſinuatione,cùm res difficilis poſcitur,beneuolentiam datoris concilie-mus à conſuetis capitibus, à noſtris in illum meritis, à perſonis maiorum, à perſonis aduerſariorum, à re ipſa. Miſcebimus obteſtationes perſonarum, quibus ſcimus commoueri. Doctrinam huius capitis ex Vlpiano Rhetore deſumpſit Eraſmus, quibus nonnulla addidimus, & detraximus.

Caput. III. De monitione Oratoria.

DVo cōtinet capita: alterum, doctè indicare vitium, quod mutari volumus:alterū, quæ ſint agenda neſcienti,vel vt ſcienti oſtendere. Primò,acerbitas reprehenſionis vitabitur laude eorum, quæ in reprehenſo egregia ſunt. Dabit huic loco ſemina tractatus ſecundus. Secundò, vitium ab ætate, vel incogitantia extenuabimus; vel quod clariſsimis viris commune; vel quaſi ab animi liberalitate naſcatur, ſumes à capite quinto huius partis ſecundæ nōnulla capita. Tertiò; haud magno negatio mutari poſſe. Quartò,nos præcipuo in eū amore monere, alijs idē nō facturos. Quintò,orabimus,vt pari liberali

tate in nos vtatur, cùm munus proprium sit amicitiæ. Sextô, modum declarabimus, quo exequatur, ea moderatione, vt qui sit linguæ liberioris instituatur, vt circunspectius dicat, cùm non eodem candore ab omnibus accipiãtur verba. Huius exempla succurrent in exercitamentis nostris.

Cap. IIII. De conciliatione amoris.

HVius præceptiones per alia omnia fermè genera diffusæ versantur; nam amans sæpè petit, interdum expostulat, blanditur, purgat se. Quod speciale occurrit, est. Primò, causas, quibus ab ambiendam amicitiam sumus accensi, probabiliter exponemus ex tractatu de inuentione. Secundò, assentationis suspicio amouebitur, ex his quæ status coniecturalis docuit. Tertiô, si quid erit in nobis, quod illam ad nos mutuó amandum prouocabit, sine arrogantia significabimus. Quartò, pollicebimur nostram beneuolentiam, operam, &c. Reliqua ex genere demonstratiuo, & ex alijs præceptis à nobis traditis, & tradendis facilius colliges.

Cap. V. De expostulatione, & purgatione leniori.

HAEC Duo, noui dicẽdi magistri, cùm Erasmo coniunxerunt, assumptis ex iudiciali genere fundamentis: nos quæ potiora sunt, insinuabimus.

Expostulatio fieri solet inter amicos, cùm officium eorum requirimus. Mitigetur, ne exasperet laude, vel ioco, vel dissimulatione. Secundò, rem damnabimus, voluntatem excusabimus. Tertiò, mirari nos, quod in causa fuerit quidvis suspicari malle, quàm illum ab officio cessasse. Quartò, conscientia officij, & beneuolentia liberius dixisse, &c. Iuxta alia genera.

Capita purgationis sic disponentur. Primò diluendo expostulationem, ita vt nos ea nihil offensos ostendamus. Secundò, suspicionem obiectam grauiter examinabimus. Tertiò, rationes probabiles, quibus nos purgemus, proferendæ. Quartò, ex re, ex loco, ex tempore, ex personis consilium sumemus. Quintò, nobis gratulabimur non esse inimicis nostris tantum ingenij ad lædendum. Sextò, dicetur & si amicè expostulet, quid interesse, an amicè, an inimicè iugulet. Septimò, dicetur eos sparsos rumores ab inimicis, beneuolentię vtriusq; inuidentibus. Octauò, fiat conquestio, quasi parum norit ingenium, qui similia crediderit. Nonò, monebitur, vt nihil vereatur in eo officio perseuerare, qui expostulabit, ne pilo enim nimis amabitur.

Cap. VI. De exprobratione.

EXprobratio fit inter inimicos, obiecta contumelia cum irrisione aduersarij: & quoniam ab humanitate recedit, id nos coactos facere profitebimur ob ipsius ingratitudinem, & maleficia. Secundò, conscientiam ipsius testabimur. Tertiò, rem artificiosa narratione ante oculos ponemus. Quartò, nostram in illum beneuolentiam, & gratitudinem amplificabimus ex doctrina tractatus de amplificatione. Quintò, dicemus nobis ipsis indignari, non quod ille ingratissimus sit, sed quod nobis deuinxerimus, & ea, quæ ne sperare quidem ausi essemus, in illo inuenisse. Cætera ex alijs generibus desumentur; hic specialia solum assignamus.

Cap. VII. De inuectiua oratione.

HVius artificium ex demonstratiuo, & iudiciali genere sumitur, cùm laudemus, vituperemus, criminemur, & defendamus, diluemus obiecta, referemus crimina. Sed nonnulla addo. Primò, superbiam, stultitiam, importunitatem, maledicentiam aduersarij ostendemus, ex circunstantijs; & adiunctis tract. de inuentione. Secundò. Id nos præter morem facere coactos. Tertiò, nos illum non imitaturos, vt confictis criminibus agamus, sed sine conuitio diluemus obiecta. Quartò, ex hominis descriptione conuincemus odio, vel innata maledicendi libidine commentum fuisse, quæ in nos obiecerit. Quintò, vnum ex obiectis quod quàm rectissimè dilui possit, proponemus. Id vbi fecerimus, cùm re criminatione ex eo vno, hominis imprudentiam deducemus. Sextò, in ipsum omnia, aut grauiora retorquebimus. Septimò, multa relinquemus in suspicione, quod ab homine verecundo, vel lacessente obijci non debeant; pauca solum ex pluribus velle dicere. Octauò, cùm incanduerimus orationis progressu, dicterijs, & salibus hominem eludemus; ridiculũ contemnẽdum, odiosum declarabimus. Nonò, multa ironia adhibẽda. Decimò, quasi nosmet reprimamus, hortabimur, vt aliquã do resipiscat, ne cogamur à modestia abduci. Vndecimò, excitabitur verecundia ex illis, quæ tractatu de effectibus docebimus. Si quem prætereà simul cùm inuectiua oratione criminari velimus, genus demonstratiuum appellandum est, adductis confirmationibus, confutationibus, & argumentis, quibus exaggeremus, vel extanuemus; conquestionem, dubitationem & similia proferemus. In hoc genere totus fermè Quintilianus, & Tullius laborant, ex quibus plura ex his capitibus notauit Erasmus.

Cap. VIII. *De breui deprecatione pro alio.*

ID fit cùm manifestam culpam alterius agnoſcimus, & illum ignoſci curamus. Primò, ſupplices erimus, culpam ingenuè fatebimur. Secundò, extenuabimus ab imprudentia, vel ætate, vel quod primùm deliquerit, vel partem in alios transferendo. Tertiò, eum qui peccauit, ſic affligi pudore, metu, pœnitentia, vt dignus ſit miſericordia. Pudor, & metus declarabitur ex tractatu de affectibus. Quartò, eius cui placere conamur, clementiam laudabimus, & amplificabimus. Quintò, ſpem melioris vitę oſtendemus, per ea quæ dicemus tractatu ſexto, confidentiam, & ſpem generare. Sextò, ex indole, ex benefactis reddemus probabilem. Septimò, interponemus autoritatem, & pro reconciliando fideiubebimus. Hic miſcenda nonnulla ex genere exornatiuo, pro iudice mitigando; & ex deliberatiuo, vt ſuadeamus, donandam eſſe veniam.

Cap. IX. *De gratiarum actione.*

AMplificetur beneficium primò, ſi vltrò collatum, ſi incũctanter, ſi citò. Secundò, ſi in tempore, ſi vberiùs quàm alter ſit auſus petere, ſi nihil pro merito, ſi ne expectanti quidem, ſi libenter. Tertiò, à genere beneficij, ſiue impenſis, ſiue verbis collati. Quartò, an huius cauſa contempſerit ſimultatem potentium, & ſcire nos beneficij multitudinē. Quintò, quàm multos eo beneficio deuinxerit, &c. Sextò, pollicebimur parem, aut maiorem gratiam relaturos; & ſi nulla referendi facultas fuerit, gratum animum promittamus precantes vt ſuperi cumulatè referant gratiam.

Cap. X. *De gratulatione.*

PRo gratulatione primò exaggerabimus voluptatem, quã ex animi ſucceſſu cepimus, cuius commoda, vel incommoda pro noſtris ducamus. Secundò, dignitatem, aut ſi quid aliud cõtingit, varijs modis attollemus, quod eximia, fruſtra à pluribus ambita, quòd non ambienti delata; quòd bonorum iudicio, quòd prę ter ſpem. Tertiò, vbi rem auxerimus, oſtendemus ampliſsimum illud munus meritis inferius, tantùm eſſe gradum ad maiora, ſi fortuna non obſtet. Quartò, bene ominabimur, & precabimur, oſtẽdentes quàm vtilis omnibus, iucũdus, expectatus exitus. Quintò, dicemus nos potius gratulaturos honori, qui tum demum ſplendidior, quàm antea. Sextò gaudere nos quòd data ſit materia, & ſeges exercendæ virtutis ſuæ. Amplificabitur gaudium ex his quæ de voluptate capite tertiò tractatus ſexti dicentur.

Cap.XI. De conciliatione amicorum.

CVm ſtudemus nobis conciliare viros,quibuſcum nulla nobis interſit amicitia,& quodāmodò nos met ipſos commēdamus, tum fiet conciliatio. Primò,ſic eũ laudabimus, vt nec adulari, nec fingere, nec inſidiari videamur. Secundò,nos met ipſos ſic laudemus,vt ne ob arrogantiam conciliemus odium. Tertiò, nos eius eximijs dotibus ad amandum inflammatos,quas partim fama,partim ex laudatiſsimis viris cognouimus. Quartò, etſi multum abſimus ab illius virtutibus, tamen ſemper huic annixos, vt quod in illo ſuſpicimus, aſſequeremur; numerentur nonnulla quæ placuerint. Quintó, obteſtabimur illius amorem, vt beneuolentiæ noſtræ ignoſcat, cui temperare non poſſumus. Sexto,in nobis rē attenuabimus,animum, ſtudium, amorem optimarum rerum exaggerabimus. Septimò, orabimus vt nos ſuorum numero adſcribat. Octauô, pollicebimur, etſi nouos amicos,nulli veterum ceſſuros. Nonò,opes, opera, denique amicos pollicebimur communes.

TRACTATVS QVINTVS DE DISPOSITIONE, ET PARTIBVS ORATIONIS RHETORICAE.

MIrum eſt in numero partiũ orationis, quàm fuerint diuerſæ ſententiæ. Ariſt.3. Rhetoricorũ duas tantûm partes agnoſcit,propoſitionē,& confirmationē. Hermogenes 1.de inuētione, ſeptē facit orationis partes,autor Herennianus ſex, Quintilianus quinq;, Tullius in partitionibus quatuor. Ego omnes ſimul ſentētias amplector, iuxta diuerſitatē orationum & locorum,& omnes quæ ab omnibus,partes aſsignantur attingens,eas declarabo, exordium, narrationem, propoſitionem,confirmationem, confutationem, epilogum, & quo ordine & diſpoſitione collocentur. Quæ Cypriani tabula copioſius docet,cùm ad finem adſcripta ſit noſtri operis, aut prætermittentur, aut breuiter tractabuntur. Eo enim fine eam damus, quo à rerum minutiorum tractatione nos liberemus.

Ca.I. De varijs diſponendi generibus.

Rhetorica diſpoſitio, autore

Fabio, nullis præceptis comprehendi potest; cùm non tam ab arte, quàm à dicentis voluntate pendeat; eam sic definirem. *Est habitus in ratione existens, quo quæ inuenta sunt pro rei & causæ natura, adiunctorumq; ratione, prius & posterius aptè collocantur*, hæc sit definitio. Diuisio verò hæc, alia dispositio naturalis; alia arbitraria; alia artificiosa, iuxta triplicẽ rerũ, quæ sub dispositione cadũt, ordinem.

Rerum enim aliæ sunt, quę certum & fixum statum habent; cuius, ex Philosophorum doctrina, quatuor species.

Alia sunt priora, vel posteriora natura, quæ ita se habent, vt sint necessariò coniuncta, & vnum ab alio pendeat; non contra: quomodo sol est prior natura sua luce.

Alia dicũtur priora, tẽporis ordine, vt is qui ædificat; & ędificiũ.

Alia sunt positione priora, vt fundamenta in domo: deniq; alia sunt dignitate & præstantia priora, quomodo anima est in corpore prior. In his facilis est dispositio, ipsam naturalem formam si consectemur.

Secundò, alię sunt res nulla certa ratione inter se affectæ atq; cõnexæ, vt varij populorũ mores, & hominũ gesta: atq; in hoc rerũ genere ea vtimur dispositione, quę nobis visa fuerit acõmodatior ac proinde arbitraria nominatur.

Tertiò aliæ sunt res, quę certo ordine gestę sunt, sed in illis disponendis earũ pertubatur series, delectandi vel persuadendi gratia, vt oratorum, poetarumquæ meditatio docebit.

Si quæstio simplex, & infinita tractanda esset, hæc methodus seu dispositio cõmodè adhiberi posset. Primò, agendũ esset de nomine. Secũdo, an res existat. Tertiò, quid sit. Quartò, qualis sit, vbi proprietates inuestigãtur. Quinta, propter quid sit: id est, rei causę quærẽdæ sunt. Sexto, qui sint rei effectus. Septimò, explicãdæ species, & partes quę, & quot sint. Octauò, quot sint rei similia, & quæ contraria. Nonò, quo pacto res, de qua agitur, alijs præstet, aut inferior sit.

Alia, quę cõmunia sint omni dispositionũ generi, nõ inuenio, sed singulis tractatibus suas assigno dispositiones; in affectibus mouẽdis, in laudãdo, in deliberando, in genere iudiciali & alijs. Dispositio relationis, criminis, concessionis, gratulationis, &c. Eisdẽ fiat capitibus, eodẽq; digestis ordine, quo nos digessimus, & disposuimus. Vt enim nostra exercitamẽta in secundo volumine conuincent, magis illud naturale est disponendi genus, aut certè maximè accedit, nisi prudens orator nonnunquã aliter iudicauerit.

Cap. II. De exordio, qua forma docilis, beneuolus, attentus, fiat auditor in exordio.

EXordiorum plura sunt genera, nam alia ad laudandũ, aut vitu-

vituperandum: quædã ad deliberandum, vel iudicandum destinãtur. Præterea pro quæstionũ & causarũ diuersitate, varia sũt exordia, integra alia, per quę paulatim causas ingredimur; alia abrupta pro affectuum exigentia.

Cùm genus causæ honestũ est, quo rationi cõsentanea defendũtur, exordiũ à re ipsa, vel persona, vel loco, vel euẽtu desumitur. Quod idẽ in genere turpi faciendũ est, cùm vel honestũ impugnatur, vel defenditur inhonestum, vel ex circunstantia, vel adiuncto aliquo. In genere admirabili, quod est præter auditorum opinionem; & in dubio genere, vbi honestatis opinio vacillat; & in humili, vbi res, persona ve cõtẽpta suscipitur, ex orationis materia, exordia sumentur. Primò, a locis tractatus de inuentione. Secũdò, à generis exornatiui, vel deliberatiui materijs. Tertiò, ab adiũctis tẽporis, & loci. Quartò, ab aliquo euentu ad rem pertinente. Quintò, ab opinionibus, vel suspicionibus de rebus, aut personis conceptis. Sextò, à distributione, seu partitione. Septimò, per aliquam ex figuris infra tractandis exordiemur; sed quæ adhiberi solent frequentiùs, sunt dubitatio, vt in oratione Tullij pro Sextio; optatio, vt in oratione pro Flacco; apostrophe, vt in prima Catilinaria; ironia, vt in Ligariana, & pro Cælio. Nunc communiora capita exordij magis explanemus,

Docilis habetur auditor, summa causæ breuiter exposita, quod maximè contingit in narratione.

Attentus fiet, si polliceamur magna, noua, inusitata, quæ ad Rempublicam, quæ ad nos, qui audient, quæ ad Religionem attinebunt: si rogabimus vt attẽtè audiant, numero exponemus res, de quibus dicitur.

Beneuolos auditores ab ijs faciemus locis, à nostra, ab aduersariorum, ab auditorum persona, à rebus ipsis. A nostra persona beneuolentiam contrahemus, si nostrum officium in Rempublicam, parentes, amicos, & in eos ipsos, qui audiunt referemus. Prætereà si nostra incommoda proferamus, inopiam facultatum; solitudinem, id est, amicorum destitutionem; calamitatem, id est, spoliationem bonorum; nostram spem in eorum auxilio sitam esse declarabimus; precibus, supplicationibus, submissa petitione vtemur, promittentes nihil superbè, nihil contentiosè, nihil arroganter dicturos.

Ab aduersariorũ persona captatur beneuolentia, si in eos odiũ, inuidiam, contemptionem excitemus. In odium rapiuntur, si quid spurcum, quod in sermone cum pudore pugnat; si quid superbum, quod in factis est, & aduersatur naturæ; si quid perfidiosum, quod in violatione fidei; si quid crudele, id est, cum atro-

citate hominum inimica recenseatur; si quid ex confidentia, quæ imprudentiam, & audaciam complectitur; si quid ex malitia, quæ versuta & fallax nocendi ratio vocatur; si quid flagitiosum, quod turpitudini, & dedecori coniunctum; sed hæc cum ratione, & modo fieri debent, vt Quintilianus monet lib.4.cap.1. ne contumeliosi, maligni, superbi, maledici in quemquam habeamur.

In inuidiam trahemus, si vim, potentiam, factionē, quæ est cōspiratio, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, quarum maxima existimatio, ob beneficia, hospitium, sodalitatem, quæ est in symbolis, & affinitates quæ ab vxoribus intercedunt, proferemus, legatur Aristoteles 2. Rhetoricorum.

In contemptionem adducemus, si inertiam quæ est corporis; ignauiā, quæ est animi; desidiam, qua quis minimè natura idoneus; luxuriam, quæ in gula, & turpi vsu corporis est, ostendemus.

Ab auditorum persona beneuolentia colligitur, si eorum res natæ ex fortitudine, vel sapientia, quæ ad prudentiā attinēt; mansuetudine, quæ ad temperantiam; magnificentia, quæ ad iustitiam, euulgentur. Ab ipsorum parentibus, filijs, propinquis, amicis, ciuitatibus; etiā beneuolētia captatur.

A rebus ipsis beneuolū auditorem efficiemus, si nostrā causam honestam, iustam, necessariam, fauore, & commiseratione dignām, laudando extollemus: aduersariorū per contēptionē deprimemus.

Denique aduertas velim, hæc tria exordij officia, in causis longioribus ad alias orationis partes, accommodanda: neq; semper in omni oratione hæc tria munera adhibenda.

Caput. III. De insinuatione pro exordio.

Est insinuatio clancularia, obliqua, flexaq; ac latens circuitio ad capiendū animum, qui aperta fronte non caperetur: quare ab incauto & improuido capiuntur iudices, vel auditores. Id fiet, cū animum auditoris à nobis alienat res turpis; vel iam est persuasus ab alijs, qui antè dixerunt; aut defessus est audiendo eos, qui antè orarunt: ita vt ex Quintiliano lib.4. si causa laborat, persona subueniat, & si persona, causa; vel vt ait Cicero lib.1. de inuentione, pro homine, in quo offenditur auditor, alium interponat qui diligatur; res pro re, res pro homine, homo pro re collocētur.

Dicemus non placere nobis, si facta sunt à nostro reo, quæ dicta sunt ab aduersario. Deinde nihil à nobis factum ostendemus; pedetētim ad causam accedētes, negabimus de aduersarijs nihil nos dicturos, cùm tamen occultè dicamus, & insinuabimus nos à firmissimo adiumento aduersarij exordiētes; vel à nuperrimo dicto,

vel

vel dubitatione, cui loco primũ respondeamus.

Si defessi auditores ab aliqua re, quę risum moueat, exordiemur; vel ab apologo, qui est sermo compositus rei incredibilis ad morum institutionem; noua enim, & inusitata audire, fastidium leuat.

A fabula verisimili, quę est expositio rei, quæ fieri potuit, etsi non facta, vt in Comœdijs & Tragœdijs; cùm tamen historia rei factæ expositio sit.

Ab imitatione, quæ orationis, ac vocis alterius fit verecunda, & venusta repræsentatio, non histrionica.

A deprauatione, quę est vocis ac vultus deformatio moderata; vel vocabuli corruptio, vt prætorem, prędonem; disputare, dispotare; Doctor, coctor; disciplina, displicina.

Ab abiectione, cûm omnibus abiectis vni nos dicimus rationi responsuros.

A suspicione, quæ est rei infamis obscura significatio, diuinam ironiam appellat Quintilianus, Ciceronis principium pro Ligario.

Ab irrisione, quæ est rei ridiculæ vituperatio.

Ab exuperatione, quæ est rei paruæ ridicula amplificatio.

A literarum mutatione, quæ est paranomasia.

Ab expectatione, cũ post orationem aduersarij subsistimus, & silemus: deinde sic ordimur, expectatis, quando tandem respondeam; ego verò quid dicam, nescio, &c. vel tacemus, simulantes nos aliquid magnum dicturos, vt animus auditoris colligatur.

A similitudine, quæ est rerum inter se qualitate differentiũ comparatio, vt, *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.*

A nouitate, quæ non eget exemplo.

Ab historia nostræ memoriæ, vel antiquæ.

Ab interpellatione, quæ est interruptio perpetuæ orationis aduersarij, vel personæ alienæ appellatio.

Ab arrisione, quæ est personę illusio, sicut irrisio rei, vt cũ Cicero sentiret defatigatos iudices, & in iudicium venire videret perpusillum Pissonem, conuersus ad iudices, dixit: *Quis alligauit generum meum gladio?* Alia præcepta dabit tabula Cypriani, quam simul cum nostro opere excussam damus.

Caput IIII. de generibus narrationis.

NArrationes, quas maximè naturales Quintilianus appellat lib. 4. cap. 2. alię sunt, quibus exponimus rem gestam ad vtilitatem nostram. Secundò, sunt aliæ, quæ intercurrunt nonnunquam, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut laudationis.

nis.

nis. Tertiũ genus est narrationis fictæ: quibus etiam instruendi oratores, vt apti ad forum prodire possint. Omnes ea definitione comprehenduntur: *Sunt rerum gestarum, aut velut gestarum expositio.* Ex ijs cognosces tres esse narrationis partes. Historiam, quæ est *res gesta remota à memoria nostra*: argumentũ, quod est *ficta res, quæ tamen fieri potuit*, velut argumenta comœdiarum: fabulam, *quæ neque veras, neque verisimiles continet res*, vt Tragicorum, AEsopi, & similia figmenta.

Hoc postremum genus narrationis, etsi ab oratore alienum, sic esse cupio, vt in personis habeat sermonis festiuitatem, & animorum dissimilitudinem, sic Virgilius Tytirũ facit otiosum, & cantilenis vacantem; Melibæũ solicitum; Coridonem amantem; Alexim ab amore alienum. Habeat grauitatem, quæ in se dignum veneratione quidquam repræsentat, & posita est in prudentia, constantia, iustitia: leuitatem, quæ est virtutis remissio, atque moderatio: spem, quæ est bonorum futurorum: metum, qui est malorum futurorum: suspicionem, quæ est malorum præsentium: desiderium, quod est appetitio rerum absentium: dissimulationem, quæ est occultatio eius, quod non est; velut simulatio eius, quod non est, est fictio: errorem, quem si tenemus, explanabit peccatũm, ab opinione falsa profectum, qui suauis est, cũ non est miserabilis: misericordiã, quæ est in mulieribus clementia, & ægritudo: rerum varietatẽ, id est, mutationem rerum insperatarum â bonis in malas, & â malis in bonas: fortunæ commutationem intellige subitam: insperatum commodum, subitam lætitiam, incolumen exitum rerum. Hæc quæ in Tragicis contingũt, & falsis narrationibus, remota sint à narratione oratoria, quam sequens caput explicabit.

Cap. V. de narratione vera.

NArratio, vt in partitionibus Cicero præcipit, sit dilucida, verisimilis, atq; suauis. Vt breuis sit, obseruãda quatuor, principiũ, mediũ, finis, rerum qualitas.

Principium ne sit longè petitum, ne ab ouis Lædæ Tyndari Regis vxoris incipiat declaraturus bellum Troianum.

In fine considerandum est, ne narrationem vsq; ad extremum, sed eò vsq;, quo opus fuerit, prosequamur.

In medio quatuor obseruãda. Primô, generatim esse narrandã rem, non specierum distributione vtendũ. Secundò, ne faciamus declinationẽ, sed in re proposita maneamus. Tertiò, ne sit deerratio, & nõ idonea digressio. Quartò, ne conglobentur antecedẽtia, sed consequentia tantum ponenda, ex quib⁹ illa facilè colligãtur.

In qualitate tria sunt considerãda; vtilia, vt ponantur; aduersa, vt vitentur; praua, vt reijciantur, in quibus sunt leuia, & dubia, vt omittantur.

Vt narratio sit dilucida: primũ sit ordo rerum: secundũ, verborũ & orationis collatio: tertiò, præcepta breuitatis seruentur. Ordo rerũ historicus sit, & rerum & tẽporum gradus obseruentur, vti quælibet primò gesta sunt. In collatione, Barbarismus, Hyperbaton, ambiguitas, & nouitas fugiãtur. Deniq; tũc ordo rerum rectè seruabitur, teste Quintiliano, cũ narratio erit distincta temporibus, locis, causis.

Verisimilis narratio fiet, si vt mos (qui regionis est) vt opinio, quæ est omnium, vel maioris partis, vt natura postulat, dicemus. Eadem ferè & eodem modo Cicero 1. de inuẽtione prçcipit.

Fiet etiam verisimilis narratio, si constabunt spatia temporum: facilè enim præsumitur contra iuuenem, qui noctu ingressus in domum puellæ, crastino matutino exierit. Si etiam constabunt personarum dignitates, vt cùm à dignitate accusatoris premitur reus; vel à dignitate rei repellitur accusator. Si etiam constabunt consiliorum rationes, quas difficile est exactè & industria colligere. Locorum opportunitates, quæ referuntur ad vbi, etiã oportebit constare, id est, conuenire. Temporis etiam occasio, aut locus idoneus, aut causam fuisse, vel non fuisse, cur id facere, considerabitur.

Caput VI. in quo aliqua, quæ ad narrationem conducunt, numerantur.

IN narratione, vt in alijs orationis partibus possumus materiam, & formam, partes speciales, eiusq; accidentia animaduertere. Materia sunt res, factum, locus, tẽpus, modus & causa, quo referes antecedentia, quæ præcesserunt, & consequentia, quæ subsecuta sunt

Forma consistit in narrãdi modo, dum rem à principio vsq; ad finem, ac etiam antecedẽtia, & cõsequentia dicta, facta, & causas ad fidem faciendam exponimus.

Partes narrationis sunt duæ. Prima est præparatio, & antegradiens propositio, cùm iacimus fundamenta futuræ narrationis, quo faciliùs credatur, vt Tullius fecit pro Roscio Amerino, & in 7. Philippica. Secunda, est historiæ ipsius expositio cum rei expositæ conclusione.

Quod attinet ad species & partes, innumeræ sunt, quæ recẽsentur ab autorib⁹: aliç enim sunt simplices; illustres aliæ, & sententiarum ornamentis tinctæ, quæ modum, consilia, considerationes, & causas exponunt; aliæ narrationes Tragicç; historicç aliæ diuersisque legibus, & stylo dicendi diuer-

diuersæ, vt interim omittam innumeras alias partes, & species, quas numerauit Hermogenes.

Iam attingo nonnulla narrationis accidentia. Primò, sic dilatata, extensa, & ampla, quando ad causam pertinebit: hoc enim, authore Hermogene, cum breuitatis præcepto non pugnat. His autẽ modis dilatabitur; periodi sint lõgiores, deinde quæ facta sunt officia congruentia, aut dissentanea dicantur. Tertiò, quid factum nõ fuerit, postea quid factum fuerit, explicabimus. Quartò, consiliorum, cogitationum, & consuetudinum fiat additio. Demum conferent ad dilatandum causarum, attributorum, antecedentiũ, consequentium, comparationumque conglobationes: item diuisiones, partitiones, enumerationes, immorationes.

Postremó, variæ narrandi formæ adhibeantur: aliud simplici narratione; aliud probabili; aliud illustri expositione narretur.

Secundò, narrationis initium ab aliqua illustri circumstantia sumendum; vel à loco, vt Cicero in 7. Verrina; vel à persona, vt in Quinctia; vel à temporum qualitate, vt sæpe auspicantur Historici; vel ab alio quopiam illustri. Tertiò, narrationis eloquutio sit purissima, sola varietate tædium fugans. Quartò, in narratione leniter auditorum affectus moueri possunt.

Cap. VII. de digressione.

Est digressio alicuius rei ad vtilitatem pertinens, extra ordinem excurrẽs tractatio. Fiũt hæ digressiones ad delectandũ, amplificandum, criminandum, & reliqua oratoris munera, quo ex vicinis causæ, causam confirmet.

Viam ad digrediendum aperiunt similitudines, comparationes, exempla, circumstantiæ.

Regrediemur eò, vnde digressi sumus, repetitione: principij digressus, accommodatione similitudinis, vel comparationis.

Ipsa digressione vti licebit ad augendum factum, ad euertendã quæstionem, ad occupanda argumenta, ad animos auditorum à consideratione criminis, nimiaq; attentione diuertendos. Quod fiet loco communi, vt querela, laude: conuitio, descriptione, fabula, historia, exemplo, similitudine, facetijs, vel denique descriptione.

Cap. VIII. de diuisione, seu propositione.

Primũ, finita narratione, quid nobis cum aduersario conueniat, aperiemus, & quæ in controuersia relinquantur: recensentur quæ inutilia videbuntur.

Secundò, distributione vtemur, quæ est partitio eorum, quæ dicturi sumus, vt ordine dicantur.

Ter-

Tertiò, distributio in duas partes diuidetur, enumerationem, & expositionem.

Enumeratio est, cùm numero dicimus, quot de rebus nos dicturi sumus. Eam plusquam triũ partium esse non oportet, ne suspicionem artificij afferat, etsi Quintilianus lib. 4. cap. 5. sentiat non esse eam rem alligandam lege. Rerum partitio, quæ extra numerum ternarium effluit, turbat attentionem, obtorquet memoriam audientium, & facilè excidunt aliqua ex partitis. Hæc conari debemus, licèt causæ sint, in quibus nonnunquam nõ possimus implere præcepta.

Expositio est, cùm res, de quibus dicturi sumus, breuiter exponimus, & absolutè.

Cap. IX. de confirmatione & confutatione.

TOta spes vincendi est in confirmatione & confutatione; nam exordium reddit beneuolum; narratio exponit negotiũ; partitio diuidit causam: sed confirmatio continet argumenta, quibus aduersarius superatur. Confutationem verò reprehensionẽ vocat Cicero in partitionibus. Ad occasionem istam Cicero de inuentione, & Quintilianus omnium argumentationum locos à personis & negotijs sumptos enumerat. Argumentorum locos tractaui superioribus tractatibus: nunc numero: *Ab Etymologia, à synonymis, à definitione, à descriptione, à toto, & partibus, à causis, effectis, subiectis, adiunctis, accidentibus, oppositis, comparatione, simili, coniugatis, diuisione, authoritate.* Hæc pro memoriæ adiumento numeraui: at qua forma sint argumenta digerenda, docebit tractatus de argumentationibus.

Cap. X. de epilogo.

EPilogus, seu peroratio est *Artificiosus terminus orationis.* Hanc orationis partem Fabius distribuit in duas partes, in enumerationem, quæ memoriam iudicis reficit, & in affectuum motionem, quę commouet voluntatẽ.

Marcus Tullius, & alij sic diuidunt, vt alia pars epilogi sit enumeratio; indignatio altera; altera conquestio, de affectibus dicet sequens tractatus. De enumeratione illud ne omiseris, vt initium à diuisione sumas, & suo ordine res colloces, quæ in confirmatione & confutatione tractatæ sunt, non artificij significãdi, aut ingenij vendendi, aut memoriæ ostendendæ causa: sed vt renouentur dicta, quæ faciliùs animum commoueant.

Si auditorũ animos viderimus commotos, nulla peroratione opus erit: ideo M. Antonius in ea quam habuit contra Cæsaris interfectores oratione apud Dionem, cùm auditorum animos omni-

omninò permotos vidiſſet, ſine vllo epilogo orationis filum abrupit.

Si narrationes longiores, aut argumentationes fuſiores ſint, diſtingui poſſunt ſuis epilogis: at nos de orationis vniuerſæ termino tractamus, in quo hæc obſerua.

Primò, beneuolentiæ innouatio valde eſt vtilis, vt Tullius in C.Rabirio, & Archia, & Milone fecit, iiſdem fiet capitibus, ac in exordio.

Secundò, enumeratio breuis ſit, ne alia videatur oratio: ſit varia iuxta figuras, & animi motus, ne ſatietatem generet: ſit grauis ſententijs & verbis, ne leuia anteacta videantur.

Tertiò, in peroratione faciendus eſt per amplificationem motus, ſeligendo quod magnũ, graue, vtile, pernicioſum, neceſſariũ, moleſtum, lætabile, crudele, atrox, iuſtum, iniuſtum, impium, & denique quæ ad amplificandum, ſiugulari tractatu conferre docebimus.

Quartò, nemo niſi ſummis ingenij viribus ad mouendas lachrymas aggredi audeat, nam vultus, vox, facies, excitati rei plerumque ſunt ludibrio, ſi non permouent. Quare diligenter æſtimet vires ſuas actor, & materiã; nihil enim res iſta habet mediũ, ſed aut lachrymas meretur, aut riſum.

Quintò, actionis genus cõtẽtioſum ſit, & feruens, vt nõ obſcurè internũ dicentis indicet motum.

Sextò, in fine morum & perſonarum deſcriptio per Ethopœiam proponenda: eos quos defendimus iuſtos, integros, religioſos, timidos, patientes iniuriarũ oſtendemus à genere exornatiuo: eos, quos criminamur, vituperabimus.

Septimò, aduerte non ſolam indignationem, & miſericordiam in peroratione moueri, ſed etiam alij omnes affectus interdum permouendi ſunt, quos ideo transfero in ſequentem tractatũ. Octauò, non ſemper commouendi affectus incitati, niſi quando prudentia Oratoris, & cauſæ ratio videatur exigere.

Nonò, genus dicendi lacertoſum ſit, & varium, non tamen fuſum: vbi opus eſt indignatione, debet eſſe penè poeticum.

Decimò, conemur illum orationis terminum, qui acutã ſententiam, quaſi ſtimulum, in animis defixam relinquat, quod pro Deiotaro & Ligario, & Cornelio Balbo fecit accuratè Tullius.

TRACTA-

TRACTATVS SEXTVS DE HVMANIS AFFECTIBVS, ET EORVM MOTV.

De humanis affectibus in communi.

AFfectus ex Aristot.2.Rhetoric.11. dicuntur, *quibus nos immutati, non eodem modo de iisdem rebus iudicamus: aliter enim iudicat qui odit, aliter qui amat.* Hæc ad communem vulgi sensum dicta ab Aristotele, subtili definiendi methodo prætermissa. Illud ex Philosophia addes, affectum perturbationem habere coniunctam cum aliqua corporis transmutatione, & nocumento, si propriè affectus vocandus sit: tùm præterea magis esse in ea animi parte, qua appetimus, quàm in ea qua cognoscimus, vt experientia & philosophia docuerunt. Efficitur autem appetitus omnis, vel à bono, vel à malo præsenti, vel futuro, facili, aut difficili: & quidem vel propensione, vel prosecutione, vel adeptione.

Ex his affectus numero vndecim consurgunt: sex in appetitu cupiente: quinq; in irascente. Circa bonum sine difficultate est amor ex propēsione: circa absens, desideriū cum prosecutione: circa pręsens, delectatio ex consecutione. Circa malū, tres sunt in eadē facultate affectus contrarij; odium, quod amori opponitur; fuga, quæ desiderio; tristitia, quæ delectationi. In ea parte, qua irascimur circa bonū arduum, illudque possibile, est spes; si impossibile creditur, desperatio nascitur. Circa malum imminens, viresque excedens, est timor: si idem vires non excedat, est audacia: circa malum, quod adiacet est, ira. Omnium verò affectuum hic est ordo, *Amor, odium, desiderium, fuga, spes, desperatio, timor, audacia, ira, gaudium, & tristitia.* Consideret Orator, quid ex his conetur elicere, capitaque scribenda examinet diligenter. Nos præcipuos affectus, & eos, qui vicini sunt, attingemus, intentis in Philosophiam & Theologiam oculis, vnde quæ Oratori sunt accōmodata desumemus.

Diss-

Disſimulo teſtimonia; nihil enim facilius, & infœlicius arbitror, quàm ea corradere, quæ ad doctrinam nihil, ad obſcuritatem plurimum conducunt.

Cap. I. de humanarum actionum cauſis, & quid in ſingulis affectibus conſiderandum ſit.

AB his rebus, ex quibus hominum operationes perficiuntur, & in quas referuntur, laudem & vituperationē deſumunt Oratores.

Ariſtoteles hunc in modū locos diſtribuit: efficiunt homines aliquid; vel fortuna, quæ nec definitam cauſam, nec finem certum habet: vel natura impellente, à qua ea fiunt, quorum cauſa in ipſis rebus eſt, & quæ certum ordinem ſemper, aut frequenter ſeruant: vel vi æterna adhibita voluntate, & cupiditate repugnante: vel ſponte, hoc eſt, per ſe ipſos, partim ex appetitu rationis compote, ad quem ratio, & conſuetudo referuntur: partim ex appetitu rationis experte, cùm per iram & cupiditatem operantur: vel conſuetudine, cū aliâs res fieri conſueuit: vel ratione, cùm bona complectimur, mala depellimus: vel ira, cùm vltionis, & punitionis cauſa facimus: vel cupiditate, qua rebus aſperis depulſis, minùs aſperarum tenemus electionem.

Alij ſic diuidunt cauſas, vt prima ſit natura: ſecunda neceſsitas: tertia, fortuna: quarta, caſus: quinta, ſcientia: ſexta, voluntas: ſeptima, ſpes: octaua, potentia: nona, ratio: decima, quæ his ſunt contraria.

In argumento à cauſa, ratione, ſeu ratiocinatione adhuc latent plura. Hæc nihil aliud eſt, quàm conſiderata aliquid faciendi, aut non faciendi excogitata ratio, quæ ſumitur ex his, quibus permouentur homines, vt faciant, maximè commodo & vtilitate capti, vel decepti. Illud præcipuum eſt ad inquirendum, cui bono fuerit. Huc referūtur, primò, boni adeptio: ſecundò, eiuſdem conſeruatio: tertiò, accretio: quartó, mali vitatio: quintó, diminutio.

Si quis velit conijcere, an aliquid factum fuerit, videat primò, an adfuerit voluntas: deinde poteſtas: tertiò, cupiditas: quartò, vtilitas: quintò, ſi res ſua natura factu facilis: ſextò, ſi fieri conſueuit: ſeptimò, ſi facienda erat: octauò, ſi factum eſt, quod minus fieri poterat, & quod naturæ, vel temporis ordine poſterius: nonô, ſi nullum adfuit impedimentum.

Qui conijcit, an aliquid ſit futurum, ijſdem vtatur propoſitionibus: nam id futurum eſſe, veriſimile eſt, quod in noſtra poteſtate ſitum eſt, etſi voluerimus, efficietur. Secundò, quod iubet ratio. Tertiò, quod ſuadet cupiditas.

Quar-

Quàrtò, si facultas adest. Quintò, si res faciendæ opera datur, aut paulò post, vt fiat decretum est. Sexto, si iam facta sunt, quæ ordine naturæ præcedere solent. Septimò, si iam sint comparata media, quibus finem facilè adipiscamur. Hæc in singulis affectibus cõsiderãda sunt, quæ etiã ad cõiecturalẽ statũ videntur pertinere.

Cap. II. Qua via, amor, odium, & desiderium excitentur.

EST amor *Affectio, seu complacentia quædam eius qui appetit in rẽ tanquam bonam, & sibi conuenientẽ, cognitam.* Amor duplex est, alter quo in rem amatam sumus affecti, vt ei bene velimus, & eam sua causa amemus, qui amor amicitiæ nominatur: alter quo ita in rẽ quampiam afficimur, vt ideò eã amemus, quia est nobis vtilis, qui amor est mercenarius. Excitabitur primò amor, si bonum amplificetur per honestũ, vtile, & iucũdum ex tractatu 3. persona laudãda est ex 2. tractatu.

Secundò, si similitudo proponatur, per quam res vna est homini cõsentanea, & ingenio ipsius simillima.

Tertiò, videndum est in quos amor cõferatur, scilicet in eos qui nos, vel nostros beneficijs affecerũt, aut afficient, aut iuuant alios; aut iuuabunt: in homines æquos qui suo labore viuunt, temperantes, virtute conspicuos: in eos, qui in communi vita sunt iucundi, faciles, nõ pugnaces, nõ mordaces, non horribiles: in homines elegantes, mundos facie, & vestibus: in eos quos nobis amicos fieri volumus, quos æmulos, & imitatores habere cupimus: in partes, ijsdem studijs deditos, earundem rerum cupiditate affectos, in eos quos veremur, & apud quos in honore esse volumus: in eos qui aliquo pacto studiosè se gerunt: in eos, qui amicos absentes vnicè amant: in eos qui nihil fingunt, in eos, qui se apertè demonstrant.

Quartò, ij feruntur in amorem, qui de alienis bonis aliorũ causa lætantur, aut de malis tristantur: ij quibus simul eadẽ bona & mala videtur, cum eadem opinione: ij qui eosdem habent amicos, & inimicos: ij, qui eadem sibi, & amico volunt.

Quintò, conciliatur amicitia beneficijs, & commodis vltrò & occultò delatis.

Sextò, quã bonus, pulcher, beneficus sit qui amatur, declarandũ est ex genere exornatiuo, vnde plura succurrẽt, quibus in amorẽ, vel inimicos ipsos concitemus, vt bonitas, pulchritudo, beneficentia, &c.

Per eadẽ excitatur capita ex cõtrario odiũ. Illud solũ aduertẽdũ, puta inter odiũ, & irã, quæ duæ affectiones malũ inimico cupiũt, hæc assignari discrimina, vt odiũ est in vniuersos; ita ira in singulos. Ira excitatur in eis, quę ad nos referũtur: odium verò in ijs, quæ

ad nos nihil pertinent. Ira tempore sanatur, non sic odium: ira dolorem inurere cupit; odium damnũ importare exoptat, non curans, an sentiatur nec ne; ira ægritudinem adiunctam habet, qua odium vacat; qui enim odio flagrat, non mæret. Excitandi odiũ fundamenta sint, violatus honor, minutæ opes, inuidus alterius animus, ac maleuolus, &c.

Desiderium eliciunt quæcunque alliciunt ad amãdum. Quare boni præstantia, genus, magnitudo, perpetuitas, locus, societas bonorum exprimantur. Rei cõcupitæ dignitas & felicitas, amplificetur ex tractatu primo, secundo, & tertio, vbi omnia excitandi desiderij iecimus fundamenta. Bonũ lauda ex tractatu secundo, illud idem suade ex tractatu tertio, & nihil omnino prætermittes, quod conducat ad excitandũ desideriũ.

Cap. III. De voluptate, & dolore.

VOluptas siue delectatio, *Est motus quidã animi, & affectio tota simul, & sensibiliter in naturam proficiscens*; vel quidam motus animi sub sensum cadens, ad recreãdam explendamq; naturam, excitabitur.

Primò, si operatio naturæ consentanea proponatur.

Secundò, si rerum nouitas; bonorum cumulus, læta societas promittantur.

Tertiò, si spes, & memoria, per quam aliquid nobis gloriosum fiat præsens.

Quartò, si admirabile quidpiam.

Quintò, declaret voluptatis effectus, qui simul sint causæ nouæ voluptatis, quales sunt dilatatio animi, sitim ac desiderium sui procreare, operationem perficere: est enim voluptas veluti quædam operationum esca.

Sextò, quod vi nõ fit, oblectat, vt iniuria, lusus, quies, & animi relaxatio: contrà verò contentio, sedulitas, & labor, molestiam generant.

Septimò, quæcunque victoria in contentionibus, ludo, & artib[9] proponatur, voluptatẽ dabit.

Octauò, etiam delectat bona existimatio, & honore affici, maximè à notis, & prudentibus hominibus.

Nonò, quicquid ad sciendi incremẽtum attinet. Hæc promittantur, vel tanquam eorum qui audiunt, propria declarentur.

Decimò videndum est in voluptate, an breuis sit, an comites habeat fastidium, & pœnitentiam, an iacturam maioris boni, an improuisa pericula, an succedentes pœnas, & supplicia, &c.

Dolor seu tristitia, est animi perpessio nata ex præsentia rei cognitæ, vt malæ, velut ait Cicero 4. Tusculan. *Opinio recens præsentis mali, in quo demitti, contrahiq; animo, rectum esse videatur.* Dolor in eo à tristitia differt, quòd hæc de interiori sensu; ille verò de vtroque dicitur.

Primò, excitabitur hic motus ex boni decessione, & mali accessione.

Secundò, cupiditas tardata, vel impedita est causa doloris, declaretur id contigisse.

Tertiò, præsentia maioris potestatis, cui resisti non possit, tristitiam causat.

Quartò dolor animum colligit, & mentem euagari non sinit, animum aggrauat, & constringit, operationes impedit, si nulla est spes repellendi contrarij.

Quintò remedia tristitiæ sunt, delectatio, fletus, gemitus, amicorum commiseratio, veritatis contemplatio, conscientiæ testimonium, somnus, in quibus nullum futurum solatium ostendatur.

Cap. IIII. De inuidia.

Inuidia est *ægritudo quædam ex rebus alterius secundis nata, quòd bona ad eos deferantur, qui pares aut similes sunt, non ob aliam causam, nisi quòd inuidus nollet eos illis bonis frui.*

Primò, inuident, qui habent pares genere, cognatione, laude, ætate, fortunis, &c. Proponãtur vt æquales, vel superiores, quo inuidia crescat.

Secundò, dicatur parum abesse, quin omnibus rebus abundēt.

Tertiò, ostendendum, quàm eximius honos habeatur ijs, quibus inuidetur.

Quartò, parui, & angusti animi cunctas res magnas putant, quas cùm in alijs videant, anguntur. Quare hæc ingenia cõsideranda, vt etiam exigua proponantur.

Quintò inuident illis, qui propinqui ætate, gloria, loco, tempore, & alijs, cum quibus de honore contendunt.

Sextò, ijs inuident, qui citò, nullo negotio, paruo pretio quippiã adepti, quod nos obtinere non potuerimus, aut non sine magno sumptu.

Septimò, ijs qui consecuti quæ nobis conueniebant, vel à nobis possessa fuere.

Octauò, ijs quibus aliquid prosperè egisse nobis dedecori est, vt sunt vicini, & pares.

Nonò, inuidiæ filiæ sunt odiũ, susurratio, detrectatio, exultatio in aduersis, & afflictio in prosperis, & per eadẽ capita excrescit, dũ hæc adesse dicimus, vel abesse.

Decimò, qui superbiam vrget, inuidiam excitat, ipsius enim filia est. Hæc sunt promptuaria Aristotelis, & S. Thomæ: vnde vel vrgebis, vel lenies inuidiam.

Cap. V. De mansuetudine.

Mansuetudo, & clemẽtia est *Moderatio concitati animi, atq; sedatio iræ.* Primò ergo omnia, quæ in ira sunt, abesse debent, ita vt nec alios, nec eorum propria dispiciamus: si quid verò contrà faciendum, id inuitos facere ostendemus summissè, placidè, &

absq; ludibrio, contemptu, & contumelia.

Secundò, si errasse fateamur cum dolore, tunc ira cessat; est enim dolor, quem capimus ex ijs quę egimus, velut pœna. Ideò ex candescere desistimus in fatentes seruos; negare enim impudentia est.

Tertiò, si summissos, & humiles se præbeant homines ijs, qui irati.

Quartò, si tales erga se ipsos fuisse declarentur, quales erga iratos.

Quintò, si maiora contulerint beneficia, quàm iniurias; & contumelia non soleant alios afficere, præsertim bonos.

Sextò, si ex ira, vel ex ignorantia, non ex contemptu fecisse liqueat.

Septimò, si non contradicant iratis, sed lenes in eos, humiles, metuentesq; appareant.

Octauò, si iratis incutiatur timor eorũ, quibus irascuntur: non enim contingit irasci simul, & timere.

Nonò, si tempus misceatur irato, hoc enim mitigat, præsertim si quis non compareat, donet iratus in alium suam effuderit iram.

Decimò, si maiora incõmoda passi, qui deliquerunt, quàm irati eos affecissent, quasi enim supplicium sumpsisse arbitrantur.

Vndecimò, si nullũ futurum esse sensum in his, de quibus vindicta sumitur, declaretur.

Duodecimò, commẽdabit mãsuetudinem, vt pacis nutricem, & iucundissimam humanæ vitæ sociam, &c. Quæ Philosophi, poetæ, Patres, & Scripturæ velut communes locos subministrant, est denique laudanda ex tractatu secundo mansuetudo.

Cap. VI. De ira.

Est ira *Appetitus cum ægritudine eius rei gerendæ, quæ speciem habeat vltionis.* Tullius Stoicorum definitionem sic expressit, *ira est libido puniendi eos, qui læsisse videntur iniuria.* Sicut verò quæ speciem habent iniuriæ, etsi non sunt, nos commouent, ita adumbrata vltio nos explet.

Excitatur ira primò, si proponatur quis parui ducens nos, nostra, aut nostrum quempiam.

Secundò, proponatur vltio, cuius spes voluptatem irato affert, omnemq; iram comitatur.

Tertiò, proponantur species, quibus aliquos dignoscitur parui ducere aliũ, vt cõtẽptio, ludibriũ, contumelia. Cõtemptio est, qua aliquis, vel aliquid parui fit. Ludibrium est voluptas eius, qui nullum suum commodum consecutus, studet aduersari alteri. Contumelia est dolorem inurere in his rebus, in quibus dedecus gignitur illi, qui contumeliam perpetitur, vt qui contumelias imponit, voluptatem capiat.

Quartò, considerentur personę, cum quibus agimus ex ante-

ăctā vitã, & illarum prauè facta per conſueta capita laudationis, an quis impediat, vel cõtrà agat, vel non adiuuet:an denique ſum mè concupiſcat,cùm tardatur ab inimico; vel in his rebus parum ſit fœlix.Hæc ſi proponantur,fa cilè quis iraſcitur.

Quintó,conſideretur, an is, à quo læditur,ſeu impediatur,opẽ & auxilium conferre teneretur: nam repentina magis commo- uent, ſicut oblectant multũ quæ præter expectationem.

Sextò videndum,an contem- nantur quæ quis habet in pretio, vt Philoſophia, ſi Philoſophus; pulchritudo,ſi mulier.

Septimò, fiat cõparatio perſo næ contẽnentis, & contẽptæ in amicitia,gradu,dignitate;an læte tur noſtris infortunijs, vel ſecu- rus ſit, vel ſua nihil intereſſe pu- tet,ſi dolorem inuſſerit.

Octauô, videatur apud quos fuerit homo in deſpectu, ſi apud illos, cum quibus de honore con tendit;ſi apud eos,quos admira- tur;ſi apud quos vult ſe admira- tioni eſſe; ſi apud quos verecun- datur ipſe;ſi apud eos,qui ipſum verecundantur.

Nonò, an deſpiciatur in ijs, quibus turpe ſit auxilium nega- re, qualia ſunt parentes, liberi, ſerui.

Decimò,conſideretur, ex qui- bus componatur ira, audacia,tri- ſtitia,ſpes,deſiderium,clamor,ex candeſcentia,detractio.

Vndecimò,ſignà iræ, & affe- ctus, cordis palpitatio, tremor corporis,inflãmatio faciei, exaſ- peratio oculorum,& clamor irra tionalis perpendantur.

Duodecimò,cauſæ iræ ſunt ob liuio,exultatio in aduerſis,denũ- tiatio triſtium, luſus, riſus,feſtũ, proſperiras,&c.

Cap.VII.de timore.

Metus, & reformidatio ap- pellari conſueuit à Tullio timor,quẽ in 4.Tuſculan.ſic defi niuit: *Eſt opinio impendentis mali, quòd intolerabile eſſe videatur.* At Ariſtoteles 2.Rhetoricor.ſic de- finiuit: Metus eſt *ægritudo quæ- dam, vel perturbatio è phantaſia mali, quod aduentet*,quod malum vim habeat,ſeu interimendi, ſeu dolorem inurendi.Nec verò cun cta mala metuuntur, vt iniuſti- tia, & ingenij tarditas,quę tamen omnium grauiſsima;ſed quę mag nos dolores inurant, ſeu interi- tum minentur.

Lege Ariſtotelẽ lib. 3.de mo- ribus ad Nicomachũ.Capita,qui- bus timor extorquetur,ſunt.

Primò,proponantur mala, nõ longinqua,ſed propè viſa, & am plificentur per deſcriptionem.

Secundò,probetur res huiuſ- modi horribiles,ac metum incu- tientes, vim habere magnam ad importanda detrimenta.

Tertiò, declarentur ſigna re- rum,quas timemus, & quas iam

appropinquare denũtiet, vt sunt nauigantibus signa procellarum.

Quartò, ostendemus personã, quam timemus, ipsius potẽtiam, iram, iniurias, vt nos ad illam habuerimus; vel ad ipsius amicos, & cognatos; vt illi ad nos & nostros familiares.

Quintò, statuentur adiuncta vtilitatis, quæ ex nostra calamitate depromet, vel honoris, vel ipsius seueritas, seu iniustitia.

Sextò, describantur inimici nostri, & æmuli qui in eodem stadio, pro eodem pugnant dignitatis gradu.

Septimò, excitanda spes ad periculi euasionem per consultationem mediorum: nam quæ extra spem, non timorem, sed tristitiam ingerunt.

Octauò, simul cum spe aliqua inducetur desperatio nonnulla vincendi, aut consequendi, nam ex desperatione timor nascitur.

Nonò, considerabitur causa timoris, vel causę, non efficientes solum, sed earum fines.

Decimò, etiam materia, & obiectum, quod multis amplificationibus exaggerentur.

Vndecimò, effectus qui ex timore consequuntur, vel in corpore ad interiora contracto calore, impedita operatione membrorum, silentio, siti, pallore, & similibus; seu in animo, veluti sunt solicitudo, perturbatio, & alia.

Duodecimò, post effectus timoris, declarentur effectus ..., qui timetur, si euenerit.

Decimotertiò, considerentur partes timoris, quas Theologi numerant, quæ sunt segnities, erubescentia, verecundia, admiratio, stupor, & agonia.

Decimoquartò, declarentur insolita esse, & repentina quæ timẽtur, subitoq; futurum malum.

Cap. VIII. *De confidentia, & spe.*

CVm contrariam timori naturam habeat cõfidentia, timore cognito, confidentia cognoscitur. *Est autem spes cum huiuscemodi quadã cogitatione, quod res, quæ saluti nobis esse possunt, propè iam adsint: contrà verò quæ perterrere debẽt, aut nulla inueniantur, aut admodum remota sunt.*

Primò, excitatur confidentia, si periculorum pleni, atrocesq; casus longè considerentur: quæ verò animos addunt, propè credantur.

Secundò, si incommoda quæ timeri possent, resarciri, restituiq; posſint; postquã euenerint, minus perturbãt. Perpẽdenda erit Medicina, auxilia, siue multa, siue magna, siue vtraq;.

Tertiò, si non fuerint qui iniuriam à nobis acceperint, nec intulerint, nec æmuli, aut aduersarij nostri, vel nostrorũ, vel vires illis desint nocendi, aut opes, aut amici, non est cur timeamus.

Quartò, si ad graues casus quis peruenerit, ex eisque euaserit, vel

vel nulla omnino incommoda expertus sit, erit confidens, vt qui vel plures maris tempestates expertus est, vel omnino nullas.

Quintò, si similia paribus, vel in firmioribus metũ nõ incusserũt.

Sextò, si iniuria quis affecerit, vel neminem, aut paucos homines, non ita timet.

Septimò, si ea quæ erga Deum bene se habuerint, vt enim ait Aristoteles 2. Rhetoric. firma opinio est in pectoribus hominum diuinam naturam ferre auxiliũ his, qui iniuriam accipiunt.

Deniq; quęcunque ad spem concitandam, & timorem comprimendum sunt idonea, eadem audaciam gignunt.

Quæ confidentiã generant, ea dẽ etiã spẽ causant; sicut ea quæ timorẽ, desperationẽ influũt. Primò, excitabitur spes alicuius ardui boni, si posſibile declaretur. Secundò, si facile. Tertiò, si proponamus facultates, causas, adiumenta sperantis. Quartò, si tẽpus, locus, & adiumenta idonea declarentur. Quintò, si alij proponantur qui sperarint, & consecuti fuerint minoribus auxilijs, diuitijs, adminiculis. Sextò, si amoueãtur à consideratione pericula, vel minuantur.

Cap. IX. *De verecundia.*

Est verecundia, *Aegritudo quædam, & conturbatio circa illa mala, quæ videntur inferri ad existimationem, dignitatẽq; violandã, siue ea, iã sint, siue iã fuerint, siue futura sunt.*

Ad excitandum istum motũ. Primò, describentur ea facta, quæ à vitio proficiscuntur, vt à timiditate, iniustitia, libidine, auaritia, ingratitudine, adulatione, iactãtia

Secundò, ea bona quæ desunt, solẽtque inueniri in ijs, qui eiusdẽ sunt generis, ciuitatis, ætatis, familiæ.

Tertiò, dicatur de mala existimatione, quam sapientes cordati, & virtute præditi viri conceperunt.

Quartò, sermo fit de his, quibus cum de honore contẽdit, quibus etiam admirationi esse cupiebat.

Quintò, describantur animorũ motus eorum, qui cum ipsis in eisdem locis mansuri sunt; & illorum qui non sunt propensi ad ignoscendum, & eorum qui procliues sunt ad narrandum quæ nouerint multis, vt qui iniuriam acceperint, & maledici; & qui tempus terent in perscrutandis aliorum peccatis.

Sextò, siqua verecundiæ affinia explicabuntur.

Septimò, verba turpia & indigna, quæ dicta fuerint.

Octauò, numerentur homines, qui dedecus aperire posſint illis, qui in dignitate sunt; nam verecũdatur nemo eos, quorum valde contemnit opinionem.

Nonò, fiat comparatio antiquę existimationis cũ noua turpi, vt Cicero pro Muræna. *Abijt ergo miser : quo? ad Orientis ne partes, in quibus annos multos legatus*

fuit, & exercitus duxit? &c.

Cap. X. de conquestione & misericordia, ex Tullio & Arist.

ANimum auditoris mitem, & misericordem efficere oportet locis communibus, per quos fortunæ vis in omnes, & hominũ infirmitas ostenditur.

Primus locus misericordię, per quem quibus fuerint in bonis, & nunc quibus in malis sint ij, quos defendimus, ostendatur.

Secũdus, quibus in malis sint, fuerint, & futuri sint, declaretur.

Tertius, vnumquodq; deploretur incommodum ex delectatione, amore, spe, solatio, & simimilibus ablatis.

Quartus, res turpes, & humiles, & illiberales proferantur indignæ ætate, fortuna, genere, pristino honore, beneficijs, quas passus est, & est perpessurus.

Quintus, per demonstrationẽ describantur incommoda, vt quis videre videatur.

Sextus, præter spem in miserijs esse, & cùm summa expectaret.

Septimus, similem casum ad eos, qui audiunt, conuertemus, & petemus, vt de suis liberis, & amicis, cùm nos videant, recordentur.

Octauus, dicatur factum, quod nõ oportuit; aut quod oportuit, non factum, per narrationem.

Nonus, oratio ad mutas res & expertes animi referatur.

Decimus, inopia, infirmitas, solitudo demonstretur.

Vndecimus, fiat commendatio liberorum, parentum, corporis, &c.

Duodecimus, deploretur separatio & disiunctio.

Decimustertius, fiat conquestio cum indignatione, quasi tractetur malè, à quibus minimè cõuenit, propinquis, amicis, quos adiutores fore credebatur, & à quibus indignum est seruis, libertis, supplicibus.

Decimusquartus, humili & supplici voce auditores oremus.

Decimusquintus, quàm animũ nostrum misericordem in alios ostendimus, & tamen amplum, & excelsum, & patientem incommodorum demonstrabimus. Nũc Aristotelem audiamus, ex quo pleraque ex his, quæ referemus, desumpsimus.

Misericordia, vt idem docuit Aristoteles, est *dolor quidam susceptus ex conspicuo alicuius indignè patientis malo, quod interitum, vel dolorem affert, dum is, qui miseretur, se quoque, aut aliquem ex suis perpeti posse, quia propinquum videtur, existimat.*

Primò proponantur, quæ ęgritudinem, dolorem, interitumque afferunt, vt mors, senectus, vexatio, victus inopia.

Secundò, ea, quorum magis fortuna est causa, vt amicorum inopia, solitudo, corporis defor-

mitas-

mitas, imbecillitas, & non votis respondens euentus idq; sæpe.

Tertiò, si post aduersam fortunam non liceat vti bonis, quæ accesserint.

Quartò, si in omni vita bonorum expers fuerit.

Quintò, si cùm ijs nobis intercedat vsus, quia pares, & similes ætate, moribus, studijs, dignitate, & genere; qua etiam forma existimamus facilius nos hæc mala pati posse.

Sextò, si probi, & sancti sunt ij, qui in miseriam deuenerunt.

Septimò, misericordia ij afficiuntur, qui se aliquid mali facilè perpeti posse putant, vt imbeciles, timidi, optimis artibus exculti, nimium prudentes qui parentes, liberos, & vxores habẽt, quorum mala, propria arbitrantur; & qui existimant alios bonos, & æquos esse: & qui se, aut ex suis aliquem casum perpessum fuisse recordatur.

Contra verò non miserentur. Primò, qui vndequaq; miseri, cùm nihil amplius mali perpeti posse putant. Secundò, qui se supra modum fortunatos vident, & secundis rebus fiunt cõtumeliosi. Tertiò, qui nihil mali posse se sustinere existimant. Quartò, qui fortes, irati confidentes. Quintò, qui vehementer pauescunt, de se ipsis solum cogitantes. Sextò, qui nullos bonos, æquosq; arbitrantur.

Cap. XI. De indignatione ex Tullio, & Aristotele.

INdignatio est oratio, per quam conficitur, vt in aliquem odiũ concitemus; atq; ex rebus, quæ personis atq; negotijs attributæ, tractatur indignatio per amplificationem; sed tamen separatim hæc præcipiuntur.

¶ Primus locus ab autoritate, cùm commemoramus quantæ curæ res ea fuerit Deo, & diuis. Id fiet ex oraculis, sortibus, vatibus, ostentis, prodigijs, responsis, & similibus, ex maioribus, Regibus, ciuitatibus, gentibus, & hominibus sapiẽtissimis, senatu, populo, legum scriptoribus: nunc autem quanto in contemptu sit.

Secundus locus, ad quos illa res pertineat; an ad omnes, minorem partem, superiores, æquales animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum; an ad inferiores, quod superbissimum est.

Tertius, quæratur quid sit euẽturum, si idem cæteri faciant, huic si id concedatur, multos eius audaciæ æmulos fore.

Quartus, plures alacres spectare, quod statuatur, vt quid sibi liceat, intelligant.

Quintus hanc esse rem, quæ semel statuta, nec immutari possit, nec corrigi valeat.

Sextus, consultò, & de industria facto veniam dari non oportere.

Septimus, tetrum, crudele, nefarium,

nefarium, tyrannicum factum dicatur per vim, diuitias, &c.

Octauus, nec ab audacissimis id factum esse; à feris Barbaris, im manibus bestijs. Hæc erunt quæ in parentes, liberos, coniuges, cõsanguineos, supplices crudeliter facta; in maiores natu, hospites, amicos, vicinos, eos quibuscum educatus, eruditus; in mortuos, miseros, misericordia dignos, claros, nobiles, misericordia vsos, in pueros, senes, mulieres, quibus nec lædere, nec se tueri cõtingit.

Nonus, comparetur peccatum hoc cum alijs, quæ esse constat, & per contentionem atrocius, indignius ostendatur.

Decimus, quæ in negotio acta, & consecuta cum indignatione, & crimine colligemus per descriptionem.

Vndecimus, ab eo factum, à quo minime oportuerit, & à quo si alius faceret, prohiberi conueniret.

Duodecimus, indignemur, quod nobis id primis acciderit, nec alicui vnquam.

Decimustertius, cum iniuria contumelia iuncta demonstretur, in superbiam, & arrogantiã incitemus.

Decimusquartus, ea quæ acciderũt, petemus ab ijs qui audiũt, vt ad suas res nostras iniurias referant; si ad pueros pertinebit, de liberis; si ad mulieres, de vxoribus; si ad senes, de patribus cogitent.

Decimusquintus, vel inimicis hæc apparent indignissima. Hæc Tullius præcipit; nũc quid indignatio sit, & vnde ortum habeat, docebit Aristoteles.

Indignatio, iuxta Aristotelẽ, misericordiæ aduersatur, & ex eo oritur, quòd indignos videat secũdis rebus potiri, non quòd inde veniat aliquid nocumenti, esset enim tunc metus.

Primò, excitatur non ex bonis, quæ à natura tribuuntur, sed ex his, quæ ex diuitijs, opibus, & potentia continentur, cùm hæc indigni possident.

Secũdò, magis indignamur ijs, qui nuper habuerunt, quàm ijs qui olim ista obtinuerunt: illi enim in alienam rem irrupisse videntur.

Tertiò, cum boni bonum aliquod sibi non conueniens adepti sunt, quia excellentius meritis.

Quartò, cùm ij, qui cum superioribus conuersantur in ea re, qua sunt indigni, sunt dispares.

Quintò, indignãtur magis illæ personæ, quæ magnis bonis sunt dignæ, illaq; consecutæ sunt. Illi insuper qui probi, ac virtute præditi, qui honorum cupidi, vt in illis enitescat virtus. Quo fit, vt mancipia, & abiecti homines, honorumq; contemptores succense re non soleant.

Cap. XII. De consolatione.

CAput istud, pro dolore mitigando deseruiet, cuius inuentionem

...ius expriſcis,& nouis dicendi magiſtris.

Primô,ita accedemus ad conſolandum,vt noſtrum dolorem oſtendere magis,quàm alienum mitigare velimus, negabimuſq; illi opus eſſe noſtra conſolatione, pro ſui animi fortitudine; nos etiam ipſos parum ad conſolandũ idoneos, cùm non minus vagamur, quàm is ipſe, quem confirmare audemus.

Secundô, noſtri doloris cauſam exaggerabimus,non à re ipſa;ſed ab eius,qui patitur,indignitate;at non ſine laude eius iniuriam bonis viris dolere.

Tertiò, omnia, quæ dolorem lenire poſſunt, colligemus.

Quartò,malum,in quod incidit, extenuabimus,alleuantes bonũ, vnde excidit,vel quia non diuturnum;vel ſi diuturnum,aliquid cõmodi ſe oſtentet,atq;illam calamitatem gradũ facere ad maximos honores; ſumma enim felicitas, ab acerbis initijs proficiſcitur.Leuet igitur dolorem humanæ conditionis recordatio.

Quintò,illuſtriũ virorũ exẽpla, qui in eoſdem, vel ſimiles luctus inciderunt, accumulabimus.

Sextô,ad exhortationem veniemus, ad priſtinam tolerantiã, mgnitudinem, ſapientiam vocabimus.

Septimò,omnem operam, ſtudium,diligentiam ipſi ac neceſſarijs deſeremus,nihilq; de aliorum felicitate dicendum.

Octauò à genere deliberatiuo argumenta petentur,cùm conſolatio nihil aliud quàm doloris cõtineat diſſuaſionem.Primò ab honeſto,etenim res aduerſas æquo animo ſuſtinere honeſti viri atq; conſtantis eſt.Secundò ab vtili & inutili,cum lamentationes & lachrymæ,ſine cõmodis, imô ſummo cum detrimento coniunctæ ſint;tolerantia verò ſummis vtilitatibus adiuncta exerceatur. Tertiò, à laudabili, & glorioſo, quòd ob oculos proponat tolerantia. Quartò à facili,cùm facilius ſit ſolatij leuamen, quàm renouatiò doloris.Quintò à neceſſario, vna enim relinquitur via,vt ex mali neceſsitate virtus exoriatur.

Chriſtianus orator firmiora multò præſidia habet,vnde ſua deducat argumenta.Primò, à diuino auxilio. Secundò, à Dei iuſtitia,& noſtris meritis.Tertiô, ab illius promiſsione erga debiles & mærore perculſos. Quartò, à gloria Dei,quæ ex patientia oritur,tolerantia.Quintò,ab exemplo,quod alijs præbeatur ex diuturna & conſtanti perpeſsione. Sextô,à futuræ gloriæ,ex præmij magnitudine,&c.

Cap. XIII. *Admonitiones ad recte permouendos affectus.*

QVid & quotuplex ſit affectus diximus ſupra, vbi plura quæ Tullius, & Quintilianus, cir-

circa difficultatem ac necessitatē commouendorum affectuum definitionibus, diuisionibus, & exemplis illustrarunt, quia non omnino necessaria essent, prætermisimus. Nunc antequam finiā, admonēdus videris amice lector. Primò, ne ab hoc munere abstineas, quòd nimis credas esse difficile, nam quos mulierum vox sine vlla subiecta sentētia affectus commouet, cur numerosa oratio grauibus ornata sentētijs permouere non valeat?

Secundò, multum conferet ad affectus commotionem, si eam adhibeas curam, vt quæ dicturus es, non intelligas solum, & memoria contineas, sed etiam tota mentis cogitatione in ea intres, & internis oculis quasi præsentia perlustres.

Tertiò, Accedat quædam feruens, & viua pronunciatio, incensa, & lacertosa, quæ rebus quasi vitam tribuat.

Quartò, ille ad permouendos alios erit aptissimus, qui prius se ipsum permouerit sententijs, vultu, voce, collachrymatione. Tullius plangore, & lamentatione replebat forum, quem non tam ingenij quàm magna animi vis inflammabat. Huius copiosam probationem habet secūdus liber de oratore.

Quintò, eum locum, eamvè causam, quam sibi proposuit orator defendēdam, vel euertendā, vt rem suam sibi maxime charā, & necessariam tractet: quoniam quæ nostra interesse putamus, copiosius ardentiusque curamus.

Sextò, non in omnibus rebus maiores perturbationes excitandæ sunt, sed in grauioribus, & maioris momenti causis. Neque vniuerse loquendo, in omni orationis parte, sed in exordio, confirmatione, & peroratione; in exordio remissius, in confirmatione vehementius, in peroratione ardentiùs, dicendum est.

TRACTATVS

SEPTIMVS, DE AMPLIFICATIONE ORATORIA.

QVoniam orator ad imperitam multitudinem dicit, quā delectatione allicere, viribus orationis commouere, ac trahere debet: propterea eius orationem speciosam, locupletem, exaggeratam, lacertosam, atq; robustam esse necesse est. Feratur, inquit Fabius,

bius de hoc orationis genere loquens, non semitis, sed campis; nō vti fontes angustis fistulis colliguntur, sed vti latissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quandò nō accepit faciat: & quoniam id sola amplificatione fit, ideò loca amplificationum attingemus.

Cap. I. In quo est Sylua locorum ad amplificandum.

QVæ conditiones seruandæ sint ad amplificādum, docet Cypriani tabula; quos ille amplificandi modos omittit, complectemur.

Prima amplificandæ, & dilatādæ sententiæ ratio est, si quod generatim dici poterat, id latiùs explicetur, atq; in partes deducatur.

Intelligitur res exemplo, si de homine dixeris, *Omnem imbibisse scientiam*, sine amplificatione dicis; numera singulas scientias Rhetorum, & Theologorum, cum Mathematicis, & multò erit explicatior, & clarior propositio.

Secunda dilatandi ratio est, quoties non contenti semel exitum rei proponere, ex quo antecedentia intelligantur, singulatim commemoramus ea, per quæ ad rei finem deuētum est. *Vt vrbem cepit*, ita ampliatur. *Copias vndiq; comparat, machinas comportat, admouet al mœnia, hostes resistunt, tandem hic vrbis potitur.*

Tertia dilatandi ratio, cùm non rem nudam exponimus, sed causas repetimus, atq; initia vnde profecta, veluti exortum bellum inter Turcas, & Persas, dilatabitur, numeratis bellorum causis, & initijs.

Quarta, dilatandi ratio est, cùm non simpliciter negotium proponitur, sed adiuncta dicimus, & comitantia, vel consequentia, vel uti. cùm dicimus Babylonis ruinam tibi acceptam, referemus. Dilatabitur ex fracta iuuentute, exhausto ærario, abiectis gregibus, incensis villis, orphanis, liberis, viduis, matronis, &c.

Quinta locupletandi forma est per descriptionem, quæ rem coloribus expressam, velut in tabula spectandam proponit, numerata tota rei natura, & circumstantijs. Personæ descriptio ex genere exornatiuo desumitur, adiunctis proprietatibus officiorum, amantis, luxuriosi, auari, voracis, temulenti; gloriosi, ostentatoris, inuidi. Præterea nationem, formam, cultum, vocem, linguam, gestum, incessum, ritus, ingeniū ac mores exprime. Ad hæc singularum ciuitatum notas, ætatis studia, ac differentias, sexum, fortunam, hæc quoq; in fictis personis contingunt. Descriptio rei, loci, temporis huc attinent.

Sexta dilatandi, seu ampliandi ratio, per egressionem, seu digressionem contingit, cùm extra ordinem ad vtilitatem causæ excurrit tractatio.

Sum-

Sumuntur loci ad egressionem, vel ex genere exornatiuo, vel ex deliberatiuo, & iudiciali; ab expositione rerum gestarum, locorũ, regionũ, personarum; à tractatione fabularum, apologorum. Praeterea à locis communibus, quoties amplificandae rei gratia in luxuriam, libidinem, auaritiam, turpem amorem, & caetera vitia dicimus. His excursibus, ita tamẽ, vt rem attingãt, vti licebit in initio; & fine orationis, praesertim quando leuandi erunt fessi auditores; tũ etiã cùm subtilis, & inamoena res praecesserit.

Septima ratio ab epithetis desumitur. Epitheta desumũtur ex genere exornatiuo, iã ex animo, vt sapientissimus, iã ex corpore, vt fortissimus, deformissimus; tũ à bonis externis fortunae, à genere, ab opibus, à forma à viribus, à patria, ab euentu, siue haec substãtiua, siue adiectiua sint.

Octaua locupletandi ratio à circunstãtijs desumitur; vel rerũ, vt locus, causa, occasio, instrumẽtũ, tẽpus modus, atq; id genus aliẹ vel personarũ, ventio, patria sexus, aetas, educatio, disciplina, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, studium, anteacta commotio, consilium, nomẽ, quẹ omnia ad amplificandum, extenuandum, describendum, probandumq; deseruiunt.

Nona dilatandi ratio constat in cremẽto, quoties gradib⁹ aliquot peruenitur ad summũ, & interim, quodammodo suprà summum, in Verrẽ *Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari potest nullomodo.*

Decima dilatandi ratio est, numerando affectus, vel absentiam affectuũ, qui in re ipsa elucent, dũ fit enumeratis distinctè proprietatibus.

Insuper affectus eorum qui adsunt, vel absunt; & qui esse, vel non esse deberent.

Vndecima dilationis forma, cũ aliud crescit, aliud augetur. Hoc modo Tullius exaggerat nõnulla crimina, adijcit postea, *Leuia sunt haec*, vt maioribus criminibus iaciat fundamenta, sic in Verrem, *Leuia sunt haec in hoc reo, metum virgarum Nauarchus nobilissima ciuitatis pretio redemit: humanum est: atrocissimum quidem spectetur, necesse est, cum haec, quae sunt atrocia comparata, humana atq; vsitata videntur.*

Duodecima ratio est per congeriem verborum ac sententiarũ idẽ significantiũ quae ratio finitima est aliquibus dictis, & dicẽdis. Vtimur verò in hac tãquam aceruo, vt Tullius pro Ligario: *Quid tuus ille Tubero strictus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? qua tua mens, oculi, manus, ardor animi? &c.*

Decima tertia ratio sumitur ex accumulatione copiosa probationũ & argumẽtorũ. Vnde verò ista

argumenta sumantur, tractatus de inuentione, & exornatione, & deliberatione docebunt, & quæ sint argumenta artificiosa, quæ etiam artis expertia.

Decima quarta ratio, qua crescit amplificatio, & numerus propositionum, est à fictione, quemadmodum pro Milone, *Fingite à Milone occisum Clodium;* Deinde adserium accedit, *sed non occidit.*

Decima quinta ratio est ab exẽplis. Horum vim quàm maximam, maximeq; variam cõparare, & in prõptu habere cõueniet. Sunt verò ante facta, & ante dicta, & publicæ gentium consuetudines, & sumũtur à discriminibus autorum puta Historicis, Poetis, Comicis, Tragicis; à diuersitate nationum; à temporis varietate, cùm alia prisca, alia recentia; à qualitate rerum, nam quædam militaria, ciuilia alia; à cõditione personarum, vt principiũ, iudicũ, diuitũ, pauperũ, mulierũ. Hæc exẽpla augẽtur, & crescunt tractatione. Primò, per cõmendationem vel rei, vel autoris, vel gẽtis. Secũdò, si addantur exaggerationes, & amplificationes. Tertiò si exẽpla fabulosa in mediũ proponantur, ita tamẽ, vt nõ sine causa ficta esse cõfingas: deinde explica Historiã, & allegoriam. Quartò dilatantur exẽpla per parabolã, seu collationem, comparando exemplũ cũ re de qua disceptatur; siue cõparatio fiat à contrario siue à simili.

Decima sexta ratio est, à definitione, seu descriptione rei, cũ varijs eius attributionib⁹ cõglobatis explicatur. De descriptione verò suo loco tractatum est.

Decima septima locupletãdi ratio est ab oppositorũ cõflictione, quorũ alia aduersa; alia priuãtia; alia relata, vt in Catil. *Hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobrijs, dormientes vigilantibus?* Et in oratione pro Rosc. *Qua in re mihi ridiculus est visus, & inconstans, qui eundem & læderes, & laudares, & virum optimum, & improbum esse diceres.*

Decima octaua, à similium frequentatione, vt eleganter sapiens impiorũ miseriã amplificat, cùm sub illorum persona ait, *transierũt illa omnia tanquã vmbra, & tanquã nuntius, & tanquã nauis,* &c. c. 5.

Decimanona, à dissimilium rerum coniunctione. Philipp. 2. *O tecta ipsa misera, quàm dispari domino, quanquam quomodo iste dominus, sed tamen quàm à dispari tenebantur. Studiorum enim suorum Marcus Varro voluit esse illud, non libidinum diuersorium,* &c. *Quæ in illa villa ante dicebantur,* &c.

Vigesima, à frequentatione locorum, de quibus in tractatu de inuentione dictum est, vt contingit in frequentione, seu conglobatione definitionum. Secundò partium. Tertiò exemplorum. Quartò causarũ. Quintò effectorum. Sextò contrariorum. Septimò antecedentium. Octauò,

consequentium. Nonò, repugnã tium. Decimò, specierum. Et sic in alijs locis tam quæstionis simplicis, quàm comparata.

Vigesima prima, à sermocinatione, cùm alicui personæ congruentem sermonem tribuimus. Hac fictione sæpe vsus Tullius, in ea præsertim oratione, quę pro Milone est, & in ea quæ contra Pisonem, Vigesima secunda ratio amplificãdi, à figuris desumitur, vt à repetitione, complexione, Prosopopęia, Apostrophe, subiectione, & reliquis, quas in promptu habere conueniet, quò facilior sit aditus ad amplificationem. Lege nostrum tractatum de figuris.

Vigesimatertia ratio est à Tropis, vt ab Hyperbole, Metaphora, Allegoria, Ironia, Antonomasia, Synecdoche, Metonymia, Periphasi, cuius generis tot sunt exempla, & tam obuia apud autores, vt recensere opus non sit.

Vigesimaquarta ratio desumitur ab asseueratione firma, quæ iam verbis, iam aduerbijs contingit; vel ab opposito, vt à timida affirmatione, quæ eisdem ferme modis euenire potest.

Vigesimaquinta amplificandi ratio à nomine exoritur, quoties vel corrigitur, vel explicatur, vel dilatatur cum respectu ad rẽ, de qua tractatur.

Vigesimasexta amplificandi via est, si quod prius per affirmationem diximus; deinde per negationem repetamus.

Vigesimaseptima, si de eàdem re primùm ad vniuersos; postea ad vnum, vel alterum; deinde ad præcipuum conuertatur; & tandem ad eos, vnde cępit, reuertatur oratio, maxima erit amplificationis seges.

Vigesimaoctaua, si ex eo quod est cõclusum, aliquid deducatur, crescet suis numeris oratio.

Vigesimanona ratio est, quã ab Antimacho poeta mutuatus est Aristoteles, mirum, & facilem in modum ad amplificandum dilatãdumq; rem, quãtumuis exiguam, valet, quod multis vitijs malisve careat, quæ in alijs rebus inueniũtur, quæ sunt penè infinita.

Trigesima amplificandi via est, cùm quæ vna periodo coniũctim sunt proposita, posteà sectione, & diuisione separantur, ita vt singula, singulis periodis, seorsim explicentur; præsertim verbis commutatis, ita vt in vna dicamus paupertatem; in alia inopiã, in alia egestatem, &c.

Cap. II. *De amplificatione ex fine.*

IN fine, quæ causarum omniũ prima, & nobilissima est, hæc sunt amplificandi consulenda principia. Primò, videndum, an sit ex vno fine proposito ineunda laus, aut deliberatio. Secundò, an ex multiplici fine: vt si numeres eas causas, quibus Christus Dominus dispensauit redemptionẽ nostram, & in singulis immoreris

ris. Tertiò formam, & dignitatem finis amplifica. Quartò finis cum efficiente cauſa comparetur. Quintò cum effectis, & vtilitatum enumeratione, eadem fiat comparatio. Sextò quæ ſimilia, vel diſsimilia exempla euenerint, quibusque inſtrumentis contigerint, dum alij ad finem ſimilem, vel diſsimilem aſpirarent. Septimò repugnantia cum fine dignoſcantur, & ex illis depromentur argumenta, vt quis fini vicinus, vel alienus ſit, comperiatur.

Octauò iuxta capita tractatus primi ex comparatione finis, multa fiet amplificatio. Nonò pleraque ex fine officia petenda ſunt: laus, vituperatio, ſuaſio, diſſuaſio, coniectura, gaudium, odium, ſpes, obteſtationes, exaggerationes, & cæterat. Hinc illuſtrantur narrationes, confirmationes, epilogi: augentur figurarum ornamenta. Nihil denique eſt, quod non ex fine ad argumentandum, redarguendum, laudandum, atque ſuadendum ſummum accipiat vigorem, & leporem.

Cap. III De amplificatione ex cauſa efficienti, & effectis.

NOta eſt triplex illa diſtributio cauſæ: in abſolutam, & adiuuantem: in procreantem, & conſeruantem: in agentem ſua ſponte, & conſilio, vel ſine conſilio, & neceſsitate. Fuſiorem partitionem habet tractatus primus. Amplificatio petenda eſt primo ex collatione efficientis cum materia huius conſiderata nobilitate, reſiſtentia, dignitate, & cætera. Secundò efficiens comparetur cum effectis, & eorum numero. Tertiò cum ſimilibus, vel ſuperioribus cauſis efficientibus. Quartò cum aliorum formis erit latior comparatio, ſi efficientis natura fuſius declaretur. Quintò argumenta ſumentur cum exemplis, ab efficienti minori, vel maiori. Sextò effecta conglobentur, vel præteritione, vel vehementi interrogatione, repetitione, adiunctione, & cæt. Septimò effecta cum efficiente, & fine conferantur. Octauò effecta ipſa inter ſe, & cum cauſis comparatione certent. Nonò effecta cum diſsimilibus proponantur, accerſito figurarum incremento. Denique nullum eſt Rhetoris officium laudandi, ſuadendi, & accuſandi, quod non ab efficiente ſumat in tractatione incrementum.

Cap. IIII. De amplificatione à partium diſtributione.

PRimò genus in ſuas formas diſtribuetur, quot illæ ſint, tractabitur, & quem dignitatis ordinem ſeruent inter ſe ſe. Secundò totum, aut integrum in ſuas partes diſtributum oſtendemus. Ter

tiò vocem totius, & singularum partium, in suas significationes partiemur. Quartò dabunt amplificandi materiam fortuitæ distributiones, cum subiectum in accidentia, aut accidens in subiecta, aut accidens in accidentia distribuitur.

Quintò temporum, & locorũ distributio obseruanda: vt quælibet pars temporis & loci propria suppeditet argumenta.

Sextò in enumeratione causarum, partes cuiusque causæ notentur, & examinentur. Septimò conducet, non parum, si hæ distributiones similibus, & exemplis, & descriptionibus illustrentur. Octauò iuuat ad amplificandum, si antecedentia & consequentia ad partium distributionem insinuemus. Nonò illustrandæ sunt enumerationes, seu partium distributiones, figurarum ornamentis; interdum fient cum repetitione in singulis periodis, interdum per præteritionem, cum repetitione; traductione, interrogatione, subiectione, frequentius vtemur, quo & claritatem, & voluptatem conciliemus.

Decimò exercenda partium distributio, cum enumeratione coniuncta in narratione, confirmatione, epilogo, & exordio ad quamlibet orationis materiam. Denique omnes illi affectus, quos tractatus sextus docuit, mirum est quantum enumeratione excitentur.

Cap. V. De amplificatione ex adiunctis, & consequentibus.

QVid adiuncta sint, & quæ, habet tractatus primus, nũc pro amplificatione hæc obserua. Primò coniunges adiuncta rei, quam tractas, cum adiunctis efficientium. Secundò conglobabis causas efficientes, & adiuncta. Tertiò nectes adiuncta, cum fine, forma, & materia. Quartò cum effectis. Quintò cum antecedentibus, consequentibus, similibus, & dissimilibus.

Sextô adiuncta personæ loci & temporis considerabis.

Septimò adiuncta cum exemplis, & comparatione tractabis. Octauò descriptione adiunctorum vteris. Easdem vias ad amplificationem desument argumenta ex consequentibus, & ea fere omnia quæ ex Rhetorum locis depromuntur. Huc spectant commorationes, & expolitiones, quæ ex solis fere adiunctis incrementum habent.

Quid expolitio sit, doceo tractatu 8. cap. 5.

C. VI. De amplificatione ad affectus.

PRimò fiat amplificatio ex sermonibus multorum, & inusta nomini macula, vel acquisita gloria. Secundò ex occluso, vel aperto ad honores aditu. Tertiò affines eidem culpæ, quam infamiam subierint, declarabimus.

Quartò per partium distributio-

tio-

tionem, & adiuncta affectus causæ exaggerentur. Denique ex tractatu sextò harum commotionum legenda sunt semina, & ex his quæ nuper de amplificatione, & suo loco de figuris dicuntur. Tandem accedent tria illa Rhetoricæ præsidia: postulatio quæ simpliciter poscit, postulatio quæ humiliter ac demisse supplicat, obtestatio quæ flagrantem, & ardentem omnino vim testandi habet.

Horum capita plura dedit tractatus tertius de genere deliberatiuo; & quartus de iudiciali. In obtestationibus, repetitionibus frequenter vtendum est: vt, Te teipsam testor terra te testor mare, testor quoque iudices, & cæt.

Cap. VII. De amplificatione similiũ & dissimilium.

PRimò tractatur simile per solam similitudinis propositionẽ. Secũdò similiũ propositione, & assumptione. Tertiò adhiberi posset similitudo ad probandum in nulla ahibita assumptione, neque cõclusione. Quartò possunt illustrari similia contentione, siue collatione qua eorũ tractatio dilatatur, propositis etiã adiunctis, & exẽplis. Quintò ex similiũ cõglobatione habet oratio incremẽtũ. Sextó cũ antithetis, & cõparatione amplificãtur similia. Septimò, si cũ dissimilibus cõponas dissimilia, dabis summũ orationi augmẽtũ. Octauò per descriptionẽ latius euagatur simile. Nonò obseruare oportet, vt paria paribus, similia similibus, dissimilia dissimilibus accommodemus. Denique ex historijs prõptuaria habebimus, vnde & similia crescant & exẽpla. Eandẽ sumes viam pro amplificatione repugnantiũ, & contrariorum. Alia capita dabit tractatus primus.

Cap. VIII. De amplificatione testimoniorum, & sententiarum.

PRimum genus amplificandi testimonium erit ex propositione historiæ, aut testimonij, cũ exempli breuiore vsurpatione. Secundò adhiberi posset testimonium, adiuncta propositione exẽpli, & assumptione. Tertiò per inductionem, & enumerationem, cum plura testimonia, & exempla conglobantur, augetur auctoritatis pondus.

Quartò comparanda sunt testimonia nostra cum contrarijs, ex capite sexto partis 1. tractatus 4. Quintò prius persona, aut gens, aut natio, aut auctor exempli, & testimonij laudetur: deinde introducatur exemplum, posteà accõmodetur. Sextò ex antecedentibus, consequentibus, & adiunctis testimonij, & auctoris sumentur incrementa orationis. Septimo ab auctoritate maiorum, & testium capiemus argumenta. Octauò contentiones inducantur inter testimonia, quæ probant, & res

& res quibus probandis adiungũtur. Nono orationis lumina per subiectionem, repetitionem, apostrophen, & alias figuras adijciemus. Denique verborum sonum, breuitatem, grauitatem expendemus: metaphoras, figuras, quibus alijs verbis eadem sententia expendi potuisset: quare non alijs, sed his prolata fuerit, examinabimus.

In sententia, Primò per locum communem declaretur dignitas eius rei, quæ commendatur. Secundò exponatur sententia. Tertiò ratio sententiæ subijcietur. Quartò à contrario sententię vituperato, laudabitur sensus in ea contentus. Quintò à simili alterius historiæ, vel sententiæ, dilatetur. Sextò ab exemplis, quæ nihil aliud præ se ferant, nisi illius sententiæ obseruantiam. Septimò à testimonijs Doctorum, Poetarum, Historicorum eandem sententiam commendabimus. Octauò damna ex non obseruata sententia numerabimus, iuxta tractatum de genere deliberatiuo. Nonò partes honestatis, ex eodem tractatu mutuabimus, percurrentes singulas virtutes, & virtutum capita. Decimò ea quæ de amplificatione testimoniorum diximus, in sententiarum amplificatione locum habent.

(.?.)

TRACTATVS OCTAVVS DE ARGVMENTATIONIBVS.

CVM Argumenti per inuentionem excogitati nulla sit vtilitas, nisi argumentatione tractetur, nobis, qui præter simplicem locorum inuentionem, etiam vsum demonstrare conamur, aliquid etiam de iudicio, hoc est, de ratione, qua inuenta argumenta tractari debeant, differendum fuit. Iudicium in argumenti recta tractatione, at dispositione positum est, qua ratione inuentio in argumenti excogitatione consistit. Est itaque iudicium, argumentorum quæ inuenta sunt, ordine certo tractandorum scientia, quæ dotrinam argumẽtandi complectitur.

Cap.

Cap. I. quid argumentatio sit, & de epicheremate, seu ratiocinatione.

ARgumentatio est inuenti argumenti tractatio, dilatatio, atque ornatio. *Argumentum est dubiæ rei fidem faciens oratio:* vel ad rem accommodatius, *Argumentatio est oratio, in qua vnum ex alio colligitur, vel in qua argumento explicato, altera pars propositæ quæstionis concluditur.* Tribus constare debet, nimirum ea parte ex qua aliquid colligitur, quæ antecedens vocatur, & ea, quæ infertur, quam consequens, & conclusionem appellant, & particula ratiocinatiua, quæ consecutio, & connexio designatur, vt contingit in hac oratione, Est viuens; ergo mortale: ex qua, si coniunctionem remoues, nulla est argumentatio, cuius tota vis in consecutione, & connexione sita est.

Prima argumentationis species est epicherema, seu ratiocinatio liberiorem argumentorum collectionem includens, & syllogismorum. Quæ autem inter epicherema & syllogismum vicinitas, ostenditur à Quintiliano libro quinto, capite decimo. Huius quinque partes, propositio, ratio, confirmatio rationis, exornatio, & complexio. Propositione breuiter ostendimus, quid intendamus. Ratione, veritas propositionis, vno, vel pluribus ostenditur argumentis. Rationis confirmatio, si quid infirmum rationi fuerit, instaurat, & roborat. Exornatio per dictionis ornamenta expatiatur vrgendi contrarij causa. Complexio argumentationis partes breuiter colligit. Hæc est argumentatio plena, quæ vires & elegantiam habet; vires ab argumentis, elegantiam ab ornatu. Non plena, solum est ad fidem accommodata, vt Dialecticorum syllogismi. Hæc omnia amplè, dilucidè, ac robustè tractat M. Tullius 1. de inuentione, his ferè verbis.

Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabili aliquid eliciens, ex quo posito, & per se cognito, sua se vi, & ratione confirmet. Hanc quinquepartitam credimus esse oportere; nam primum conuenit exponere summam argumentationis. Secundò rationibus varijs, & quàm copiosissimis verbis approbemus: hic iam duæ partes transierunt ratiocinationis. Tertiò, cùm propositio sit hoc pacto approbata, quod ostendere velis ex vi propositionis oportet assumere, & huius assumptionis quarto in loco aliam induces approbationem. Quintò, fiet complexio, vel enumerans omnia, vel id solum inferens, quod contendit. Est propositio, quam Dialectici maiorem, assumptio,

quam minorem propositionem appellant. Aliæ ratiocinationes quadripartitæ; tripartitæ aliæ possunt consistere, si vel altera tantum, aut neutra expropositione, & assumptione indigeat approbatione. Hæc declarat Tull. exemplis, & nos propria adhibebimus in exercitamentis huius primi voluminis, & fusius monstrabuntur in secundo Rhetoricæ nostræ volumine.

Cap. II. *Quid sit Syllogismus, & de illius materia, forma, figura, modis.*

SYllogismus tribus potissimum partibus conficitur, propositione, assumptione, conclusione. Propositio frequenter versatur in vniuersali. Assumptio in minus vniuersali, quia est ad certitudinem materiæ magis adstricta.

Figurarum tres modi sunt, sine quibus in nullo genere doctrinarum est aliquid legitimi, vt ita nihi in vnaquaque recolligamus, quod non Syllogismi aliquam formam præ se ferat, quod in libris contra Academicos seruauit Augustinus, præsertim lib. 3. cap. 16. contra Pyrronios, qui nihil in rebus certum, sed dubia cuncta confingebant.

Huius argumentationis vires ex Dialectica declarandæ sunt Syllogismus est argumentandi ratio, quæ ex duabus enuntiationibus concessis, tertiam necessario concludit. Eundem in hunc modum Aristoteles definiuit. *Est oratio, in qua quibusdam positis, & concessis,* duabus scilicet propositionibus, *aliud ab ijs quæ posita sunt*, conclusio videlicet à præmissis diuersa, *ex necessitate accidit*, hoc est necessario concluditur; eo quod veræ, probabiles, seu apparentes sint duæ illæ propositiones antecedentes.

Termini, quibus tota Syllogismi complexio constat, sunt tres; ille qui bis ponitur in dupli ci propositione antecedenti, vocatur medium. Terminus qui in prima propositione vnà cum medio collocatur, dicitur maius extremum, seu maior extremitas; qui verò in secunda, minus extremum, seu minor extremitas. Declaremus rem exemplo. Omnis consuetudo sancta est virtus; patientia est consuetudo sancta: ergo patientia est virtus.

Illa pars, *consuetudo sancta*, est medius terminus, *virtus*, est maior extremitas, *patientia*, est minor extremitas. Hactenus de materia Syllogismi.

Forma verò, est legitima propositionum dispositio, & terminorum mensura, quæ figuram & modum complectitur, ita vt formà, & figura constet & modo. Figura est medij, vel subij-

ijciendi vel attribuendi collocatio & ordo; seu extremorum cum medio ad aliquid concludendum apta collocatio, id est, quæ sic illos terminos disponit, vt medium cum maiori extremo in prima propositione, & iterum cum minori extremo in secunda propositione collocetur; & denique maius & minus extremum vniantur in conclusione. Hæc si absint, non est Syllogismi figura. Modus Syllogismi in eo situs est, quòd propositiones vniuersales sint, vel particulares, affirmatiuæ, vel negatiuæ. Quare modorum alij vniuersales sunt, alij particulares, alij affirmatiui, alij negatiui.

Figuræ Syllogismorum sunt tres. Si medius terminus subijciatur in prima propositione, hoc est, in primo loco statuatur; & in secunda est attributum, id est, vltimo loco ponatur, oritur prima figura. Exemplum est. *Omnis fælix est laudandus: omnis sanctus est fælix: ergo omnis sanctus est laudandus.*

Si in prima, & secunda propositione medium est attributum, seu prædicatum, hoc est in fine positum, erit secunda figura, vt *Omnis sanctus est laudandus: nullus auarus est laudandus: ergo nullus auarus est sanctus.*

Si in prima, & secunda propositione medium est subiectum, oritur tertia figura: vt *Omnis religio est laudanda: omnis religio est humilis: ergo aliquod humile est laudandū.*

Has tres agnoscimus Syllogismi figuras, in quibus, si conclusionum varietas spectetur, quòd alia sit affirmata, alia negata; alia vniuersa, alia singularis; alia directè, alia indirectè conclusa, plures habebunt sub se modos.

Sub prima figura primus modus qui directè cōcludit, est in quo conficitur vniuersalis conclusio affirmatiua. Exemplū sit; *Omnis fælicitas est expetenda: omnis vita beata est fælicitas: ergo omnis vita beata est expetenda.* Secundus, quo infertur vniuersalis conclusio negatiua; hoc pacto; *Nulla violentia est perpetua: omnis tyrannis est violentia: ergo nulla tyrannis est perpetua.* Tertius infert conclusionem particularem affirmatiuam; vt *Omnis homo est mortalis: aliquod animal est homo: ergo aliquod animal est mortale.* Qurtus conficit conclusionem particularem negantem; vt *Nulla virtus est despicienda: sed prudentia est virtus: ergo prudentia non est despicienda.*

Eos modos, qui indirectè concludunt, & minutiores notas circa secundam, & tertiam figuram Dialecticis relinquimus; hæc pro Rhetoricis sufficient.

Ca. III. De Enthymemate, inductione, & exemplo.

Enthymema, *Imperfectus Syllogismus est, in quo desideratur propositio, vel assumptio.* Si antecedens,

cedens & consequens in enthymemate sint eiusdem subiecti, propositio subintelligitur, id est, maior; neque enim in enthymemate apparet medium, nisi signum claudat argumentationem. Si antecedens & consequens sint eiusdem prædicati, minor vel assumptio, quę signum habet sub intelligitur, vt sapientes sunt vtiles: ergo Ioannes est vtilis, hic subintelligitur Ioannes est sapiens, & accommodandum est alteri propositioni vniuersale signum.

Inductio, teste Quintiliano, est *à rebus non dubijs ad id, quod dubium est, liquida collectio.* Exempla dialectica pulueraria, satis sunt obuia; sic ergo collige, *Si nauis gubernator non sorte, sed arte eligitur: Si aurigam non sors, sed artis commendatio profert, relinquitur nil iustè à quopiam administrari posse, quod non ex deliberatione eligeretur.* Si inductio fiat interrogatione, maiorem habet epithasim. Sed hanc argumentandi formam sic magis declaro ex Tullio.

Inductio est oratio, quæ rebus non dubijs captat assensionem, vt dubia quędam res, propter similitudinem earum, quibus assensit, probetur, vt in exemplo Xenophontis de vxore Alpasia, cuius Tullius 1. de inuentione meminit. Hoc in genere pręcipiendum videtur. Primò, vt similitudines tales proponamus, quas necesse sit concedi; nam illud esse dubium non debet, vnde alteri fidem facere volumus.

Secundò, illud, quod confirmamus, ei rei, quam proposuimus, simile esse debet, ne nihil egerit propositio, si illud dissimile est, cuius causa proposuimus.

Tertiò, id agere debemus, vt nemo intelligat quò spectet similitudinis propositio: si enim respondens ignorat, quò tendat similitudinis propositio, securus confitetur. Postea debemus responsionem contêdentis attendere; vnum autem de tribus faciat necesse est; nam aut tacebit, aut confitebitur, aut negabit. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo earum rerum, quæ antea concessę sunt, aut alia vtendum inductione: si concedit, concludenda argumentatio est: si tacebit, vel elicienda est responsio, aut quoniam taciturnitas imitatur confessionem pro eo; at si concessum sit, argumentationem concludemus.

Exempli genus more dialectico tractat Arist. sed more Rhetorico Quintilianus lib. 6. cap. 11. Cicero de inuentione lib. 1. cùm tractat locum à comparabili, tres species collocat, imaginem, collationem, & exemplum. Imagine demonstratur corporum & naturarum similitudo: collatione, rerum conformatio: exemplo, authoritas, aut casus hominis, vt negotium firmet, vel infirmet.

Cap.

Cap.IIII. de nonnullis argumentationibus ad voluptatem & varietatem.

DIctæ quatuor argumentandi formæ capite præcedenti sunt, ad quas omnes argumentationes referuntur. At Oratores cũ nolint similitudine satietatem parere, sed variè dicendo, delectatione afficere, multò aliter has argumentationes tractant, ac proinde quasdam formas, non natura, sed qualitate differentes adhibere solent. Sunt autem istæ, quas percurrens explico.

Prima, complexio, in qua vtrum è duobus concesseris, reprehendetur. Græci dilemma vocant, quòd sumptionem habeat duarum propositionum, quarũ quæuis vrgeat aduersarium. Quã ob causam D. Hieronymus syllogismum cornutum appellauit, ea fortassè de causa, quod apud Cicer. 2. de diuin. cornua argumentationis legerit. Si neutra propositio infirmari potest, validum est argumentum.

Secunda, est enumeratio, in qua pluribus rebus expositis, & cæteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur. Quæ argumentandi forma, si omnes prosequatur partes, easq; corroboret, reprehendi non potest. Exempla sunt nonnulla in Tullio pro Roscio Comœdo.

Tertia est subiectio, cùm nos interrogamus frequentiùs, & nos ipsi respondemus. Cùm itaque quærimus, quid pro aduersario aut contra nos dici possit, & statim subijcimus rationem, qua id quod dictum est, non ita esse ostẽdimus. Exempla habes in Tullio Par. d. 4. & in orat. pro P. Quinctio.

Quarta, est submissio, in qua à nobis ipsis rationem interrogãtes poscimus, ac respondemus, cur quidquam dicamus. Cicero pro P Quinctio, *Non fuit causa, cur postulares? qui hoc fieri potest?* &c.

Quinta oppositio est argumẽtatio, in qua ex opposito propositionis ad ipsam reuertimur propositionem; vt *quando dies est, oportet operari; nam si nox esset, quiescere oporteret: nunc autem cùm dies sit, operari necesse erit.*

Sexta, violentum, seu violatio est argumentationis modus, quo ex aduersariorum ratione, non quod pro se conficere conabantur, sed quod à nobis est, confici contendimus: & ita contortum telum in aduersarium retorquemus. Hoc argumento in confutatione plerumque vtimur.

Septima, sorites est argumentatio, qua gradibus quibusdam ad conclusionem peruenitur, quæ ex propositionibus necessariò sequentibus ita construitur, vt prædicatum primæ fiat subiectum alterius, & sic deinceps, vt tandem prædicatum postremæ attribuatur subiecto propositionis primæ.

mæ. Cicero in Parad. *Cuius mores laudantur, eius vita laudanda est, & cuius vita laudatur, ea fugienda non est: quæ fugienda non est, ea non est misera: ergo cuius mores laudantur, is miser non est.* Hoc argumentum Stoicis familiare, vt soluatur, retexendum est, cùm pronuntiata non ex necessitate sequi ostendimus, vel effectus ex causis remotis, & improprijs collectos declaramus.

Similis argumentandi forma est climax, gradatio, & ascensus: & in eo differt à sorite, quòd hęc in complexione non repetit principium, & magis ornat, quã probet, v. g. vt *ex innumeris hominibus pauci Senatores, ita ex Senatoribus pauci nobiles genere: & ex his Consularibus, pauci boni, & ex his bonis, pauci docti.* Dialectici hanc argumentationem vocant de primo ad vltimum, & Tullius libr. de diuinatione syllogismum acervalem. Hoc argumentum efficax est, si partes sint connexæ, vel effectus ex causis proximis colligantur.

Cap. V. de inuentione confirmationũ, & expolitionum.

OMnis confirmatio profluit ab exemplo, maiori, minori, æquali, & contrario, quibus præcedit propositio. Succedet posteà expolitio, quæ ex ratione, confirmationeq; constatur per illas circumstantias, quas numerauimus tract. I. Est autem expolitio, quoties eodem in loco diutiùs immoramur, & eandem sententiam alijs atq; alijs modis variamus, & locupletamus.

Copiosissima expolitio septẽ constat partibus, propositione, ratione, duplici sententia, cui ratio etiam gemina subiungetur, contrario, simili, exemplo, conclusione, v. g. *Christianus nullum pro virtute vitabit periculum; ideó quod sæpe fit, vt cum pro virtute paci noluerit, necessariò sine virtute pereat; & quoniam sunt omnia commoda à virtute, nullum pro ea incõmodum graue ducendum est.* Hæc est prima pars rationibus confirmata, cui subdetur duplex sentẽtia, totidem aucta rationibus, vel pluribus: *Ergo qui fugiunt eum dolorem, qui pro virtute subeundus est, stultè faciunt.* Hæc est sententia, cui subnectitur ratio: *Nam neque effugere possunt, & ingrati in Deum reperiuntur.* Deinde additur altera sententiæ pars: *At qui in virtutem incumbunt, omni posthabito detrimento, ij sapientes putandi sunt:* mox adijciuntur rationes: deinde adiungitur contrarium: *Etenim iniquum est sæpè vitium cum dolore complecti; virtutem, quæ decus est, non complecti.* Deinde adhibetur simile; itaque vt *contemnendus qui in nauigando nauim, quàm se mauult incolumem; ita vituperandus qui virtuti, qua vt lembo ad cœlum defertur, non prius consulit: naue effracta multi incolumes fuerũt, ex naufragio*

virtutis

virtutis nemo saluus esse potest. Sub hæc exemplum annectitur, *quod mihi videtur Laurentius, & alij Martyres intellexisse, &c.* Demum apponitur conclusio, vt epilogus, ad breuē summam redactis, quæ fusiùs dicebantur. Locupletari potest expolitio, si congeras plures rationes, sententias, similia, exempla.

Profluit etiam expolitio à tempore, à causa, à re, à persona, à ficta narratione, à similium enumeratione, ab incisione totius in pauciora, ab incisione in plura, ab incisione in minora, à genere, specie, differentia, proprio, definitione, toto, partibus, causis, effectis, vsibus, adiunctis, iudicato, simili, maiori, minori, pari, proportione, oppositis, transumptione, casu, coniugatis, diuisione.

Sed declaremus ex his, quę obscuriora videbuntur nonnullis, cætera superioribus tractatibus declaraui. Est incisio totius in pauciora in hunc modum: *Pater tres simul interfecit filios, si duos interfecisset, si vnum, non erat ferendū, &c.* Incisio in plura sic fit. *Non si mille dedisset, non si decem millia, si ciuitates, gentes, &c.* Incisio in minora ita fit: *Non Cræsum, non Alexandrum, sed ne infimum hominem vincet.* Proprium est, quod soli speciei accidit. Ab vsibus: *Equitare oportet, ergo & equi habendi.*

A generatione: *Malum est extinguere Rempublicam: ergo est bona Respublica.* Ab adiunctis, vt *Dialecticus; ergo contentiosus.* A iudicatis, id est, authoritate grauissimorum hominum. A maiori: *Patrem non audit; ergo nec alienum.* A minori: *Furem cædere licet; ergo latronem.* A pari: *Lex parricidam damnat; ergo matricidā.* Ostenditur verò simile par, aut maius à genere, natura, vi, magnitudine, multitudine, tempore, loco, causa, persona, opinione, modo.

Locus à proportione est, cū inter similitudines ipsas fit collatio. Locus ab oppositis quinque partibus diuiditur, à priuatis, negatiuis, relatiuis, contrarijs, disparatis. Locus à transumptione est, cùm à verbo notiori minus notum infertur, vt *Philosophus non inuidet: ergo nec sapiens.*

(?)

TRACTA-

TRACTATVS NONVS DE ELOCVTIONE.

CVm varia ſint genera loquendi, varia nobis præcepta, ſed breui ſumma preſcribentur. Vnũ genus eſt loquendi ſua ſponte fuſum, quotidiano ſermoni conueniens. Aliud verſum, atque mutatum contentionibus, & grauioribus ſermonibus aptiſsimum. Exẽplum prioris ſit, *Virtus poteſt omnia.* Sed poſterius, verſum, mutatùm, varium, & multiplex eſt, vt ſi eandem ſententiam ita per interrogationem commutemus: *Quid eſt quod virtus efficere non poſſit?* Vel 2. per circuitionem, vt *nihil tàm altè poſitum à natura, quo virtutis amor eniti non valeat.* Vel 3. & ſublimius per cognominationem amplificetur, *Quid eſt in omni rerum natura, atque in vniuerſo cœli ambitu tàm arduum, tàm difficile, tàm abditum, quod nõ faciiè virtus amplecti, ſuperare, atq; in lucem edere poſsit?* Vel 4 per epiphonema, ſeu acclamationem, vt *tanta eſt vis, ac poteſtas in virtute poſita, vt quæ plerique nullo modo fieri poſſe exiſtimant, ea ſine vlla penè difficultate perficiat.*

PARS PRIMA DE elocutione in genere.

HErmogenes in hac parte, ac curatiſsimus benedicendi magiſter, plures inuenit dicendi formas, quas ideas nominauit: legat illas, & obſeruet attẽtè, qui eloquentiæ deſiderat incrementa, nobis monuiſſe ſuffi ciat, quo alia neceſſaria magis pertractemus.

Cap. I. de verbis ſimplicibus & repertis.

EX verbis alia ſimplicia ſunt, alia coniuncta. Oportet autẽ quę ſimplicia ſunt, excogitare, & inuenire: quæ ſunt coniuncta, aptè collocare. Sed in verbis ſimplicibus intuemur, quæ ſint Latina, an perſpicua, an ornata, qu bus

quibus ex altera parte totidem vitia respondent, vt si barbara sint verba, si obscura, si sordida, denique si insolita. Post verborũ inuentionem, superest vt ea artificiose coniungamus, ita vt recta structura seruetur. Primò, ne solecismi fœditas inquinet: deinde ne sit hiulca, atque aspera cõpositio. Tertiò, sint figuræ plures, velut lumina. Concursus plurium vocalium, nimis hiantem orationem facit: concursus verò consonantium, nimis asperã.

Ex verbis simplicibus partim sunt natiua; partim reperta. Natiua sunt, quæ non ab alijs verbis deducta, sed primò imposita ad rem significandam: at reperta à natiuis deducta sunt, & quasi deriuata. In natiuis præcipuè spectanda proprietas, quæ his modis intelligitur iuxta Quintilianũ. Primò, ratio ipsa significãdi est sua cuiq; appellatio, vt cùm hominem vocamus hominẽ, quæ proprietas in obscænis vitãda est.

Secundò, cùm verbum vnam habens significationem cum similitudine ad alias transfertur, vt vertex, qui propriè est contorta in se aqua, flexum capillorum in summa parte capitis significat, & montium eminentiam.

Tertiò, cùm res communis pluribus, in vno habet nomen eximium, vt rithmum, & metrum habentia, carmina dicuntur; sed carmen funebre, proprio nomine næнia dicitur.

Quartò, cùm nomen commune multis, propter excellentiam vni tribuitur, vt Orator pro Tullio.

Quintò, ex adiectis nominibus proprium dicitur, vt dulce mulsum.

Sextò, quod bene translatum est, proprium esse dicitur, vt *ira ardere*.

Septimò, quod in aliquo præcipuum est, vt *diuinus Plato*: hæ proprietates illustrem efficiunt orationem.

Reperta verò nomina quatuor modis potissimùm efficiuntur. Primò, similitudine, quæ analogia Græco nomine vocatur, vt sicut bonus bonitas facit; ita *beatus beatitas*; sic Cicero *perspicientiam dicit sicut sapientiam*, & *fauorem sicut pauorem*, hanc analogiam nolo esse legem loquendi, sed obseruationem.

Secundo modo verba reperiuntur imitatione, sic Cicero Græcorum imitatione, libro de fato, moralem philosophiam dixit, & in Academ. *incomprehensibile*, in Tusculan. plurima, vt *vitiositas, & mulierositas, patibile, & lætabile*, & Sergius Fabius, vt Quintilianus testatur, Græcorũ more dixit ens, & essentiam, quo in genere Philosophi recentiores omnia conspurcant.

Tertiò per inflexionem verba reperiuntur, vel vt Grammatici dicunt per deriuationem, vt in comparatiuis, possessiuis; insuper

ſuper in diminutiuis, vt *à cor corculum*; vel *à vino viuax*, *à fido fiducia*: vel à partium mutatione, vt *à membro membratim*.

Quartò, adiunctione verborũ noua reperiuntur, vt *expectorare*, apud Ennium, referente L. Craſſo, tertio de oratione, & ibidem, *verſutiloquas malitias*, & Cicero 5. Tuſculanarum; *ſoliuagas beſtias*. Sunt in hoc genere plura poetica, vt *veliuolum mare*, *horrifer Boreas*: alia oratoria, vt *conſcelestatus*, *circumvallatus*.

Cap. II. de verborum ſimplicium conſonantia, & grauitate.

SVnt aliqua verba natura ſua conſonantiora; alia minus ſonantia: ſed qua ratione verba fiũt conſonantiora.

Primò, ſi ſuperlatiua pro abſolutis ponantur. Cicero pro lege Manilia: *Quanquam mihi frequens conſpectus veſter multò iucundiſsimus; hic autem locus ad agendum ampliſsimus, ad dicendum ornatiſsimus eſt viſus*. Poſitiua ſubſtitue, & videbis quantus ſonus, & venuſtas auferatur. Hæc autem conſonantiora fient in plurali, vt pro Cornelio Balbo, *Si ab ampliſsimis viris L. Cornelij cauſa defenſa eſt, ſi vſus à peritiſsimis, ſi ingenia ab eloquentiſsimis, ſi ſtudia ab amiciſsimis*.

Secundò, verbalia pro abſolutis conſonantiora ſunt, vt *dominatrix animi cupiditas*, conſonantior quàm domina, apud Tullium 5. Tuſcul. & Virgilius, *Regnatorem Aſiæ*, *Luctores Lanaum*. In hoc multus Tullius, nam quoties datur occaſio, verbalia vſurpat, ſic in proœmio librorum de Oratore philoſophiam ait, *Laudandarũ artium procreatricem eſſe quandam, teque parentem*.

Tertiò, verba compoſita grandiora habentur. Pro Roſcio Amerino, *Parentum pœnas à conſceleratiſsimis filijs repetunt*. Act. 4. in Verrem; *Timarchides omnium rerũ tranſactor, & adminiſter, ita conſtuprare, pernoſcere, excruciare*, &c.

Quartò, quæ plures habent ſyllabas conſonantiora ſunt, vt tempeſtas, quàm tempus; immanis, quàm magnus.

Quinto, quæ ſyllabas habent longiores, etſi pares numero ſint, grandiora videntur, vt *Princeps*, quàm primus; *parens*, quàm pater, *etſi*, quàm licet.

Nunc de grauitate verborum ſimplicium quatuor regulis dignoſcendum eſt. Primo, ea ſunt grauiora, quæ maiorem vim bonitatis oſtendunt, vt charitas & pietas, grauius quid eſt, quàm amor & beneuolentia; clementia grauius quid eſt, quàm lenitas, magnificentia, quàm liberalitas.

Secundò, quæ maiorem vim vitioſitatis oſtendunt, grauiora ſunt, vt latro, prædo, raptor, ſi cõparentur cum fure: grauius quid eſt parricida, quàm homicida; & profligatus, quàm malus; & car-

& carnifex, quàm ſiccarius.

Tertiò, quæ magis prodeſſe videntur, grauiora ſunt: vt robur, quã valetudo; curare, quã mederi; reſtituere, quàm reducere.

Quartò, quæ nocendi maiorẽ vim habent, vt vulnerare, & ferire grauius ſunt, quàm percutere; exterminare, quàm eijcere; trucidare, quã occidere. Sic ſibi quiſq; alias confinget regulas.

De lenitate, & nitore verborũ illud obſeruetur, ne inquinata ſumat Orator, de quo genere rectiſsimè præcipit 3. de Oratore, L. Craſſus. Legatur Quintilianus lib. 8. cap. 3.

Cap. III. de tractatione verborum ſimplicium.

IN tractatione verborum vis eloquentiæ maximè perſpicitur, iudicio adhibito, quæ cuique loco conueniant. Nam quæ optima ſunt vocabula, venuſtatẽ amittũt, niſi quis opportunè vſ⁹ fuerit.

Primus tractandi modus eſt, cũ nomina propria ſumuntur, de quibus ſupradictũ. Hæc autẽ propria nomina interdum circuitione verborũ notantur, vt *Troiani belli ſcriptor*, quod ſæpenumero Cicero facit, vt *furiam muliebrium religionum*, Clodium appellat, & *importuni gladiatoris amentiam*, id eſt, M. Antonij.

Secundus, ſunt epitheta, quæ à Grammaticis adiectiua, à Tullio addita adnomen appellantur, in quibus eſt orationis ſplendor: quo in genere tantopere excellit Tullius, vt exiſtimem eius eloquentiam; ideò tam mirabilem eſſe, quod vbique tàm appoſitè ſciat epitheta copulare; imò nulla in Tullio eſt periodus, quæ non epithetis ſcateat. Eandem ferè vim etiam aduerbia opportunè verbis addita, habere ſolent, vt ſi quis ita dicat, *Apollonius Ciceronem Græcè declamantem audiens admiratus eſt*, non ita augebit orationem, ac ſi dicat: *Apollonius aptè, diſtinctè, & ornatè Ciceronem Græcè declamantem diligenter audiens, maiorem in modum admiratus eſt.*

Noua vocabula non ita frequenter licet vſurparẽ, niſi quando neceſsitas cogit, vt Cicero dixit, *Appietatem, lentulitatem, ſyllaturire, ſylueſcere, herbeſcere*, Hortenſius *ceruicem* in ſingulari dixit primus: quodſi quid periculoſius finxiſſe videbimur, quibuſdam remedijs præmuniemus, quaſi præcaſtigantes, *Si licet dicere, permitte ſic loqui, &c.* In quo multus Tullius in Academicis, & libr. de natura deorum.

Secundò, priſca, & inuſitata adiectiua, ſi rara maieſtatem orationi conciliant. Quintilianus libro 1. capite 6. iubet, ne ſint manifeſta; nihil enim odioſius affectatione. L. Craſſus apud Ciceronem 3. de orat. inuſitata hæc, & vetuſta poetica eſſe credit, & aliena ab oratoribus.

Ter-

Tertiò, eſt tractatio verborũ, & nominum per modificationẽ, & inflexionem troporum & figurarum, qualia ſunt ea, quę tranſferuntur. Hic tropus quodã modo naturalis eſſe videtur, quem metaphoram Græci appellant: verùm minutior tractatio troporum eſt apud tabulam Cypriani, quam poſt omnes tractatus habes.

Quartò, verba immutãtur per hypallagem, ſeu metonymiam, ac cæteras figuras, præſertim periphraſim.

Cap. IIII. de verbis adiunctis, numero, qualitatibus.

NVmeri quidam ſunt in coniunctione ſeruandi, conſecutioneq; verborum. Numerum dico concinnitatem quandam in oratione, cùm paria paribus, contraria contrarijs reſpondent. Obſeruantur pedes, & in initio, & in fine periodorum: ſed finis maiorem diligentiam requirit; initium liberius eſt. Breuiores ſyllabæ in principio, & in fine minus habẽt grauitatis; ideò tribrachus rariſsimè, vel nunquam in principio, aut in fine ponitur, Iambus, pirrichius, choræus, pedes ſunt humiles familiari ſermoni magis apti. Spondæus, dactylus, anapeſtus, qui pedes heroici vocantur, & creticus, orationem optimè incipiunt, in exordijs Ciceroni maximè familiares.

Ex pedibus, qui duas habent ſyllabas, ſpondæus optimè claudit orationem, niſi dactylus, vel alter ſpondæus præcedat.

Iambus, & choręus fini venuſtatem addunt, quoties vltimum ſpondæum antecedunt.

Trium ſyllabarum omnes pedes præter tribrachum bene claudunt; ſed omnium optimè creticus, deinde bacchius, & palymbacchius.

Quatuor ſyllabarum pedes in fine frequentiſsimi, & magnam orationi dignitatem afferunt, ſed diſpondæi nimis tardi videntur. Dichorẹi ſunt omnium pulcherrimi; peſsimi diiambi; pæones laudabiles, & epitriti.

Multi ſunt etiam quinq; ſyllabarum pedes, quorum maximè dochimum Cicero probat, qui conſtat ex palymbacchio & iambo, vt *amicos tenes.*

Communia ſimplicium, coniunctorumq; ſunt hæc quinque. Primò, ſit nomen, aut verbum *dilucidum*, quod apertum, clarum, & perſpicuum dicitur, & totius orationis eſt lumen; vna quidem perſpicuitas rerum eſt, etſi verba obſcura ſint, vt ſi pro coclea dicas terrigenam, herbigradam. Alia perſpicuitas eſt, in qua verba ſunt clara; ſed res obſcurę, qualia ſunt Ariſtotelis opera, in quibus, vt ait Cicero, flumen orationis aureum eſt; ſed magna rerum obſcuritas.

Fiet dilucida oratio, Primò, ſi

verba vsitata fuerint. Secundò, si propria.

Breuitas orationis conficitur primò, si verbis simplicibus vtamur, hoc est detractis epithetis, qua virtute maximè excelluit Cæsar.

Secundò, si semel tantũ vnamquamq; rem dicamus. Tertiò, si res nudas exponamus sine amplificationibus.

Probabile genus orationis est, si non nimis comptum atq; expolitum; nimius enim ornatus, & eloquentia, non est probabilis in iudiciali genere, & deliberatiuo. Secundò, si sit autoritas, & pondus in verbis. Tertiò, si sententiæ graues, & aptæ opinionibus hominum, & moribus adhibeantur. Itaq; concinnitates verborum, in quibus paria paribus, contraria cõtrarijs respondent, amputentur; in quibus sunt iterata, duplicata, similiter cadentia, agnominata; admisceatur pondus verborum, vt pro A. Cluẽtio, *Vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex*. Pro Roscio, *Quid est tam commune, quàm spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? &c.*

Illustris fit oratio, primò, si verba grauitate delecta ponuntur. Secundò, translata verba plurimum illustrant orationem. Tertiò, accedũt verba superlata, quæ per hyperbolen, & superlationẽ efferuntur. Quartò, adiuncta per epithetũ. Quintò duplicata. Sextò, synonyma. Septimò, verba imitantia actionem, aut rem per descriptionem.

Et quæ dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in illustrem; est enim plus aliquãtô illustre, quàm dilucidum: altero fit, vt intelligamus, altero, vt videre videamur.

Suaue genus dicendi inverbis, tribus potissimum rebus comparatur.

Primò, elegantia verborũ, quæ iucunda, sonantia, & lenia sunt.

Secundò, compositione, si verborũ concursus nõ sit asper: sunt enim quædã consonantes, quæ quoties concurrunt, asperam, & molestam faciunt orationem, vt *Sola mihi casus tales Cassandra canebat, & Rex Persarum Xerxes Pontũ pedibus pertransiuit.* Præterea fit iucũda compositio, si sit circumscripta, non longo an fractu, sed ad spiritum vocis apto, vbi cum claritate suauitas copulatur.

Tertiò, fit suauis oratio figuris, & Rhetoricis exornationibus, quarũ prima est, cũ contraria contrarijs referuntur, diciturq; antithesis, seu contentio. Secunda, cũ crebra crebris respondent, congeries, vel frequentia dicta, vt pro Milone, *Est enim hæc iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.* Tertia, cùm paria paribus respondent, vt *Illi fortuna felicitatem dedit, huic industria virtutem comparauit*; dicitur isocolon, seu

compar. Quarta figura, in qua plura sunt relata ad verbum, vt *Neque enim is es Catilina, vt te, aut pudor vnquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit.* Quinta geminatio, aut duplicatio, seu verborum, seu sententiarum, vt *In horum etiam conspectum venire audes proditor patriæ, proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conspectum.* Sexta, cùm iterata verba ponuntur, & repetitio dicitur, huic complexio iungitur. Septima coniunctionibus copulatur, dicitur polysyntheton. Octaua dissolutionibus relaxatur, asyntheton dicitur.

Denique fit suauis oratio, cùm aliquid adducitur, aut inuisum, aut inauditum, aut nouum, aut promouens animum, aut docens.

Cap. V. de conuersa oratione, atque mutata.

PLura iam præcepta sunt data simplicibus verbis, nũc de conuersis, ac mutatis dicendum. Ac primò quidem in simplicibus verbis solet vnũ verbum ita variari, vt fiat oratio, interdum in coniunctis ita oratio contrahi, vt ad vnum verbum reducatur. Eiusdem enim artificis est orationem ampliare, & contrahere.

Verba siue propria, siue impropria, sic in plures orationes dilatamus, vt per definitionem, vel per enumerationem, vel per interpretationem, vel per incremẽtum producamus. Primò, per definitionem, seu descriptionem, vt cùm dicere posset Tullius pro Milone; vidimus curiam incendi; tamen illud verbum, *curiam,* definiens, sic dilatauit, *Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij; aram sociorum, portum omnium gentium; sedem ab vniuerso populo Romano concessam, vni ordini inflammari, &c.*

Secundò per enumerationem partium, sic, cũ dicere posset, omnes lugent Clodium; tamen ita partibus enumeratis dilatat orationẽ, *Luget Senatus, mæret equester ordo, tota ciuitas confecta senio, &c.*

Tertiò per interpretationem ex verbo dilatatur oratio, cùm quod semel vno verbo dictũ est, alijs verbis eiusdem significationis repetitur, vt 7. in Verr. *Rempublicam radicitus euertisti, ciuitatẽ funditus deleuisti, &c.* Philip. 2. *Tu ingredi in illam domum ausus es, tu illud sanctissimum limen intrare; tu illarum ædium dijs penatibus os illud importunissimum ostendere.*

Quartò, per incrementum, vt in Verrem, *Non enim furem, sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium, sociorumque in vestrum conspectum adduximus.*

Quatuor etiam modis oratio contrahi potest, qui sunt superioribus oppositi. Primò, cùm definitionem ad vnum verbũ reuocamus. Secũdò, cũ assumpta verba remouentur. Tertiò, cũ plura verba idem significantia in vnum circuitum diriguntur. Quartò, cùm duobus verbis in coniunctione fit vnum, vt cùm pro patris interfectore, parricidam dicimus.

Coniuncta verba tribus modis vertuntur, ac commutantur. Primò, cũ directè aliquid dicitur, vt *Cicero liberauit patriam à coniuratione Catilinæ.* Secundò, cùm vnum quasi sursum versus, retroque dicitur, *A Catilinæ coniuratione patriam liberauit Cicero.* Tertiò, cùm idem intercisè, atque permixtè profertur, vt *patriam à coniuratione Catilinæ Cicero liberauit.*

Cap. VI. De dicendi genere graui.

Fit genus dicendi graue, si ornatissima verba, graues sententiæ, & earum exornationes inueniantur. Huic figurę graui loquendi dignitatem, asperitatẽ, vehementiã, splendorem, vigorem, circumductionem tribuemus.

Dignitas æstimatur ornatu sententiarum, cùm de rebus diuinis, de naturalibus, de Repub. de bello, de virtute loquimur.

Asperitas in dissolutione sententiarum constat, ne oratio sit cõposita & continuata; sed interuallis dirẽpta, vt in diuisionibus, & exclamationibus fieri solet. Quod enim in humano corpore extãtes humeri, pectus hirsutum, barbatus vultus, horror est, id est, in oratione asperitas addita dignitati, vt sit virilis, ac senatoria.

Vehementia firmam facit grauitatem, ne asperitas sit spinosa: vt enim saxa cursum fluminis non impediunt, sed augent: ita asperitas orationem impedire non debet, sed concitare. Ne verò cursus ille nimium verticosus sit, additur splendor. Vigor orationi tribuit sanguinem iuuenilem: sed circumductio, quæ in lõgis membris, ac periodis consideratur, hæc omnia digniora facit. Hæc igitur grauitas in verbis, sententijs, & figuris consistit.

Cap. VII. de mediocri dicendi genere.

In mediocri dicendi genere eadem retinenda, ac in graui; sed ita vt non ad infimum demittantur. Quod fiet primò, si materia sit humilior. Secundò, si affectus non sit ex altioribus, sed ex alijs ordinis inferioris, qualis est contemptus aduersarij. Tertiò, si verba nõ sint excelsa, sed mediocria. Quartò, si figuræ ex inferiori ordine conuocentur, quales sunt interrogationes, occupationes disceptatoriæ. Quintò, si tractatio sit per modum inuestigationis, non per modum commemorationis, & amplificationis.

Cap.VIII. de submisso dicendi genere.

PRimò,sententiæ sint tenues, & perspicuæ, ad docendum accommodatæ quales sunt in comœdijs & colloquijs. Secundò, verba sint humilia,trita,propria, non exquisita,nec rara,Tertiò,ornamēta pauca,tropi rariores, metaphoræ faciles,nō longè petitæ, Quartò,iunctura libera, non tamen vaga.Quintò, periodi breuiores, simplices, non circumductæ.

Cap.IX. vbi admonitiones & præcepta ad rectè imitandum necessaria.

CVm summa sit oratori preclaros quosque imitandi necessitas;de imitatione nonnulla dicenda arbitror.

Primò,ea imitandi forma, quę omni ex parte scriptori alteri est addicta,vt ne vnā syllabā audeat ab eo discedere,tanquam inepta, & perniciosa est reijcienda, vt latè Fabius lib.10.confirmat.Neq; tamen ideò debet imitatio ab exēplari esse diuersa,vt nullā cognitionem,nullamq; similitudinē habeat; sed tēperata sit & liberalis, nō seruilis,neq; timida:similis, in quam,& dissimilis, ita vt idē fiat, & non idem sit.Adhibenda itaq; est occultatio,vt omnis remoueatur furti suspicio,& vt non nisi à doctis imitatio deprehēdatur.Neq; hoc est omnino difficile, cùm aliena aliquando illustrari, aliquā do dilatari,aliquando cōstringi, & interdum ad meliorem formā reuocari queant. Mutationis verò modos sic perstringo.

Primus est ordinis commutatio,cùm diuersus instituitur ordo ab eo,qui in exemplo ad imitandum proposito deprehēditur, vt si quæ sunt primo loco posita, in medio , aut postremo ponantur.

Secundus dilatatio,cū quæ in exemplo breuiter & cōcisè sunt tractata,copiosiùs imitator prosequitur,ea adhibēdo, quæ in tractatu de amplificatione diximus.

Tertius superiori contrarius, breuitas,&contractio,cū quę prolixè ab alijs sunt explicata , in pauca conferuntur.

Quartus,omissio est ablatio eorū,quæ in exemplo sunt posita: neq; enim est necesse , vt quæ apud alios inueniuntur, omnia retineantur;sed aliqua ad rē minus accommodata omitti poterunt.

Quintus est appositio eorum, quæ desiderari poterant in argumento,quod nobis sequendū sumimus,quod facilè fiet ex doctrina modi sequentis.

Sextus circūstantiarū variatio: mutantur enim res,tēpora, loca, personæ,agendi modi,& fines.

Septimus in verbis, figuris,numeris,membris,periodis,& in tota exornatione positus est. Hæc qui tenuerit in similibus dissimilidinē,in dissimilibus similitudinē inueniet, imitationē occultabit, &varietate fastidium detrahet.

Deni-

Denique is erit ad imitandum idoneus,qui magnam verborum supellectilem sibi comparauerit: phrasim,inquam,cultam, & non puerili fuco tinctam:qui M.Tullij,& aliorum libros diu nocteq; contriuerit:qui eorundem virtutes hauserit;artis præcepta percalluerit:denique locos communes verborum, & fontes familiares habuerit.

Cap. X. De imitatione elocutionis per verborum commutationem, vbi obseruationes nonnullæ ad imitationem affectuum.

ELocutionis imitatio, tùm in verbis singulis,tùm in coniunctis spectatur:tamen maior in eorum coniunctione cura est ponenda. Licet enim duo verba seorsim sumpta sint Latina;iuncta tamē proprietati aduersantur: quē admodum duarum herbarum succi ex se boni,coniuncti tamē perniciosi fiunt.

Elocutionis imitatio,quæ totidem verbis nihil immutando fit,mutuatio potiùs,quàm imitatio dicenda est, cuiusmodi sunt prouerbia,dicta,definitiones, & siquæ huius generis alia.

Secundò, ea commutandi ratio,quæ totidem verbis conuerso ordine repetitis fit, tanquam puerilis & inanis industriæ, deuitanda est: at intercisa cōmutandi ratio,quę fit, cū ambitus inciditur,& oratio per cola in aliū ordinem conuertitur,& tota comprehensio partibus integris cōmutatis,in alienam quasi formā disponitur,non est omnino reijcienda, sed vt interdum vsurpari potest; ita non est frequentanda.

Tertiò,commutatio, quæ eisdē verbis fit,nulla ordinis, & ornatus ratione habita, vt alia inducatur forma liberior & commodior,crebriùs vsurpari potest. Fit autē hæc cōmutatio, vel per casus,numeros, genera, modos, & alia,quæ tradidit Erasmus 1. de verborū copia;vel cū alterū alteri verbo substituitur, seu figuratū verbū,seu proprium sit. Mutentur etiam figuræ in alias venustiores,aut infirmiores.

Sententiæ cū imitatione commutari possunt,si dilatentur, aut contrahantur per incrementū,& decrementū, vel transponantur. Bene imitari volenti maxima diligentia in affectibus notandis,& imitandis,ponenda est. Orationi patheticæ,seu perturbatæ conueniunt verba duplicata,composita,nouata, translata, circumscripta,& peregrina:ijs enim qui cōcitatē loquuntur, aliquid condonatur.

Ornamenta pro motuū varietate debent esse varia. Iratis, & indignantibus,& illudentibus accōmodatur subsanatio, dissimulatio, vrbana,& hostilis irrisio,apertū conuitiū,execratio, hyperbole,territatio,interrogatio, reticētia,morū expressio, cōglobatio, emphasis,& harū similes formę.

Timenti deprecatio, dubitatio, votum, spei abiectio, excogitata excusatio, & huius generis aliæ figuræ.

Confidenti interrogatio, cōmunicatio, cōfessio, cōcessio, prouocatio, submonitio, & iusiurandū.

In cōmiseratione dolenti, atq; conquerenti sermocinatio, votū, compellatio, siue conuersio, imitatio, futurorum denuntiatio, dubitatio, personæ fictio.

Laudātibus personarū fictiones, præteritiones, admirationes, bonę ominationes, superlationes

Reprehendentibus futuror denuntiatio, compellatio, præteritio; admiratio, dictorum emendatio, personarumque conformationes.

Refellentibus contradictio, obiectio, declinatio, extenuatio, reiectio, communicatio.

Monentibus adhortatio, precatio, imitatio, reprehensio, & personarum fictio. Hæc & plura similis generis in imitandis affectibus obseruabit orator, indicasse sufficiat quæ diximus ex probatis authoribus.

PARS SECVNDA DE ELOcutione figurata, in qua nobiliores figuræ definiuntur.

RHetoricorum schema est, quod verborū & sentētiarū concinnitate supra grammaticū modū exornat orationē. Diuisio schematum subiectis capitibus declaratur.

Cap. I. de figuris verborum per repetitionem.

PRima figura est repetitio, cū idem verbū in eadē significatione proximè repetitur, quem alij anadiplosin, alij palilogiā vocant; Latini duplicationē, & subiectionem, vt *viuis, & viuis*. Omnis autem vocum geminatio vim, vehementiam, emphasim, & euidentia tribuit.

Secunda, cū idem verbū, quod erat in fine sententiæ, statim repetitur initio alterius, quā alij Epanastrophen, alij reduplicationem dicunt, vt *seruabis munera, munera hostis tui.*

Tertia, cū idē verbū repetitur, sed vno, vel altero interiecto, Grecè, Diacope, Latinè sectio nominatur, vt *donū gratitudinis, donum fidele.*

Quarta, cū idē verbū sæpius in principio incisorū repetitur, quā Beda Anaphorā, & Epanaphorā, id est, relationem, & egressionem nominat: alij Epibolem, id est, adiectionem, vt *alij quæstura, alij Cōsulatus, alij triumviratus diuisa sunt.*

Quinta, cū plura verba in principio repetūtur, quā Cassiodorus epimonē, id est, perseuerātiā; alij

epanalepsin, id est, resumptionẽ nominant, vt *grauis Catilina Senatui, grauis Catilina populo.*

Sexta, cũ idem verbũ, vel plura in fine repetuntur, seu cùm eodem verbo commata clauduntur; hanc alij epistrophen, id est, conuersionem, & reuersionem; alij epiphoram vocarunt, vt *cæsi sunt, fugati sunt, &c.*

Septima, cũ idem verbum repetitur in initio & fine in eadem sententia, quam alij redditionem, alij epanalepsin; Cicero conduplicationem vocat, vt *ducite choreas, ducite, ducite saltantes, ducite.*

Octaua, cùm fit repetitio in initio & fine, inversis periodis, quam Cœnotem aliqui, alij connexum, & complexionem vocant, exemplum succurrit in tabula Cypriani Suarez. Omittimus quæ ille clarè & copiosè docet in figuris.

Nona, cũ ita fit repetitio, vt verbum priori loco positum designet personam: posteriori verò loco qualitatem personæ, quam alij anaslasin vocant, vt si diceres, *Athanasius siluit diu, quasi non vellet esse Athanasius*, id est, constans.

Decima, cũ idem verbum repetitur, sed diuersa significatione, quæ Latinè reciproca motio, seu reuerberatio dicitur, vt *accipiunt curas, vt viuant sine curis.*

Vndecima, cũ per iocũ, vel dicacitatem vox aliquo pacto immutata repetitur, vt *si vis illum amare, cura, ne quid sit amari.*

Duodecima, cũ idem verbum cum quadam distinctione & varietate non ingrata repetitur, quã metabolem & traductionem nominant, vt *mors mortis, morti mortem, mors morte redemit,* & alius, *Mala mali malo mala contulit omnia mundo.* Huc refertur casuum variatio, id est, polyptoton.

Decimatertia, cũ talis est repetitio, vt quod erat prius, ponatur posterius, & è contra, quã cõmutationẽ appellant, vt *cibus propter vitam est, non vita propter cibum.*

Decimaquarta cùm idem verbum, sentẽtiave repetitur, vt proposita perficiatur sententia, nominatur implicatio, seu retractio; seu epanodon, id est, reditus, *Accessit cum optimatibus, optimatibus Romani populi.*

Decimaquinta, climax, seu gradatio, in qua ita fit repetitio, vt plura verba quandam catenam & scalam faciant. Huius & succedẽtium figurarum exempla dabit Cypriani tabula.

Decimasexta, cũ fit repetitio per frequentationem coniunctionum copulatiuarum, vel disiunctiuarum, quã polysintheton, id est, variè coniunctum vocant. Huic contraria figura est, quæ per detractionem coniunctionũ euenit, & appellari solet asynthetom, & dyaliton, id est, inconiunctum, dissolutum, articulus.

Decimoseptimò, adiunctio, in qu[illegible] vnum verbum, sine sui mutatione, pluribus orationibus subseruit, in quo à Zeugmate Grammatico differt.

Decimooctauò, Homæoptoton, cũ duo, vel plura commata simili casuum sono desinunt.

Decimononò, Homæoteleuton, cùm verba similia, vel cola, & commata eodem exitu terminantur.

Vigesimò, Isocolon Latinê cõpar, seu membrum, cũ orationis membra ex pari numero syllabarum constant. Harum sex posteriorum figurarum infra dabit exempla noster Cyprianus.

Cap. II. de figuris, quæ interrogationis vim habent.

SErmo est non de interrogatione simplici, sed figurata, quæ animi habitum, affectumq; exprimit. Prima interrogationis forma est ad asseuerandum, vt *nõne hæc manifesta?* Secunda instandi, & vrgendi gratia, *An tumultuantem, & frendentem te video?* Tertia indignationis ergo. Quarta admirationis causa. Quinta miserendi gratia, *Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarũ?* Sexta ad dubitationem animi exprimendam, vt *quo deliberationis meæ rationem conferam?* Denique ad irridendum, contemnendum, negandum: insultandum, comparandum, desperandum, acriter imperandum, exhortandumque deseruiet. Hæ sunt figuræ interrogationis ad affectus exprimendos, quod est primum interrogationis genus.

Secundum interrogationis genus est hypophora, Latinè subiectio, seu oppositio, quæ fit cùm nostræ interrogationi respondemus. Itaq; interrogationem, & responsionem continet. Exempla dat Cyprianus.

Tertium genus percunctatio est, cùm interrogatio non patitur responsionem, sed illico refutatur, quod interrogatione conari videbamur, vt *latrone dictus absit.*

Quartum genus est, quod peusin appellant, cûm interrogatio talis est, vt respõsio sit in prõptu.

Quintum est erotema, id est, interrogatum, quo, vt ait Aquila, vtimur, vt augeamus; vel, vt scribit Cassiodorus, cùm amplificare volumus, vel cùm interrogamus, vt posteà confutemus.

Sextum genus est apophasis, Latinè responsio, cùm quasi alio interrogante nos ipsi respondemus, & quasi rationem reddimus, ita vt defensio confessionẽ præcurrat, v.g. *Quæro, an occideris hominem, respondes, latronem occidi.*

Septimum genus, epitrocasmos, quod est interrogatio seuerissima, vbi multa terribiliter interrogantur, quæ ad figuras amplificationis referri posset.

Octauum genus diaporesis, seu

seu Aporia, latinè addubitatio, cùm interrogando nescire nos aliquid significamus.

Nonò anacænosis, latinè communicatio, cũ ipsos aduersarios, vel iudices consulimus, harum exempla facile sibi quisq; confingere posśit.

Cap. III. De figuris, in quibus animi affectus exprimuntur.

PRima est exclamatio, quæ ex maiore animi commotione oritur, maiori vocum tumultu. Fit per alicuius personæ compellationem, quo fit, vt fere semper apostrophen contineat.

Secundò, admiratio, quæ est quædam exclamatio sine maiore animi commotione.

Tertiò, Epiphonema, seu acclamatio, id est rei narratæ, probatæve per acclamationem oratio, sententia, seu ratio, siue ad consolandum, siue ad delectandum, &c. Denique quicquid in fine clausulæ aures acutè ferit, Epiphonema dicitur.

Quartò, apostrophe, seu auersio, cùm sermo ab ijs, quibus cum loquimur, vel à re, de qua loquimur, ad aliam personam, vel rem cõuertitur. Cæterum res, ad quã sermonem vertimus, absens, vel præsens esse potest; interdum ad se, interdum ad aduersarios. Plerunque cum prosopopœia ningitur apostrophe.

Quintò, aposiopesis, seu reticẽtia, seu interruptio, in qua inchoatæ sententiæ cursus reuocatur, vt altera pars non expressa intelligatur ob iram, indignationem, dolorem, vel alium affectum.

Sextò, sunt aliæ figuræ ex desiderio inuentæ, vt optatio, vel votum, ex re multum desiderata. Deprecatio, seu supplicatio, cùm auxilium imploramus. Obtestatio, cùm per rem sacram, vel caram poscimus. Obsecratio, qua obnixè aliquid petimus ab auditoribus, post rem probatam, & amplificatam. Inuitatio, in qua hortatio, & dehortatio continentur.

Aliæ ex timore & odio proficiscuntur, vel amore, vt ominatio, qua futura mala prædicũtur. Comminatio, id est admonitio cũ prædictione mali. Abominatio, cùm malum aliquod auertimus, vt *Absit à me, vt castes vos esse iudicem.* Indignatio quæ maximè in pronũtiatione spectatur. Obiurgatio, & increpatio. Admonitio, id est memoriæ reuocatio. Castigatio, vt *Vsque quo piger dormies?* Querela, seu lamentatio, & conquestio, exprobratio sceleris possent pro figuris haberi. Gratiarum actio, exultatio, & declaratio per signa, consolatio, iuramentum, & EpicherecaKia, hoc est, gaudium de alienis malis.

Cap. IIII. De figuris, quæ vim arguẽdi, & confirmandi habent.

PRima prolepsis, latinè præsumptio, præceptio, occupatio,

tio, qua præoccupamus id, quod contra nos in aliorum cogitatione futurum credimus, & illud dissoluimus.

Secundò, antipophora, vel hypopophora, Latinè opposita, cū dicta aduersariorū proponuntur, vt respondeatur.

Tertiò, antisagoge, seu compensatio, qua tollitur quæstio, argumento fortiori opposito.

Quartò, procatasceue, seu præparatio, cū eius quod dicturi sumus semina spargimus, & ad dicēda viam munimus.

Quintò, paralepsis, seu præteritio, cùm dicimus nos omittere, quod dicimus.

Sextò; permissio, seu cōcessio, cum alijs rem iudicandā relinquimus, freti nostræ causæ subsidijs.

Septimò, paromologia, seu cōfessio, quando aduersario aliquod cōcedimus, vt inde maius aliquod inferatur, aut quæ posita sunt, magis infirmentur, & vt reliqua exaggerare possimus.

Octauò, commemoratio, quæ est veluti quædam communicatio, qua tacita ratione extorquetur ab aduersario confessio; vel tacitæ opinionis, siue veræ, siuæ fictæ, iudicium.

Nonò, parrhesia, Latinè licētia, id est, maior quædam, non sine causa, & modo loquēdi libertas, commonendi, obiurgandi, aut adulandi causa.

Decimo, apodosis, Latinè reiectio, vel reprobatio rerum indignarū, quę in quæstionē veniant.

Vndecimò, Schesis, Latinè adfictio, qua aduersarij affectus fingimus, vt respōdeamus.

Duodecimò, anasceue, Latinè destructio, vel euacuatio, cùm quæ ab aduersarijs posita sunt, redarguimus, & destruimus.

Decimotertiò, epithemesis, Latinè obiurgatio, seu antistrophe, hoc est, inuersio, quam alij violationē appellāt, cū eisdem verbis quib' lacessiti sumus, percutimus.

Decimoquarto, Metastasis, seu translatio, cū in alios factū transfertur, vt primi parentes fecerūt.

In hoc numero habentur Epicherema, quando ex similibus sumitur argumentatio, dilemma, & Enthymema, Epeditio, seu enumeratio, de quibus in tractatu de argumentationibus.

Decimoquintò, AEtiologia, id est, cùm rei dictæ, vel propositæ statim ratio subijcitur.

Decimosextò, Prosapodosis, cū pluribus propositis sententijs, sua cuiq; ratio, posterius, aut statim redditur.

Decimoseptimò, Anangeon, seu necessitudo, cū vi, & coactos nos fecisse, vel alios dicimus.

Decimo octauò, Chroma, seu color probabilis suspectæ causæ, vbi sui insit vel alterius excusatio.

Cap. V. De figuris, quæ vim habent similitudinis aut dissimilitudinis.

PRima Omæosis, seu similitudo, quę rem minus cognitam, per

per aliã magis cognitã demõstrat.

Secũdò, Icon, Latinè imago, id est, personarũ inter se, vel eorum quæ personis accidunt, cõparatio.

Tertiò, Parabole, Cicero collatione vocat, est rerũ genere dissi dentiũ cõparatio, vel lõgior quædã similitudo, quamuis breuis etiã similitudo parabola nominetur.

Quartò, paradigma, Latinè exẽplũ, quod vt scribit Beda, est narratio exẽpli hortãtis, aut dehortantis, vel rei gestæ ad aliquid persuadendũ, vel orationẽ illustrandã cõmemoratio. Differt exẽplũ à similitudine, quòd solũ à rebus gestis personarũ verarũ, seu quæ fictæ sint; interdũ etiam à brutis desumatur: similitudo verò à rebus omnibus.

Quintò, Ison Latinè æquale, quæ fit, vt Cassiodorus scribit, cũ res parilitate similes adhibita laude, vel detractione sumuntur.

Sextò, parison, id est, propè ęquale, cùm duę res è diuerso proponuntur, & vna magis eligitur.

Septimò, Syncrisis, id est, personarũ interse contrariarũ collatio, vt, *Illi armis, nos doctrinis fidimus.*

Octauò, antithesis, Latinè contẽtio, contrapositũ, contrariũ, cum contrarijs opponuntur cõtraria. Cassiodorus appellat Syndicasmõ seu collationem, sic illud psalmi, *Os habent, & non loquentur.*

Nonò, paradiastole, Latinè discriminatio, cũ res dissimiles discernũtur cõtrarijs redditis; vel cũ res quę videntur similes, disiungũtur, *Nolo te parcũ appellare, cũ sis auarus.*

Decimo, Antimetabole, seu cõmutatio, cũ aliqua sententia per cõtrariũ immutatur, 2. Macab. 6. *Nõ propter locũ gentẽ, sed propter gẽtem locum elegit Dominus.*

Vndecimò, Sinęcæosis, Latinè cohabitatio, cũ contraria colliguntur, *Tam deest auaro, quod habet, quàm quod non habet.*

Duodecimò, Epanorthosis, seu correctio, quæ correctio priori verbo, aptius aliud statuit; alij Netanęam, id est sententię mutationẽ nuncupant. Fit his particulis, *Imò, atq; adeò, si tamẽ, potius, quin imò, &c.*

Decimotertiò, Adynaton, Latinè nefas, & impossibile, *Sol deficiet, non mea fides.*

Decimoquarto; paradoxon, id est inopinatum, cûm aliquid præter communem opinionem accidisse dicimus, vel facimus. Huc pertinet Rhetorũ sustẽtatio.

Decimoquintò, Oximoron, id est acutũ dictũ, vt Iustinus Martyr, *Occidere potestis, sed nõ lædere.*

Cap. VI. De figuris, quæ vim augendæ orationis habent.

PRima est epexegesis, id est, addita interpretatio, cũ multa verba eiusdẽ ferè significationis, vni rei attribuũtur; alij Synonymiã, seu verborũ communionem vocant.

Secũdò, Tautologia, Latinè iteratio, cũ eadẽ sentẽtiã alijs, atq; alijs verbis iteramus, quã alij AEtiologiam dicunt.

Tertiò, exegesis, & hermenia, Latinè interpretatio, qua quod breuiter dictum est, latiùs explicatur.

Quartò, exergasia, & & epexergasia, Latinè expolitio, suffiguratio, cū eādē rē tractamus, varijsq; figuris ornamus. Partes verò expolitionis diximus alibi.

Quintò, epimone, seu commoratio, cùm in loco firmissimo, in quo tota causa subsistit, manetur, eodemque reditur.

Sextò, gradatio, de qua supra dictum.

Septimò, incrementum, vbi ab infimo vsque ad summum, & supra summum peruenitur.

Octauò, duxesis, cùm amplificādæ rei causa, verbum grauius, & atrocius subijcimus, loco proprij.

Nonò, hyperbole, id est superlatio, quæ satis nota ex Grammaticis ipsis.

Decimò, emphasis, id est expressior quædam denotatio, cùm prius cogitandum relinquitur, quàm exprimatur; vel cùm ex dicto aliquid latens eruitur.

Vndecimò, hyperthesis, id est superpositio, cùm rem aliquam omnium opinione notam, sententia nostra superare contendimus, *Super niuem albus*. Hanc ab hyperbole non distinguo.

Duodecimò, diminutio, extenuatio, Græcè Tapinosis, quæ auxesi contraria; contingit autem, cum vel verbo diminuimus, vt si crudelem appelles, seuerum; vel diminutiuo vtimur. Contingit etiam in sententijs; vt cùm obiectis vocibus vtimur.

Decimotertiò, lithote, id est tenuitas, cùm plus intelligitur, & minus dicitur, vt *Non ignoro*, id est scio, *Non laudo*, id est reprehendo.

Decimoquartò, pleonasmos, Latinè superabundantia, cū adijciuntur verba, non tam ad enuntiandum, quàm ad exprimendum magnitudinem, vt *Viuam, & non moriar.*

Decimoquintò, epitrocasmos, id est summaria percursio, seu collectio, ita vt quæ pluribus dici possent, velociter perstringātur.

Decimosextò, frequentatio seu dinumeratio, cùm quæ per totam orationem sparsim dicta in vnum locum colliguntur, vt grauior sit oratio.

Decimoseptimò. Comparatio, cùm aliquid laudatur, vt aliud prę feratur.

Decimo octauò, Ratiocinatio, cū res amplificatur per coniecturā à signis: *Vt Goliat ab armis.*

Decimononò, Merismos, seu distributio, cùm totum, vel genus in partes dilatatur.

Vigesimo, epanodus, id est reditus, cùm pluribus propositis, ad singulorum expositionem reuertimur.

Vigesimoprimò, Dialogismus, seu sermocinatio, cùm quis secum disputans quid sibi agendum sit, cogitat.

Vige-

Vigesimosecundò, Gnome, id est sententia, vel generale, ac breuepronunciatum de moribus, ac communi vita, quo quid faciendũ sit, demonstratur.

Vigesimotertio, Brachilogia, cùm breuiter dicitur, quod latius dicendũ erat, &c *campos, vbi Troia fuit*, inquit Poeta, breui tantum excidium tantulis verbis manifestat.

Cap. VII. De figuris, quæ vim definitionis, ac descriptionis habent.

DEfinitio, Græcè orismos, id est rei occultæ patefactio. Fit primò per dictionem, vt Dij gentium. Secundò per differentiam. Tertiò per remotionem cõtrarij. Quartò per defectum, vt homo est creatura Angelis inferior. Quintò per Metaphoram. Sextò per Analogiam. Septimò per laudationem. Octauò per exempla. Nonò per periphrasim. Decimò, per Etimologiam; & sic alij modi reperiuntur, quos tractatu primo exemplis illustrauimus.

Secundò, descriptio, quæ per qualitates, & adiuncta congestarem exprimit. Huc reducitur Hypotyposis, quam demonstrationem, notationem, illustrationem, effictionem vocant.

Tertiò, Pragmatographia, cùm non solum factum, sed quod fit, vel faciẽdum fingitur, vt præliũ, naufragium, alluuio.

Quartò, Prosopographia, id est personæ, ex sui corporis attributis effictio.

Quintò, Characterismus, id est designatio, & figuratio, cùm speciatim personæ ingenium, & mores depinguntur.

Sextò, Somatopœia, cũ rebus incorporeis corpora tribuuntur.

Septimò, Idolopœia, cùm persona defuncta ad loquendum introducitur.

Octauò, Prosopopœia, cùm rebus mutis sensum, sermonemq; tribuimus.

Nonò, Pathopœia, id est maiorum affectuum, perturbationumque expressio, vt in Tragœdijs, & Poemate heroico contingit.

Decimò, Ethopœia, expressio morum, affectionumque mitiorum, vt si fingeres quid Iacob diceret ob dilaniatum Ioseph.

Vndecimò, Diatyposis, cũ personarum habitus, rerumque exprimuntur.

Duodecimò, Topographia, id est dilucida loci descriptio, sic Cicero in Verr. prouinciam Siciliensem descripsit.

Decimotertio, Chronographia, id est, temporis descriptio, noctis, vel diei, vel anni, &c.

Decimoquartò, Catalogus, quo personarum, rerumve numerus designatur.

Cap. VIII. De figuris constructionis perturbantibus, seu Hyperbatis.

PRima Anastrophe, seu per peruersio, verborum ordine in-

inuerso, Cinerem tanquam panē manducabam, id est, panem tanquam cinerem.

Secundò, Hysteron, proterō, siue prothysterō, id est inuersus ordo, cùm id quod posterius fit, priori loco ponitur.

Tertiò, Hysterologia, hoc est, sermo præposterus, cùm præpositio, non cum casu, quem regit, sed cum verbo coniungitur, *Adueneris vrbem*, pro ad vrbem.

Quartò, Hypallage, seu submutatio, cùm oratio rerum ordine conuerso exprimitur, *Gladius vagina vacuus*, pro vagina vacua gladio.

Quintò, Dialysis, Latinè dissolutio, seu parenthesis, id est interpositio, interclusio, cùm aliquis sensus interseritur. Exempla obuia sunt.

Sextò, Synchysis, Latinè confusio, cùm omni ex parte verborum ordo est perturbatus: hæc figura communi nomine hyperbaton dicitur.

Septimò, Diacope, seu Timesis, seu intercisio, seu compositæ vocis diuisio, vno, vel pluribus interiectis verbis, vt *Iero, quem genuit Solymis, Dauidica proles.*

Octauò, Anacoluthon, seu non consequens, cùm non subijcitur id, quod cum orationibus conueniat, vt si præcessit quot, *Et non subsequatur tot.*

Cap. XI. De vitijs orationis.

PRæter illa cōmunia vitia Solęcismi & Barbarismi, occurrit. Primò, Barbaralexis, id est dictio non Latina, aut qua non in propria significatione vtimur, vt benedictio pro munere.

Secundò, Acyron, id est, impropria verbi vsurpatio, vt *Humilitas* pro demissione.

Tertiò, Hypertesis, Latinè traiectio, cum verborum traiectione obscura redditur oratio.

Quartò, Eclypsis, cùm oratio deficit verbo ad sententiam necessario, quod non facilè subauditur.

Quintò, Homonymia, cùm vtimur voce, quæ ob multas significationes sententiam reddit obscuram, vt vox, *Spiritus.*

Sextò, Acyrologia, id est, verbis non proprijs obscurata sententia, cùm plurium verborum abusione redditur sermo obscurus.

Septimò, Syncrisis, sermo obscurus, qui verborum traiectione, & interiectione fieri solet, vt sæpè in historijs contingit.

Octauò, Meosis, seu diminutio, oratio nimirum imperfecta propter verborū prætermissionē; vel cùm nimium serpit oratio, quæ se deberet attollere.

Nonò, Amphibolia, id est, anceps, oratio, quæ in plures sensus diuidi potest.

Decimò, ænigma sensu obscura sententia, licèt verbis aliàs esset aperta.

Vnde-

Vndecimò, Cacophonia, id est, cùm syllabæ, vel dictiones aspere sonant, vt *Cæca caligo*.

Duodecimò, Tapinosis verbi humilitas.

Decimotertiò, Ongos, seu inflatio, cùm res parua tumido exprimitur verbo.

Decimoquartò, Pleonasmos, cùm verbis superuacuis oneratur oratio, sine causa, sine illustratione, vel claritate.

Decimoquintò, Cacosindetō, id est indecens verborum structura.

Decimosextò, Dissolutū, vel arithmon; quod numeris caret, cū oratio longa copia verborū hæret, aut breuiū abundantia intersistit: quod vitium vicetur longa breuibus temperando.

Decimoseptimò, Atactō, id est, indistinctum, cùm oratio est confusa, carens œconomia, quam ars requirit.

Decimo octauò, Pensologia, id est, multorum verborum adiectio superuacanea sine vi eorum, seu sententiarum: sed in Epilogo sæpè vt vitium numerari non debet.

Decimononò, Periergia, id est, superuacanea elocutio, & nimis operosa, vt cùm ex re humili multum verborum insumitur.

Vigesimo, Cautologia, nugatio eiusdem sermonis, & iteratio inopiæ causa, quod vitium tribuit Fabius Ciceroni.

Vigesimoprimò, Macrologia, seu peribole, plus æquo longa oratio, & cùm inculcantur, quæ auditorum aures obtundunt.

Vigesimosecundò, Soresmos, Latinè miscellanea, variarum linguarum mixtura.

Hoc vitio laborant, qui materno, & Latino sermone, nulla adiecta declaratione, vtuntur apud imperitos. Alij hoc vitium Cænismum vocant.

Vigesimotertiò, Oximoron ostentationis ineptæ vitium, sententia affectatè pronunciata, ita vt fatua videatur.

Vigesimoquartò, Polyschematiscon, sermo solutus figuris, & vitijs coopertus.

Vigesimoquintò, Pampholologia, vel Bomphiologia, tumor immodicus orationis.

Vigesimosextò, Homæologia, vbique similis oratio varietate carens.

Vigesimoseptimò, PyKilogia, immodicè variata oratio, pueriliterque effœminata, nihil habēs natiuum, vt Apuleiana.

Vigesimo octauò, Leptologia, id est, rei grauis contempta & humilis explicatio, sine neruis.

Vigesimononò, Archæologia, id est, sententia, quæ verbis nimis antiquis exprimitur.

Huc refertur archæsmos, cùm vetustè aliquid dicitur, vt plautus, & Terentius faciunt.

Trigesimò, Idiotismus, cū quasi vulgari sermone loquimur, ita vt nec à sordidis verbis abstineamus.

Trigesimoprimo, laconismus, id est breuiloquentia, nimia breuitas. Huc pertinet Brachilogia.

Trigesimosecundò, Asiatismus laconismo contrarius, genus dicendi immodicum, verbis redūdans.

Trigesimotertio, Cacozelia, id est inepta imitatio, & cum nulla felicitate.

Cap. X. De recto verborum, & figurarum vsu.

QVæ mente concepimus, planè in auditorum animos dicēdo transmittimus. Deinde ornatorum verborum is erit vsus, qui ornamentorum corporis esse solet, quæ non in omnibus partibus, sed certis in locis adhibentur. Neque omnia in omnibus, sed personarum, & locorum, & temporum habeatur ratio: non enim eodem modo ornantur sponsa, & vidua; vir, & fœmina; puer, & senex. Quare orator rem ipsam subiectā animaduertet, an sit humilis, vel splendida, vel mediocris, vt diuersa statuat ornamenta.

Similiter considerandum, in quo genere causarum versetur, an in demonstratiuo; deliberatiuo, vel iudiciali, quæ non eadem, nec eodem modo admittunt ornamē ta: rursus quæ singulis partibus orationis accommodentur.

Præterea, si ad docendum nos præparamus, deseruient illæ figuræ, quæ ordinis, atque distinctionis vim habēt, & trāsitiones, diuisiones, partitiones, epilogi, preparationes, occupationes, cō moratio, dicęologia, ratiocinatio, & quædam alia.

Si delectare conamur, eas eligemus figuras, quæ proportionem, & concinnitatem habent; quæ etiam similitudinem, & contrarietatem, vt duplicatio, repetitio, traductio, isocola, similiter cadentia, & desinentia, similitudo, imago, expolitio, &c.

Ad mouendum illæ figuræ cō ferunt, quæ affectum indicant, vt exclamatio, admiratio, acclamatio, adiuratio, &c.

Quædam esse fateor schemata, quæ hæc omnia munera prestant, vt definitiones, descriptiones, & similes. Caueat orator, ne nimis figuratus sit sermo, ne easdem sæpè inculcet figuras, præsertim illustriores.

PARS TERTIA DE COLLATIONE VERBORUM.

QVo purius ornatiusque discat loqui studiosa iuuentus, has dicendi præceptiones scribendas suscepimus, ex oratorum desumptas obseruatione: neque tamen dicimus vllam tradi posse, à qua sæpè declinandum non sit. Sed quia imbecillioris ætatis aures

res minus prudentes sunt, quàm quæ de verborum collocatione iudicare possint: eam ob rem, pręceptis quibusdam imbuendæ inculcandæque sunt, vt aliorum dicendi generum, quæ præceptis non sunt inclusa, liberiorem notitiam habeant.

C. I. *De collocatione vocum in genere.*

PRimò, cùm vox quæpiam est, quę in sermone eodem bis poni possit, videbimus primò quo in loco vulgus dicere soleat; dein de in alio collocemus. Plin. in Ep. *Nec desidiæ nostræ prætendamus alienam.*

Sermo vulgaris aliter multò collocaret postremam vocem.

Secundò, Voces multæ vnius syllabę nunquam coniungentur, vt, *Hac in re, nos hic qui flet, nō fert.*

Tertiò, Voces multæ dissyllabæ separentur, ne ingratus fiat sonus, vt, *Tuos ego vidi bonos libros nihil mali habentes.*

Quartò, Plura polysyllaba si coniungantur, insuauis est sonus, vt in illo carmine, *Collachrymabantur, Constantinopolitani.* Vbique autem nimis longa fugiantur.

Quintò, Vnius, duarum, pluriumque syllabarum voces commisceantur, nisi materia sit grauis, & sublimis, & tunc in polysyllaborum vsurpatione, quæ prope se collocentur, cauendum est ne penultima acuatur, sed longe magis ne antepenultima, vt, *Iuuenilem voluptatem reprimendam putamus, & cupiditas nimia commouet.*

Sextò, Duo vocabula in eadem oratione, quæ contrarium habeant significatum, si proximè ponantur, orationem reddūt vberiorem. Tullius, *Qui enim citius adolescentiæ senectus, quàm pueritiæ adolescentia obrepit.*

Septimò, Ea quæ licèt contraria non sint, ita sunt discreta, vt de eodem eadem ratione dici nō possint: hæc si iuxta ponantur, multum habent venustatis. Tullius, *Quid est flectu muliebri viro turpius?*

Octauò, Si alterum horum cōtrariorum, aut tanquam contrariorum præpositionem præpositam sibi habeat, præponetur. D. Hieron. *Multum in vtramque partem crebró fama mentitur, & tam de bonis mala, quàm de malis bona falsorum ora concelebrant.*

Nonò, Venusta locutio est, quę per negationem effertur. Quum enim per affirmationem loqueris, ea solum dicis quæ affirmas: quum verò per negationem contrarij, quicquid contrarium est negas. Quintil. *Probi verò mores, & anteactæ vitæ integritas nunquam non plurimum profuerint.*

Decimò, Vocabula duo ab eodem inclinata, aut quorum ab altero alterum factum sit, proximè sibi ponenda, Plautus. *O mel-*

le dulci dulcior tu es. Tale est illud Ennij.

Qui lepidè postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra cùm dicit frustra esse:
Nam qui sese frustrari, quem frustra sentit.
Qui frustratur, is frustra est, si non ille frustra.

Vndecimò, vocabulum vnum bis in oratione eadem positum, proximè sibi sine vllo medio cõponatur. Tull. *Reddenda est terræ terra.* Idem, *Diligentia, qua vna virtute virtutes reliquæ continentur.*

Duodecimò, pulchrum etiam est vocabula duo proximè sibi ponere, quæ vnum esse videantur. Tull. *Otio fruor, non illo quidem, qui debeat is, qui quondam peperisset otiũ ciuitati.*

Decimotertiò, inter vocabula duo copulata coniunctione copulatiua eleganter quidpiam ponitur, quod cum vtroque conueniat. Tull. *Notatio naturæ, & animaduersio peperit artem.* Idem, *Hecubam putant propter animi acerbitatem quandam, ac rabiem, fingi in canem esse conuersam.*

Decimoquartò, cũ vnica clausula duo dicimus, duoque correspondentia, aut conuenientia adiungimus, ordinem hunc retinebimus, vt priori prius, posteriori posterius correspondeat. Tul. *In amicitia nihil fictũ, nihil simulatũ, & quicquid est, id est verũ, ac voluntarium.* Verum ficto, voluntarium simulato respondet.

Decimoquintò, apud veteres vitiosum non fuit vocabula multa sibi proximè posita dicere, quibus idem esset principium. Ennius, *Sæuum suspicionem ferre falsam futilium est,* particula, *sæuum,* sumitur pro aduerbio. Idẽ, *Neque miserè lauere lachrymæ salsum sanguinem.* Et sic plura in Pacuuio, Lucilio, Turpilio, Plauto, & Terentio inuenies. Quamquam hoc dicendi genus veteribus familiare fuerit, ætas sequens ab eiusmodi asperitate nõ prorsus abstinuit. Virgil. *Sale saxa sonabant.* Idem *Sed qui te talem tanti genuere parentes.* Propertius, *Si fas est, omnes pariter pecatis auari.*

Decimosextò, à genitiuo vno genitiuus alius in eodẽ numero nõ regitur; nec ab vno infinitiuo alterum. Raræ sunt hæ locutiones, *Conseruare amicitiam sperare se dicebat:* &, *Amicitiæ vtilitatis causa id factum est.* Sed hoc peccatum commiserunt nonnulli. A. Gellius, *Bubo in columna ædis Iouis sedens conspectus est.* Sueton. *Expectatio aduentus Iubæ.* Tull. *Africani necis socius fuisti.* Verùm vt infinitiui duo in diuersa voce, ita genitiui duo in diuerso numero sæpiùs inueniuntur.

Decimoseptimò, hæc vitia in collocatione vitabimus. Primò Iotacismum, vbi nimium freques est literæ i. repetitio, *Iunio Iuno Iouis iure irascitur.* Secundò, Landacismum, vt *Sol & Luna luce lucent alba.* Tertiò, Myotacismum, vt *Maior mihi moles, maius miscendum malum.* Quartò, Polysigma, vbi literæ s. crebra nimium positio, *Sosias in solario soleas sarciebat suas.* Tunc præsertim vitium istud vitabimus, cùm dictio in s. desinens ab alia excipitur, cuius eadem litera initium sit, vel litera x. vt *mollis Xerxes.* Similes etiam aliarum consonantium adiunctiones quisque considerabit, ne omnia pertractemus.

Decimooctauò, vocalis eiusdē crebra nimis repetitio auribus iniucunda est, in ijs præsertim quibus exilis est sonus.

Decimononò, vocales multæ eiusdem mensuræ non sunt commiscendæ, sed breues longis, & longæ breuibus adiungantur.

Cap. II. *De collocatione pronominum, & eorum nominum, quæ incompleta sunt.*

PRimò, duo, tria, plurave pronomina iuxta se sine vllo medio posita, siue eiusdem speciei, siue vtriusque orationem reddunt venustiorem, vt *Venio à patre tuo, is se tibi commendat*

Secundò, cū duo pronomina sunt, vnum speciei prioris; alterū posterioris; si id quod posterioris est, substantiuo præponitur, ei postponatur alterum; sin contrà præponatur. Tull. *In forum venit, ad amicitiam se meam contulit.*

Tertiò, cùm duo pronomina sunt speciei vtriusque, quorum ei, quod prioris est, apposita prę positio est præposito nomine substantiuo; pronomen speciei posterioris postponitur, eique præponitur alterum. Quod loquendi genus Politiano vsitatissimum, vt *Beneuolentia in me tua.*

Quartò, cùm pronomen primitiuum ante se regit infinitiuus, infinitiuo postponi solet, vt *Contemnite putas.* Plin. *Scripsisse se credidit.*

Quintò, cū participium, aut nomen substantiuum habet pronomen primitiuum, tanquam substātiuum ei non inusitatè præponitur, vt *Amantem me contemnis.* Plin. *Defunctos se se multis fictilibus dolijs condi maluerunt.*

Sextò, præceptio illa vsu multo obseruata est, vt pronomini adiectiuo substantiuum suum pręponatur, vt *Ingenium tuum, honor meus.* Plinius, *Oleum ipsum sale vindicatur à pinguedinis vitio.*

Septimò, si duo adiectiua sunt, vnū nominale, alterum pronominale: quæ vni substantiuo attributa sint, nominale præponas, inter quod & substantiuum

pronominale interponas, vt, *Admirabilis tua virtus.* Tull. *Quam terra discessisset magnis quibusdam imbibus.*

Octauò, Si quid inter adiectiuū pronominale, & substantiuum interseras, quod cum vtroque, aut cum altero conueniat, maiorem senties elegantiam, vt, *Magna tua in omnes liberalitas.* Gell. *Tenuit me grauis quidem in principio admiratio.*

Nonò, Oratio omnis ferè solet esse venustior, in qua vox, *Nullus, omnis, alienum, aliud, alterum, vtrumque, solum, vllum, tale, singula*, aliaque hoc genus substantiuis postponuntur, vt, *Virtus omnis, labor nullus.* Exempla cuique succurrent.

C. III. *De collocatione nominis substantiui.*

PRimò, nomen substantiuum syllabis multis constans in orationis principio collocetur, idq; præcipuè si orationis suppositū sit. Tull. *Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque probatio summa cum delectatione, & autoritatem orationi affert, & fidem.*

Secundò, Multa etiam inerit elegantia, vbi substantiuum nomen, quod plurium quàm duarū syllabarum est, ponitur in fine orationis: id cum sæpè alias fit, tum maximè si id substantiuum nomen verbi suppositū sit. Tull. *Est eloquentiæ sicut reliquarum rerum fundamentum sapientia.* Substantiuum autem syllabis duabus constans, locum hunc raro admodum sibi vendicat.

Tertiò, Substantiua nomina ab adiectiuis facta, pro adiectiuis ipsis lepide dicuntur. Plin. in Ep. *Te memorem huius muneris amicitiæ nostræ diuturnitas spondet.*

Quartò, Substantiuum, quod facilè in adiectiuo intelligatur, omittendum est, vt, *Natalis, oriens, parca, arida.* Seorsum dicenda erunt, cùm eorum substantiua Dies, sol, dea, terra ibi contineantur. Neq; verò cùm dixeris sumpsisse te Bubulam, aut vitulinam, aut ferinam, semper adiungendum censeas substantiuum, *Caro.*

Quintò, Dignitatis nomen, aut officij, nomini proprio elegantius anteponitur, etsi Valerius Max. sæpiùs postposuerit, vt *Societatis Iesu institutor Loyola.*

Sextò, Nominibus proprijs quod additum est ad laudē, & vituperationem, vsitatius præponitur, vt, *Parentibus clarissimis ortus Loyola.* Quintil. *Tantus amator secreti Demosthenes, &c.*

Septimò, Cognomina nominibus proprijs præposita multam dicendi gratiā relinquūt. Etenim quod generale magis est, elegantius præponi solet. Cicero, *Phalereus Demetrius, meo iudicio præstitit cæteris.* Sueton. *Ad Pompeium Marcum, cui ordinandas Bibliothecas delegauerat, misit.*

Octauò, Inter prænomen & nomen, aut inter nomen propriũ & cognomen, eleganter aliquid interponitur. Tull. *Tiberius item Gracchus.* Et alibi. *Quintus quidem Sceuola.* A. Gellio id tam familiare est, vt quasi ex affectatione vsurpet.

Cap. IIII. De collocatione adiectiui nominis.

PRimò, cùm adiectiuum duas habens syllabas, postpositum est substantiuo, quod pluribus syllabis constet, multa est tunc orationis elegantia. Tull. *Erat opinio bona de Plautio, bona de Lepido.*

Secundò, Nomina ea quæ numerum significant, substantiuis eleganter postponũtur, vt *annus tertius.* Plin. *Homini non ante diem septimum lethalis inedia.* Tull. *Annorum septingentorum memoriam vno libro colligauit.*

Tertiò, Si duo adiectiua sint, vnũ nominale, & alterum pronominale, quæ vni substantiuo attributa sunt, nominale præponẽdũ est, inter quod & substantiuum pronominale interpones, vt *honesti tui mores,* Quinct. *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus.* Tull. *Nouo quodam amore veterem amorem tanquam clauum clauo eijciendum putant.* Quod si inter adiectiuũ pronominale & substantiuum quidpiam interseras, quod cum vtroq; aut altero conueniat, maiorem quandam sentics elegantiam, vt *Magna tua in omnes liberalitas,* Gellius, *tenuit me grauis quidem in principio admiratio.* Cùm verò adiectiua duo nominalia sunt copulatiua iuncta particula, inter vtrumque pronomen adiectium collocetur, vt *Libero tuo & admirabili ingenio delector.*

Quartò, Nulla duo adiectiua plena vni substantiuo sine vlla coniunctione adiungantur, vt monet Seruius. Quę causa est, cur pronomina, *Omne, nullum.* Et nomina numerum significantia plena non sint.

Hæc autẽ id habent, vt omnẽ orationis locum æquè sortiantur: si cum alio adiectiuo non pleno vni substantiuo coniuncta sint, vt *Omnis mea felicitas,* vel *mea omnis felicitas,* vel *felicitas mea omnis.*

Quintò, Inter adiectiuũ & substantiuũ si quid interponitur, nihil refert vtrũ præponatur, sed præponitur crebrius substantiuum.

Sextò, Elegantem cõstrues orationem, si adiectiuũ, quod in orationis principio collocaueris, multas habeat syllabas. Plin. *Luxuriosa pabula pinguis soli semper indicium habent.*

Septimò, Adiectiuum multis syllabis constans, si ad finem orationis collocetur, canoram efficit orationẽ. Plin. *Tonitrua matutina vẽtum significant, imbrẽ meridiana.*

Octauò, Cũ adiectiuũ ad genus neutrũ traductũ est, regitq; in casu patrio id, quod eius substãtiuũ erat, inter eum genitiuum, regentemq;

temque vocem aliquid, non ineleganter interponitur. Quintil. *Facientibus iter multum detrahunt fatigationis, notata inscriptis lapidibus spatia.*

Nonò, Post adiectiua dignum, promptum, idoneum, & similia, elegantiùs collocabitur finitum verbũ cum pronomine. Brutus, *Digni sumus, quos habeas tui consilij participes.* Terentius, *Dignum me putas quem illudas.* Huius generis adiectiua sunt, *Egregius, bonus, iustus, honestus, par, paratus.*

Decimò, Elegantẽ cõpones orationẽ, in qua aduerbiũ postpositũ sit adiectiuo, aut aduerbio quod factũ sit ab adiectiuo, quod si præponatur, vel adiaceat, aliquid miscebitur in medio. Quintil. *Stylus intermissione paululum admodum de celeritate perdit.* Tull. *Nemo est in ludo gladiatorio paulo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinæ fateatur.*

Vndecimò, *Alienum, aliud, alterum, vtrumque solum, vllum, tale, singula.* Aliaque hoc genus adiectiua, substãtiuis postponẽda sunt. Tull. *Quæ flamma est, per quam non cucurrerint ij, qui hæc olim punctis singulis colligebant.*

Cap. V. de collocatione nominis comparatiui, & superlatiui.

PRimò, si comparatiuũ, aut superlatiuũ substãtiuo postponamus, maiorẽ sentiemus elegantiã. Tull. *Imperatorẽ liberalissimũ, ætatẽ opportunissimã, commẽdationẽ certè singularẽ habes.* Id Val. Max. parum diligenter obseruat.

Secundò, si comparatiuum colloces in principio, ornatiorẽ constitues orationem. Quint. *Decentior equus, cuius astricta sunt ilia, si idem velocior.*

Tertiò, comparatiuum in orationis fine ponitur vsitatiùs, Cicero, *Nihil visum est pene illo iucundius.*

Quartò, cùm duo accesserint comparatiua, omissa voce, *magis*, per particulam, *quàm*, elegantiùs coniunguntur, vt *Fortunacior quã sapientior est.* Idem in aduerbijs cõparatis solet accidere. Plin in ep. *Non quia eloquentiús, quàm veriús; sed quia liberiús, ideoque licentiús scribitur.*

Quintò, particula, *quàm*, ratione comparatiui posita inter vocabula duo, elegantiùs collocabitur, si cõparatiuũ antecedat, vt *Diuitijs quã virtuti plures inuigilant.*

Sextò, cõparatiuum ante vocabula duo coniuncta cõiunctione, *quã*, non ineleganter preponitur. Vegetius, *Sæpiùs penuria, quã pugna consumit exercitum.*

Septimò, superlatiuum in fronte orationis positum, canorũ est, siue nomen sit, siue aduerbium. Quint. *Optimus quisque præceptor frequentia gaudet, ac maiore se theatro dignum putat.*

Octauò, superlatiuo in fine orationis collocato, stylus nascetur elegantior. Plinius, *Quid enim tam circumcisum, tam breue, quàm*

quàm hominis vita longissima.

Nonò, si supra nomen superlatiuum comparatiuo excessus detur, elegantem construes orationem, Tullius, *Tibi persuade, te mihi quidem esse charissimum, sed multò fore chariorem, si talibus monimentis, præceptisque lætabere.* Cùm verò per gradus comparationis fit quædam velut gradatio, cùm dicendi venustate vis acquiritur orationi. Plautus, *Miser homo est, qui ipse sibi quod edat, quærat, & id ægrè inuenit: sed ille est miserior, qui & ægrè quærit, & non inuenit: ille miserrimus est, qui cùm esse cupit, quod edat non habet.*

Cap. VI. de collocatione verbi substãtiui, sum.

PRimò, etsi oratio, cuius principium & finis sunt voces polysyllabæ, magis sit canora, verbum substantiuum, siue monosyllabum, siue disyllabum, siue polysyllabum, in orationis principio non ineleganter collocatur. Neque id propterea alienũ videbitur: verbum enim substantiuum appellatum est, quod vocibus omnibus substet. Quintil. *Est enim naturalis fauor pro laborantibus.*

Secundò, si comparatum præcedat, aut superlatiuum, verbum substantiuũ sine vllo medio substituetur. Tull. *Conscientia beneactæ vitæ, multorumq; benefactorum recordatio iucundissima est.*

Tertiò, post comparatiuũ, aut superlatiuum in orationis principio positum, verbum substantiuum ponitur non ineleganter. Quint. *Difficillima est grauissimi cuiusq; sceleris fides.*

Quartò, aptus locus est verbo substantiuo in fine orationis posito, si nomen substantiuum præcesserit, illud præsertim, quod pollysyllabum est. Aul. Gell. *Acerbitas plerumque vlciscendi maleficij, benè atque cautè viuendi disciplina est.*

Quintò, verbum, sum, post adiectiuum in orationis principio rectè collocatur, siue nomen sit, siue participium, siue dissyllabũ, siue polysyllabum. Plin. in ep. *Temerarium est enim in secundis non esse contentum.*

Sextò, verbum, sum, in fine orationis vsitatè multum ponitur, si adiectiuum præcedat dissyllabum, aut polysyllabum, Quintil. *Culpam præsertim deprehensam pertinaciter tueri, culpa altera est.*

Septimò, verbum, sum, in fine orationis eleganter collocatur, si nomen in dus, da, dum exiens præponatur. Sallustius, *Quocumquè ire placet; ferro iter aperiendum est.*

Octauò, verbum, sum, in orationis medio, si ponitur, ei præponetur aut comparatiuum, aut superlatiuum, aut substantiuum, aut adiectiuum, aut negatiuum, aut nomen in dus, da, dum,

exiẽs. Tull. *Tardi ingenij est riuulos consectari, fontes rerum non videre.* Contra has præceptiones dictũ rarò inuenies, quale illud est Tullij, *Cui in voluptate summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda, eaque dicenda optima, quæ sunt suauissima.*

Nonò, ante verbum *sum* in fine orationis particula non ponitur eleganter. Quint. *Mors misera non est, aditus ad mortem miser est.* Idem, *Vox vltra vires vrgenda non est.*

Cap. VII. De collocatione verbi, & participij.

CVM Duo verba sunt actiui significatus, copulatiua particula coniuncta, si idem habeant suppositum, oppositumque, eorum prius tum mutatur in participium præteriti temporis, quod ab altero regatur. Plin. pro, fuste percussit, & interemit, sic variauit, *Fuste percussam interemit.* Tull. *Renouatum bellum gerere conamur,* Pro, renouamus bellum, & gerere conamur.

Secundò, In sermone generali infinitiuus cum verbo, *esse*, aut *l[illegible]ere*, rectè collocatur, vt audire l[illegible]et. Animaduertere est. A Gell. Animaduertere est in tota ista Catonis oratione.

Tertiò, verbõrũm modi subiũctiui personæ secundæ, numeri singularis, rectè collocatur, si oratio generalis sit. Quntil. *Nocet etiã diu pugnare in ijs, quæ obsistere non possis.* Id est, nemo possit.

Quartó, In historia, fabulave narranda, elegantius præsentis temporis verbum, quàm præteriti dicitur: magis enim mouent aut delectant quæ videmus, quàm quæ audimus; & quæ præsentia repræsentãtur, quàm præterita. Exẽpla obuia sunt in Gellio, & Tullio, ea præsertim oratione, quæ habetur in Milonem.

Quintó, iuuabit ad collocationẽ sonoram verborum in promptu habere, quæ de enallage dicuntur à Grammaticis. Quò enim maior fuerit variandi eiusdem verbi in diuersa tempora varietas, eò facilior erit collocatio, quæ aurium concentui deseruiat. Dabit Erasmus 1. de copia verborum Syluam, qua & contrahere, & dilatare possis temporis eiusdem significationem.

Hæc insinuasse sufficiat, quoad obseruanda similia documenta in aduerbijs, verbis, & nominibus, possit esse iuuentus expeditior.

TRACTA-

TRACTATVS DECIMVS DE TRANSITIONIBVS RHETORICIS, PRONVNtiatione, & memoria.

Caput I. de tranſitionibus.

NE trãſitus ex abrupto fiãt, & inconcinnè, hæc habebis expoſita exempla.

Prima tranſitio eſt, quæ Græcè dicitur Mætabaſis, cùm ab vna re explicata, ad aliam nos cõferimus. Hæc duplex eſt; altera tacita, cùm tranſimus nulla data tranſitionis ſignificatione; altera expreſſa, cùm nos tranſire ſignificamus.

Secunda Parecbaſis, Latinè digreſsio, quæ duplex eſt; altera breuis, quæ eſt veluti parentheſis: altera longior, quæ ornandi, vituperandi, delectandive cauſa fit.

Tertia Epanodos, ſeu reditus, cùm reditur ad interruptam orationem.

Quarta, præciſio, cùm orationis filum abrumpimus: vel quia non eſt longiore oratione opus: vel quia rei magnitudine vincimur: vel quia in affectum prorũpimns.

Quinta protaſis, ſeu propoſitio, qua vel orationem auſpicamur, vel argumentationis, vel ſimilitudinis, comparationisve, priorem partem ponimus.

Sexta Antapodoſis, ſeu redditio, quæ ſuperiori reſpondet, cũ altera pars argumentationis, nimirum aſſumptio, ſeu minor, aut altera pars ſimilitudinis adijcitur.

Septima tranſitio eſt, vel per exordium, vel per narrationem, vel per partitionem, confirmationem, confutationem, clauſulam, & reliquas orationis partes, præſertim per epilogum, ſeu anacæphaleoſin, quæ eſt breuis dictorum ſumma: vel per concluſionem, & perorationem.

Octaua Prolepſis, cùm quæ poſteriùs geſta, priùs narrantur.

Nona, Recapitulatio, cũ illa, quę fuerant omiſſa, aut priùs dici debuiſſent, poſteriùs dicuntur.

Decima Reiectio, cúm aliquid tacetur, & in alium locum dicendum, aut legendum reijcitur.

Vndecima, trãſitio ab æquali, vt *hæc grauia, ſed illa grauiora.*

Duo-

Duodecima à simili, *hæc perfidia ostendit cuius generis fuerit alia.*

Decimatertia à contrario, *hæc priuatim, nunc quæ publicè: hæc iuuenis, nunc quæ senex fecerit, dicemus.*

Decimaquarta à diuerso, *de moribus habes, nunc de doctrina accipe.*

Decimaquinta quasi per occupationem, *tam ad reliqua proberabimus, si prius illud vnũ adiecerimus*

Decimasexta per reprehensionem, *Quid immoror? ad rem redeamus, festinemus ad rem.*

Decimaseptima à consequentibus, seu relatiuis, *Vidisti beneficia, nunc considera gratiam.* Alia plura transitionum genera, & obseruet, & impleat nouus orator.

Cap. II. De necessitate pronuntiationis, & actionis, ex antiquis oratoribus.

CVm pronuntiatio magnam vim semper habuerit ad oratoris robur, & elegantiam, oportebit de actione, ac voce præcepta tradi, etsi longè melius re ipsa, quã literis traderentur. Confert recta pronuntiandi & agendi ratio ad docendum, delectandum, atque mouendum. Etenim quod ad docendum attinet sæpe oratio, atque sententia, quantaq; sit verborum energia, sola pronuntiatione dignoscitur, vt omittam vitia inferiùs relata, quæ orationem obscuram reddunt. Quare nulla probatio tam firma est, quæ non perdat vires suas asseueratione dicentis exclusa.

Quod verò ad delectationem attinet, quid oratione bellè enuntiata delectabilius, cùm auditũ, & aspectum oblectet, non secùs ac lumen & harmonia eosdem sensus solet afficere? humanus enim sermo ineptè pronuntiatus, est quasi cibus sine sale, pictura sine coloribus, corpus sine anima: si humilia superbè, grandia leniter, læta mæste pronuntiamus, quis decor erit orationi?

Denique quod attinet ad motum, vocis moderatione, & corporis gestu, aliquando maximæ flammę excitatæ, & affectus omnes languescant, necesse est, nisi voce, vultu, totiusque corporis habitu inardescant. Quare Demosthenes interrogatus, quid primum, secundum, tertium esset in oratione, actio inquit: ipse histrionibus operam dedit, & actionem ad speculum conformauit, vt non tàm agere, quàm tonare videretur.

Cap. III. quæ pronuntiationis vitia ex natura & consuetudine.

PRimum naturæ vitium est vocis exilitas, cùm nimium tenuis est, & semiclausis labris pronuntiantur. Secundum hæsitantia in verbis, cùm magna difficultate vix tandem oratio profertur, vt pueri solent. Tertium est, cùm vox in ore, quasi in specu obscuratur, & tantũ velut in recessu

cessu auditur. Quartum blesitas, cũ certa aliqua litera exprimi nequit, vt in Demosthene. R. & Iud. 12. Schibboleth.

Consuetudinis, vel prauæ imitationis vitia hæc sunt, agrestis, & subrustica pronuntiatio, cum diductis nimium labijs pronuntiatur. Hoc qui faciunt, simplicitatẽ agrestem produnt. Secundò, celeritas, ac volubilitas, qua dicenda cõfunduntur, affectus pereũt, & verba aliqua sui parte fraudantur. Tertiò, tarditas, qua omnes numerare literas videmur. Quartò vocis nimia contentio, quo vitio Demosthenes, & Tullius laborarunt aliquando. Quintò, syllabarum decurtatio, cùm extremæ syllabæ deglutiuntur. Sextò cantus non laudatur in oratore, quia non grauis, neq; aptus ad affectus: admittit tamen Cicero cãtum quendam obscurum. Septimò, qui spiritus maiorem partem per nares effundunt, vitiosè pronuntiant. Octauò, qui finales syllabas multum acuunt.

Hæc vitia corriguntur exercitatione, Demosthenis exemplo, qui in locis concauis, & in littore maris se exercere solebat: fitq; exercitatio, & quotidiana, & operi simillima; ea dicantur, quæ varium, flexumque sermonem requirunt. Secundò, adhibeatur obseruatio, & aliorum imitatio, etiã ab ijs qui perperam dicunt, discendum est, vt Cicero in Antonio vocem minus claram, in Cotta subrusticàm, in Aristhio ineptias, & claudicationem notabat. Tertiò, exercendus spiritus, vt sit quàm longissimus.

Cap. IIII. de recta pronuntiationis forma.

PRimò, vox sit dilucida. Id fiet, si tota verba exegerit, nec extremas syllabas omiserit, dum prioribus indulget. Secundò, pronũtiatio sit distincta, quod continget, si incipiat, & desinat vbi oportet: deinde si vitetur cõiunctionum multitudo, & periodorum magnitudo: nam sicut corpus magnis oneribus, ita vox magnis periodis grauatur. Præterea quærendæ sunt distinctiones, & interpunctiones iuxta sensum, non secundùm oratoris spiritum. Tertiò, sit vocis mutatio & varietas; vitanda enim vocis similitudo, vt aures renouentur, & orator reficiatur, sicut standi, sedendi, & ambulandi vires reficiunt, cùm nihil diu pati possimus. Qui clamosè omnia proferunt, insani sunt, qui submisso murmure risum moueant necesse est.

Cap. V. Quid & quotuplex sit pronuntiatio, & quæ eius partes.

VOx ratione quantitatis diuiditur in paruam, magnã, & mediã, quæ ex eo sic appellãtur,

quod

quod longius exaudiri posſint, vel non exaudiri. Huc referes tres vocis ſonos, quorum vnus grauis, quo canora, & ſedata voce aliquid pronunciatur: alter acutus, quo aliquid magna voce effertur: alter medius, inter grauem & acutum interiectus. Qui omnes ſpectari poſſunt in tota oratione, in ſententia, in dictione, in ſyllaba, & in litera, in probatione, amplificatione, &c.

Ratione qualitatis diuiditur vox in lenem, & aſperam. Rurſus alia eſt continens; alia interrupta, & interciſa: alia tarda; alia velox; alia ſedata, ſiue tranquilla; alia vehemens, & concitata; alia clara & canora; alia obſcura; alia mollis & flexibilis; alia dura; alia firma & conſtans; alia contraria.

Animaduertit Quintilianus, debere eſſe pronuntiationem emẽdatam, ita vt nec rudis ſit, nec exilis, nec nimis plena, nec aſpera, nec abſona. Secunda erit dilucida, ſi clara, canora, articulata, expreſſa, non velox, non tarda, non obſcura: ſi literæ rectè pronuntientur, ita vt non numerentur: ſi diſtinctionum, punctorumque ratio habeatur, & ſumatur ſuis locis ſpiritus, antequam deficiat. Tertia erit ornata, ſi facilis, firma, grauis, acuta, temperata, cõcitata, ſedata, & pro rerum varietate, figuris, & formis expreſſa: ſi ſuauis & iucunda, non effœminatã; ſi non nimis effuſa, aut compreſſa, vel vi expreſſa: ſi initia, progreſſus, & terminos habeat idoneos. Quarta ſit varietas, ita vt non omnia vno ſono dicantur: denique commoda affectibus & figuris.

Cap. VI. de geſtu, ſeu motu vniuerſo, & ſingularum partium.

GEſtu intimas animi cogitationes homines manifeſtãt, qui idem manſit apud omnes, linguarum nata varietate. Animalia quidem bruta geſtibus ſuos affectus declarant, & interdum indocti magis mouentur geſtu, quàm voce.

Illud non prætereo inter actionem ſcenicam & oratoriam immane eſſe diſcrimen: illa veritatẽ imitatur; oratoria ipſa veritatem ſuſcipit: hiſtriones non dolent, ſed dolorem ſimulant; nec vllo verò animi motu commouẽtur: at oratores ex animo eoſdem ipſi motus ſuſcipiunt, quos in aliorum animis excitare cupiunt. Has & plures differentias proſecutus eſt Cicero li. 2. & 3. de oratore. Poſtremo, ne plura afferã diſcrimina, in motu actio nimia eſt ridicula, craſsis ſolùm hominibus nata, ideo ſcenici motus in oratore damnantur. Huius tractatus magiſtri ſunt præcipui Tullius, Quintilianus, & alij nonnulli, ex quibus verba ferè deſumpſit Ludouicus Carbo, & ab ijs omnibus nos plura mutuamur integris ſæpe relatis periodis.

Quod

Quod igitur ad totum corpus attinet, ſtatus ſit erectus; non incuruatus, quia ruſticitas eſt; non vacillans, quia eſt leuitas; non deiectus, quia animum mollem indicat: contrà erectus magnum & conſtantem, & fortē demonſtrat. Concitata, & frequens in vtramque partem corporis mutatio, aut ſi ad ſuggeſtum cubitum adhibeatur, leuitas eſt.

Caput in actione ſit erectum, nam deiectio humilitatem, ſupinatio arrogantiam, inclinatio in latus languorem, rigor barbariem oſtendit. Vultus ſit triſtis in triſtibus, ſeuerus in obiurgatione, mobilis in contentione, acris in cura, conturbatus in conqueſtione, deiectus in modeſtia & verecundia. In ipſo nihil ſit immodicum, ſed cum prudentia & conſtantia.

Oculorum habenda exacta ratio, non ſint extenti, aut languidi, aut mobiles, quia id leuitas eſt: nec ſint operti, quia ſtultitiam indicant. Non vno obtutu orator aſpiciat, nec ſe auertat, lacunaria reſpiciens, ruſtico more.

Supercilia in triſtitia ſint contracta, in hilaritate deducta, in metu demiſſa, in pudore verecunda: quæ alleuentur, vel demittantur, prout abnuendum, vel annuendum ſit.

Naribus nihil decenter oſtenditur, niſi deriſus, & faſtidium.

Labia malè porriguntur, vel deducuntur, vel aſtringuntur: non laudantur qui ea mordent, aut rixantur ore concurrente, ſi memoria fallat.

Ceruices erectæ ſint, non molles & flexæ, quia adulatorius eſt geſtus. In demonſtratione & in probatione inclinandæ, cū natura comparatum ſit, vt quàm proximè vultum auditoribus admoueamus, cùm docere velimus.

Laterū flexio ſit virilis, ſi enim nulla ſit motio, ingratus orator: ſi nimia, ludiones imitatur. Quare à palæſtra, non à ſcena motus petantur. Humerorum alleuatio, vel contractio rarò decent; ſic enim ſæpe humile, vel ſeruile, vel fraudulentum exprimitur.

Brachium, cùm vehementer agendum, deducatur, contrahatur cum verecundè; nunquā ad pectus incuruandum, quod gladiatorum eſt. Siniſtra manus ſola nunquam geſtum faciat, ſed cum dextra aut diſtinguat, aut abominetur. Manibus effingere quidquid dicitur, vitioſum eſt: eas ſupra oculos attollere, aut infra pectus demittere, aut vltra ſinum proferre, non eſt laudabile, neque etiam manuum pugna.

Digitorum varij ſunt motus, in quibus vitioſæ ſunt argutiæ, vibrationes, eleuationes, quæ leuitatem oſtendunt. Qui in ſiniſtro pede inſiſtit, dextrum non attollat, aut ſummis digitis ſuſpē dat. Pedes multum variare eius eſt, qui ſtare neſciat. Denique

videat.

videat orator Christianus, qualis fuerit sanctorum primitiuæ Ecclesię actio, & quàm moderata vox, apud Philonem, dum reprehendit oratores & Sophistas. Paulus Samosatenus in quodam Concilio in Asia habito, authore Eusebio, grauissimè accusatus est, quod ad conciones dextram immoderatè iactaret, pallam fœmori illideret, pede suggestum percuteret, oratorem denique, & Sophistam esse potiùs, quàm Ecclesiæ Doctorem: cùm tamen referente Eschine, antiqui oratores, vt Pericles, Themistocles, & Aristides fuerint in dicendo modesti.

Cap. VII. Qua ratione actionis vitia emendentur, & præcepta rectè agendi accommodentur ad vsum.

QVæ in agendo sunt vitia, emendentur considerata natura, personaque: deinde meditatio, & commentatio accedent, ita vt nihil dicatur, quod domi non fuerit meditatum. Secundò, accedat exercitatio, quæ vitia corrigat, aut laudabilia laudabiliora reddat, exemplo Ciceronis, qui decem annos oratores in foro audiuit. Denique loquemur nō aliter quàm natura docet; ipsi infantes, cùm sui animi affectiones exprimunt, sint nobis documentū.

Vocis sonus tantus erit in principio, quantum locus, vel auditores postulabunt. Principijs summissis grauis tonus est accommodatus, vehementioribus acutus, ita tamen vt ad temperatum redeatur.

Tenuis materia summissam, grauem, canoramque vocem requirit, & gestum parciorem: grauis verò & difficilis vocem plenam, & grauiorem affectum: at verò temperata vocem suauem, & mediam.

Grauis tonus ad docendum est accommodatus, qui dum quādam vocis æquabilitatem seruat, suas habet elationes, & remissiones, sed modicas: cum hoc tono exordimur, narramus, transimus. Medius tonus est ad delectandum, vt cùm laudamus, & blandè monemus, amicè hortamur, ex amore indignamur. Acutus tonus est ad commouendum in aspera contentione, acri indignatione, exclamatione, vbi cauendum est, ne continuis clamoribus vox frangatur.

Voce tenui exponendum est, media argumentandum, acuta amplificandum, vt per singulas orationis partes iam doceo.

In exordio graui & leni vtemur voce, & moderata, cùm nihil, vt ait Fabius, ad conciliandū grauius verecundia Quare qui ingenij, aut libertatis ostentandæ causa audacius incipiunt, grauiter peccant, cùm suos auditores despiciant, & in summum omnia desinunt, post summos clamores,

& inc-

& ineptas gesticulationes manuũ, capitis accubitus, & alia quæ dã ex libertate, insipientia, seu in uerecundia, profecta. Gestus fit totius corporis cum leni laterũ inflexione, eodem spectantibus oculis: manus vel sint immotæ, vel sola dextera gestetur.

Narratio vocem magis claram, & contentam postulat, gestum magis distinctum, & manũ prolatam: & cùm narratio sit minimè actuosa, & ardens, eius actio dicentis arte, & prudentia moderanda, & varianda erit, vt gesta, dicta, & cogitata, congruenti voce, & actione exponantur. Quo fit, vt narrationis pronuntiatio sit difficillima.

Confirmatio vocem grauiorem, acriorem, agiliorem postulat, & gestum maiorem. Hic vox augenda, gestus variandus.

In digressionibus lenis, dulcis, remissa, & expers contentionis debet esse vox.

In epilogo varia vocis & actionis desideratur figura pro affectuum varietate. Quod ad res & sententias attinet, in blandiendo, fatendo, ac petendo, leni ac summissa opus est voce: in suadendo, monendo, promittendo, graui & forti: in consolando, tristi ac summissa: in exponendo, recta, & inter acutum & grauem sonum media: in laudando, & gratiarum actione, & similibus læta ac sublimi: in motu iræ, vox acuta, incitata, aspera, & aspiratione crebra: in inuidia paulò lenior requiritur. Amor inclinatã lenitatem amat: misericordia, flebilem, interruptam, & obscuriorem exigit: metus demissam, hæsitantem, & abiectam: voluptas & lætitia, plenam, effusam, hilaratam postulat: tristitia grauem, vnoque tono obductam: verecundia contractam flagitat. In summa omnes sententiæ & figuræ, quæ aliquem affectum continent, certam vocis & gestus formam postnlant, vt optatio, imprecatio, conquestio, comminatio, indignatio, admiratio, exclamatio, adiuratio, interrogatio, dubitatio; imò eadẽ sententia diuersis locis, non eodẽ modo pronuntianda, vt in exclamatione, & interrogatione cernitur.

Cap. VIII. De memoria naturali, & artificiosa.

MEmoria est firma animi rerum, & verborum dispositionis perceptio, vt ait Tullius, In ea excolenda multum operæ posuere antiqui, de qua posteriores multa literis commendarunt. Hanc si quis exactiùs vellet describere, nostrã recipiat definitionẽ, in hunc modũ, Memoria est *facultas arte, & exercitatione acquisita, qua citò res comprehenduntur, firmiter retinentur, ac facilè promuntur.* Hæc enim tria ad perfectam memoriam constituendam necessaria esse videntur. Solet autem memoria in duas partes disti-

distribui; quarum altera naturalis, id est, sine pręceptis: artificiosa altera, quæ præceptis & exercitatione comparatur. Rursus artificiosam diuidunt in memoriã singulorum verborum & sententiarum. Memoria singulorum verborum est, cùm singulæ constituuntur imagines, quæ singula verba repræsentent: sententiarũ autem, cùm aliquod signum fingitur, cuius monitu alicuius integræ sententiæ recordamur. Denique artificiosa memoria duabus constat rebus, locis, & imaginibus. Loca sunt velut charta, in qua scribitur. Imagines sunt quasi characteres, quorũ intuitu memoria excitata facilè recordamur. Sed qua ratione sic excolenda memoria sit, videamus.

Primò, locus sit solitarius, & sine strepitu; nam quæ audiuntur, memoriam disturbant.

Secundò, faciliùs discimus lecta, quàm audita, & scripta, quàm lecta, & nostra, quàm aliena, & quæ intelliguntur, quàm quæ nõ intelliguntur, & quæ numero cõtinentur, quàm quæ sunt numero soluta. Danda ergo opera, vt ediscenda legantur, sæpius intelligantur, attentè scribantur, cùm per stylum non modò in chartã, sed in memoriam infigantur. Scribentur certo ordine, cùm rerum numerus & ordo, quibus tollitur omnis confusio, memoriam iuuet, & confirmet. Quare qui facilè ediscere cupit, cum ordine & numero componat, & in aliénis ordinem inueniat, & discenda in partes secet, & ad certa capita instar tabulæ conficiat.

Tertiò, si quis locus, aut sentẽtia difficilius hæret, apponatur notula, quæ magis renouabit memoriam, si affinitatem habeat cũ re, cuius meminisse volumus.

Quartò, circa modum ediscendi, satius est per partes orationẽ longam memoriæ mandare, quia minore onere memoria grauatur, quàm si totam simul ediscamus. Adolescentibus melius est ad verbum ediscere: alij verò adulti, & exercitati, non omnia adverbum ediscere tenentur. Quintò, non tacitè, sed voce ediscendum; nam tacenti, velut otioso aliæ cogitationes subeunt. Deinde qui clarè dicendo memoriam exercet, alacrior & erectior redditur, & minus impeditur, si aliquid exaudiatur. Accedit, hęc forma simul per auditum & visum influere res in memoriam.

Sextò, sit animus vacuus occupationibus, nam mæror, & alia mentem distrahunt. Deniq; crebra ediscendi exercitatio multũ memoriam fouet, & auget. Hæc dixerim pro naturali memoria. De artificiosa illud in genere dictum sufficiat locis, atque imaginibus constare. Loca sunt instar tabulæ, imagines velut scripturæ & similitudines. Omnia ergo, quæ de hac memorationis arte dicuntur, ad imagines reuocantur,

tur,in quo hæc obſerua.

Primò,loca ſint maximè notata,& inſignia, diſtinctionemque habeant,& ſi fieri poſsit,diſ ſimilitudinem.


Secundò, mediocri diſtantia ſeparentur, ne vel nimia compreſsio memoriam turbet, vel diſtantia diſtrahat.

Tertiò,loca ſint ſubobſcura, & ſeparata ab hominum frequẽtia,ne vel locus frequens vagari mentem faciat;vel nimis obſcurus imagines obcæcet.

Quartò,quintus quiſque locus,vel decimus ſua nota diſtinguantur.

Quintò,imagines iuxta modum magis facilem,& cuique familiarem denotentur. Hæc & alia non tàm præcepta, quàm imagines,ab alijs traduntur, & vix deſeruiunt ad ediſcendum verba,ſed ſententias. Vidi plura longioraque volumina circa artificioſam memoriam, quæ tamen nihil habent, quòd in dictis non contineatur,niſi imagines,quas ſibi quiſque ex notis ſibi ſpatijs poteſt confingere. quæ omiſimus in noſtris tractatibus,dabit tabula prima Cypriani Suarez,quamin gratiam ſcholarum Societatis noſtræ excuſam,ad huius operis finem damus.

(.?.)



K LI-

LIBER SECVNDVS RHETORICÆ AD PRAXIM DEDVCTAE.

Rhetorica exercitamenta eorum quæ superioribus tractatibus præcepta sunt.

PROLOGVS.

POssem, amice lector, in omni causarum genere vltra quatuor centurias exemplarium proponere, quæ dißoluto artificio doceant rudiores, non secus ac illa quæ paulò post subijcienda sunt. Sed ne præter gratiam primum excresceret volumen, primam selegi Auctoris centuriam, qua nouos eloquentiæ discipulos informabat, vt breui quasi deducti semita quidquid foret artificij, non intelligerent solum accurate, verum etiam fœliciter exercerent. Dabit fortè Deus opportunam viam, qua alias tres eiusdem Auctoris centurias euulgemus. Hic te monitum velim in argumento fœlici, & quod à Doctoribus tractaretur, esse nonnunquam integras clausulas antiquorum, mutato tamen ordine iuxta Rhetoricæ præcepta. Quare non à Tullio solum, & Lactantio, sed à facundioribus Ecclesiæ Patribus, nobis etiam oratoribus Christianis quæ bene, eleganterque dicta sunt, assumuntur integre, si quando in idem inciderunt argumentum: Semper tamen ordo, modus & connexio innouantur, ne nos regulas violemus: eo namque intendimus oculos, vt dissolutum patensque artificium animos alliciat ad exercenda Rhetoricæ præcepta.

(.?.)

Pars prima in laudem personarum.

NON Omnia cuiusuis propositi exempli percurremus loca, sed præcipuis selectis nouos Oratores eo deducemus, vnde & ipsi facilius poßsint inuenire, & inuentę, sine difficultate redigere in Rhetoricæ artis concordiam. Primus tractatus de inuentione, & secundus de exornatione, si præsto cuique succurrant, & in promptu sint, multam adferent opem ad dicendum.

In laudem Christi optimi maximi.

EXordium à rei magnitudine, & excusatione temeritatis. In magnis enim rebus voluisse sat est. Non potest oculorum acies tantum solis sustinere splendorem, sed submißsionis nube temperata confirmabitur, &c. Vos igitur auditores cùm tanta res afferatur, quanta adesse oporteat, attentione iudicante.

Narratio.

CVM Humana natura à Deo instituta ante primorum hominum lapsum prope fœlicitatis portum nauigaret, ob gubernatorum inertiam fluctibus circunuenta vehementerque impulsu vagabatur; eoque demũ calamitatis deuenit, vt tenebris obducta, à pyratis vexata, præsidijs destituta vniuersis periclitaretur. Cùm verò frequens Sanctorum Patrũ clamor pulsaret cœlum, nauisque diu multumque laborasset in fluctibus, repente sese illis cœlum patefaciens solem misit Christum, qui statim expeditissimum illis reditum in portum reclusit; factaque tanta tranquillitas est tantaque nauigandi facultas, vt nulla vis eorum ad fœlicitatem cursum retardare posset. Quare tantam rerum vicißsitudinem, tàm inusitatam, inauditamque lætitiam, tantam salutis recipiendæ facultatem, tàm incredibilem eius clementiam, tacitus præterire non debeo.

Propositio.

DIcam igitur primum, quæ ante necis acerbißsimæ tempora Christus gesserit; deinde verò attingam quæ extremam vsque horam mortis beneficia concesserit. Postremo autem ostendam quæ donec ad cœlum redijt, nostra causa fecerit.

Confirmatio.

PRimò, cùm ortus in terris apparuit natura rerum vniuersa nascentis dignitatem prodidit, vt verè omnium Dominus esse ex eo declaretur, quòd omnia illius aduentum testarẽur. Extiterant ante hunc homines virtutibus varijs præcellen-

tes vt Abraham multarum gentium pater, Isaac, Iacob, Moyses, &c. Sed hic vnus omnes infinitis partibus superauit. Illustretur hic locus comparatione, aut similitudine solis ad reliqua astra. Augeatur hic locus hortatione ad Christianos, vt hunc venerentur, colant, amplectantur, quod ideò ad nos venerit, vt nos pleno splendore illustraret, plena virtute edoceret, pleno gurgite potaret.

Secundò, labores numera, quos nostra causa exantlauit: cùm enim Christus is esset, qui omnia contineret, fons omniũ voluptatum, factus est omniũ egenus, talemque instituit vitæ rationem, quæ perpetuus quidam labor esset. Hic hic est ille Christus, cui non infantia, non adolescentia, non iuuentus, nullum denique tempus, licèt breuissimum, nullus locus, nulla actio fuit labore vacua. Eiusque vitæ exitum, vt integra oratione dicemus, ita omnis doloris genere voluit esse cumulatum, vt ne cogitatione quidem id quisque videatur posse complecti.

Similitudo.

VT Enim nauis pars infima vndiq; cõfluentes in se sordes colligit, ita Christus, vt omnes omnium nostrum pœnas vnus ferret, sese subiecit omnib⁹.

Hortatio.

QVNTO igitur studio hunc complectemur, cùm hoc ille gesserit, vt nostram incolumitatem ex acerbissima vexatione, vt nostram libertatem ex extrema seruitute eriperet; quorum tanta est copia, nullis vt eloquentiæ terminis concludi posit. Testis est amplissima Palęstinæ regio, cuius nulla pars, nulla ciuitas, nulla fere domus est, quæ non frequenter diuina eius gesta sit experta. Testis est ægrotorum ingens multitudo, quorum varia genera morborum curauit. Testis Pharisæorum conuentus, quorum perdifficiles contentiones persæpe dissoluit. Testis est dæmonũ manus quos è multorum corporibus, mensibusq; proiecit, sed quorsum hęc exigua illius facinora prosequor. Testis est non semel, sed frequens orbis terrarum vniuersus, qui scelerum labyrintis inclusus, errorum laqueis irretitus, cacodæmonum furijs exagitatus in placidissimum locum est adductus.

In laudem Catholicæ Ecclesiæ argumentum.

ORatio complectetur principium, propositionem, confirmationẽ & perorationẽ.

Exordium duces à maiestate & dignitate rei, de qua dicturus es

es per comparationẽ Rerũpublicarũ, & inferiorũ, per cõparationẽ Ecclesiæ, quæ quondã floruit, illisque tum dignitate, tum maiestate, tum honore, tũ antiquitate, tum opibus, tũ immortalitate antepones hanc diuinã Rẽpublicam, de qua verba facturus sis, desumes cõparationis capita ex tractatu 1. ca. 10. Atq; sententiam tuam probabis, tum exemplis, tum vaticinijs, tum præmonstrationibus veteris testamenti, tum dignitate, tum auctoritate huius fundatoris, quæ non à Theseo, vt Atheniensis Respublica, nõ à Licurgo, vt Lacedæmonica, non à Didone, vt Carthaginensis, non à Romulo & Remo, vt Romana; sed ab ipso omnium rerum parente Deo, & ab ipso generis humani liberatore Christo.

Sequatur deinde propositio qua oratoriç docilitatem & beneuolentiam comparabis ex tractatu 5. cap. 2.

Loci confirmationis.

PRimus locus laudationis ducetur à genere, siue natalibus Ecclesiæ. Nam cùm à Christo fuit ædificata primò in petra, scilicèt in Petro. Deinde à Petro Apostolo instituta Antiochiæ, ibique primum nomẽ Christianorum per eius prædicationem est exortum.

Secundus, ab educatione & institutione, quod à Christo instituta atque educata est. Christus enim primus Apostolos docuit. Deinde Spiritumsanctum misit, quo imbuti Apostoli fidem vbique gentium cõstituerunt, & Sedem Antiochiæ primum Princeps Apostolorum posuit, quam tandem Romam transtulit, vt vbi caput, & orbis terrarum esset arx, ibi etiam Ecclesia Dei constitueretur.

Tertius, à corporis bonis, quod sit pulchra, syncera, & integra Ecclesia, est enim corpus Christi, Sponsa & Regina cœlorum, qua quidem re quid augustius, quid florentius dici potest? Fiat enumeratio partium, &c.

Quartus, ab opibus & fortunis, nã Ecclesia locupletata est à Christo sponso eximijs & singularibus virtutibus atque muneribus; illam enim Christus docuit, & exornauit suo spiritu, qui primũ est paracletus, idest consolator Ecclesiæ suæ; deinde in æternum manet in Ecclesia. Tertiò, quç futura essent illi multo ante denunciauit. Quartò, quod verba Christi illa interpretatur. Quintô, quod est in illa spiritus veritatis, qui ducit illã in omnẽ veritatem. Ecclesia enim fœlicissima & sanctissima prole fuit decorata. In primis enim procreauit nobis sanctissimũ illũ Apostolorũ senatũ, deinde etiã florentissimum

Martyrum exercitum, quorũ sanguine est illustrata; infinita virginum agmina, quarum vir tutibus stabilita est; & reliquo rum confessorum & Patrum multitudinem, quorum rebus gestis & factis formata est, & longe lateque propagata atq; amplificata quæ omnia ex tra ctatu septimo amplificentur.

Quintus à dignitate, & maiestate, à prudentia & sapiẽtia, nã Ecclesia instituta à Deo, illuminata, & docta à spiritu sancto, verã habet sapientiã, neque vnquã errare potest, quia non solũ hoc tẽpore, sed semper habet Christum sponsum, & semper regitur magisterio spiritus sancti, illã nunquã desẽrẽtis. Hunc locum amplificato tũ collatione, tũ antiquitate Philosophorũ, tum hæreticorũ calliditate, quippe qui nullam habent sapientiam.

Sextus à temperantia, quanta temperantia, & moderatione rerum Ecclesia Dei fuerit illustrata, hunc etiam locum exaggera enumeratione.

Septimus à fortitudine, quanta enim fortitudine venientibus malis obstitit, omnes hæreticorum errores repulit, effrænatasque repressit libidines.

Octauus à patientia, quanta animi altitudine iniurias, aut falsorum filiorum, aut ærheticorum insultationes, aut ethnicorum supplicia, aut cædes tolerauit. Hanc propositionem exaggera longa & graui enumeratione, tum hæreticorum, tum ethnicorum, quos tandem diuino consilio oppressit, & exterminauit, quia portæ infernorum Ecclesiam Dei labefactare nulla vnquam vi potuerunt.

Nonus à iustitia, quam distribues in religionem ergaDeum, in pietatem erga parentes, & alia quæ tractatu secundo cap. 8. & tractatu 3. cap. diximus. Quem locum amplificabis exponendo religionẽ, pietatẽ, & reliquas virtutes, quibus maxime creuit, & corroborata est Ecclesia Dei.

Decimus à virtute & gratia, quòd sola hæc Catholica Ecclesia vbique gentiũ viguit, & floruit admirandis & stupendis miraculis, prodigijsq; & reliquis diuini numinis virtutibus.

Vndecimus à pace & coniũctione: vincta semper fuit, & est concordia in EcclesiaDei, vt in infinito hominum numero nullus vnquam fuerit repertus, qui sibi contradiceret, qui in rebus fidei discordaret ab Ecclesia, nã sicut Ecclesia vna est, ita vnitas & consensus, vt sit in Ecclesia oportet. Hic cõmendabis animorum coniunctionẽ, concordiam, pacem Reipublicæ Christianæ: contra verò diuersa omnia in hæreticorum domicilijs.

Hinc

Hinc deſcendes ad amplificationem, enumerationem, & maximè ad exornandam illam ſententiã, quòd Eccleſia à Deo inſtituta ſit ſuper Petrã, quòd vna ſit Eccleſia Dei ſpõſa, quod eximijs, & præſtantibus virtutibus ſit ab eodem decorata. Quare his illuſtratis & expoſitis, reprehendes illos neſarios homines, qui hanc Chriſti ſponſam omni ſcelere polluere conantur, vt ſuis inſeruiant libidinibus & ſuas expleant voluptates. Deinde inuehes in falſos Chriſtianos, quòd non ſingulari amore proſequãtur & tueantur hanc Chriſti ſponſam, ſed per ignauiam & ſocordiam ſe à fidei tyrannis irrideri ſinant.

Deinde induces Eccleſiam per Proſopopœiã loquentem, & primum quidem oſtendet ſuam dignitatem & auctoritatem. Deinde verò deploret deſidiam filiorum ſuorum, & rerum diuinarum contemptionem, quòd eo dementiæ ventũ ſit, vt plus fidei habere velimus improbo & neſario homini, quàm ipſis Apoſtolis, ipſi ſponſo Chriſto & omnibus denique Apoſtolicis viris: plura in hanc ſententiam introducito.

Peroratio continebit enumerationem laudum expoſitarũ & cohortationem ad ſectandum fidem noſtrorum maiorum, & vt grauius auditorum animos commoueas, Chriſtum ipſũ in terras reuocabis, vt ſuã Eccleſiam, & ſuam Virginem intueatur, &c.

De puerorum innocentium cæde.

EXordium in hanc ſententiam inſtituetur: vtinam Deus Opt. Max. faceret, vt de me etiam pronuntiari poſſet, *Ex ore infantium perfeciſti laudem.* Sic enim ſperarem me ſin minus pro dignitate, ſaltem minus indignè in eorum ſanctorum laudatione poſſe verſari, quos hodierno die infantes in ipſo mortalis vitæ limine innocentes Tyranni gladio contrucidatos Eccleſia Catholica, vt in cœlo beatos piè ſancteq; veneratur in terris; ego tamẽ, quod innocentiæ merito & nominis copia aſſequi nequeo, vt eos digna laudatione proſequar, id omni ſtudio, atq; in ſanctos, beatoſq; infantes religione, obſequioq; commotus præſtare, quoad vires ferent, conabor.

Propoſitio.

TRia mihi dicenda ſunt. Primum de crudeli Regis ſcelere, atq; immanitate: deinde de infantium feliciſsima conditione: poſtremo de innocentiæ, atq; integritatis beneficio, atq; præſtantia.

Regis crudelitas quanta ſit videatis. Primum, magna crudelitas eſt ſęuire in pueros; maior

in innocẽtes, ob indignissimam causam; & cæde nihil aliud agitur, nisi vt Christus interceptus occidatur. Augustus Cæsar audito Herodis tã immani scelere dixisse fertur: Satius est Herodis porcũ esse, quã filiũ; nã & filios cũ cæteris pueris immanissima illa bellua interfecit. Demõstranda est stultitia eiusdem, qui putabat se impedire posse diuinũ consiliũ, & vitã adimere vitæ auctori. Augẽda est crudelitas exẽplis, cõparatione cũ alijs tyrannis, excurrẽdú ad infinitã quæstionẽ, locũq; cõmunẽ de crudelitate, de ambitione, de cupiditate regnandi, de amittẽdi metu; quæ omnes perturbationes præcipitẽ egerũt hãc teterrimã pestẽ in tãto scelere, quibus debitas pęnas, supplicia q; illum apud inferos persolue re ne dubitetis.

Sed omisso hoc portento, ac monstro, ad felices illos pueros nostra traducatur oratio, quorũ conditio mihi eiusmodi videtur, vt inuidere illis tantã felicitatem vnusquisq; maximè possit, ac debeat. Sed dum rei gestæ rationẽ, ordinem, memoriãq; repeto, & lætitia perfundor & luctu. Et quod enim vnquã fuit tam triste, miserũ spectaculum? Hinc enim puerorum sanguis, inde parentum lachrymæ profluunt; hinc morientium puerorũ vagitus; illinc lamentantiũ vlulatus, plãctusq; exaudiũtur. Sed si excogitemus ex quibus periculis erepti sunt pueri, intelligemus nõ satis honestã esse causam lachrymarũ; nã si vitã suppeditasset, nihilo fortasse hi meliores fuissent, quã illorũ proximi, qui Christũ postea sustulerũt in crucem. Quapropter si volumus etiã summũ bonũ, quo illi potiti sunt, adipisci, innocentiæ studeamus, & infantes pueros imitemur; quandoquidem nisi efficiamur sicut paruuli, aditus nobis in cęlũ, vt Christus loquitur, patere nõ potest.

In laudẽ S. Ioannis Baptistæ.

EXordiũ duces à more & cõsuetudine huius scholę, quod cùm videris alios eloquẽtiæ studiosos habuisse elaboratas & copiosas orationes, de scientiarũ, linguarumque laudibus, ijs Diuorum quoque laudes adiungẽdas putaueris, eiusque potissimum, cuius vita, vt iucundissima commemoratione, ita vtilissima imitatione digna censeatur: si enim res gestas imitabimur, certissimis gradibus eueheneur in cœlũ. Addes te ad hoc faciendum adductum ocasione, quod in eo Matritensi Rhetorum gymnasio sis dicturus, in quo D. Ioannes sit patronus delectus, qui vt nobis apud Deum perpetuus aduocatus sit futurus, ita nobis moribus exprimẽdus sit propositus. Quam obrẽ cùm de re tanta, &c.

Propositio.

PRimum, videtur dicendum de his quæ ad ingressum D. Ioannis in hanc lucem contigerunt; deinde de rebus ab eodē gestis quibus viam sibi parauit in cœlum; postremo de genere mortis quo ad laborum suorum fructum percipiendum à Deo vocatus est, quæ omnia sunt eiusmodi, vt summis eloquentiç viribus indigeant: verum quantum in me erit, si non augere & exonerare, exprimere quidem certè conabor.

Confirmatio.

QVemadmodum vir aliquis præclarus, si quo iter habeat, nonnullos præmittit vt suum illic aduentum declarent, ita hic Diuus theatrum hoc mundanum ingressurus, præclarissimis sacrorum vatum oraculis multò ante significatus est; atque illo potissimū quod per Malachiam Deus optimus maximus tam præclarum elogium prædicauit. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te.* Ad hæc quidem Angelus Gabriel, qui Domini Nostri Iesu Christi aduentum prædixit, Diui Ioannis ingressum pronunciauit, ex quo quanta esset futura eius cū Christo cognatio, vel similitudo, declarat. Eius quoque nomen quod paucis fuisse concessum accepimus à Deo positū, & ab Angelis nuntiatum est. Io vero quid nisi gratiā significat, quę omnia singularē huic dignitatē à Deo fuisse attributā declarāt, eande verò confirmāt, quæ ad diē natalitium huius Diui contigerunt; nā quicūq; aderāt Diuino numine afflati mira de illo prædicarunt, quin etiam eius mater in singularia erupit verba, imò, & pater qui adhuc mutus fuerat, incredibilia vaticinia pronunciauit, quæ quidē omnia tanta sunt, vt diuinitatem quandam nascentis præseferāt. Nomina plura Sancti Ioannis ex tractatu 2. cap. 1. perquiremus. Et quæ pro illo præclara testimonia ex tractatu 1. ca. 11

Ab educatione.

HInc ad educationem veniamus, quę sane fuit admirabilis. Cùm à religiosissimis fuerit educatus, immò vt quadam Dei virtute mortalium numero adscriptus est, ita etiam vt opinor, eadem quoque virtute per omnem illi ætatem affulsit Deus, quousque perfectionis verticem attigit, in primo illo post hominū memoriam nunquam audito facinore, quod vix quinque annos natus parentibus relictis, contemptis honoribus, atque diuitijs sese in locum remotissimum incluserit, hominum consuetudinem fugiens, vel nec leuem quidem maculam inde contraheret. Hic spa-

tia-

tiaberis aliquantisper in eorum laudibus, qui à tenera ætate ad perfectionem contendunt Euangelicam.

A temperantia, & alijs virtutibus

HVic cibus præter modum abiectus fuit: vestitus camelorum setis contextus. Erũpe hic in ætatis nostræ Epicureos, qui sibi sanctum Christi nomen attribuunt, ex tractatu sexto cap. 6. & vndecimo. Percurres virtutes cæteras tractatus secundi, cap. sexto, 7. 8. 9. 10. & 11. eorum quoque partes ex capitis quinti doctrina examinabis.

Ab officio.

QVod diuinæ pietatis præco fuit, nec tam verbo quàm exemplo contemnens huius vitæ illecebras, monuit vnicum salutis perfugiũ innocẽtiæ statu delapsis, pœnitentiam esse. Est hoc amplificandum per comparationem tractatus 1. capit. 10.

Ab animi submissione.

SIne qua non patere nobis cœlum intelligebat, vt sciscitantibus se an Christus esset, aut vnus ex vatum numero, clamãtis vocem in deserto sese professus est. Amplificetur hæc animi submissio ex tractatu secundo, cap. 5. illustretur figuris & sententijs ex tractatu. 9.

A dignitate.

QVod vates reliqui ad futurum mundo iubar illud cecinerunt, quo noua quadam luce, hic terrarum orbis illustraretur. At Ioannes indice ipsũ prodidit: ternam est adeptus laureolam. Fuit enim virgo, fuit martyr, fuit veritatis diuinę propugnator. Hæc dilatanda sunt ex secundo & septimo tractatu.

A genere mortis.

PRo veritatis arce tuẽda profundit vitam, cùm veritatis mundo nuntius extitisset. Hic profero illud encomium, quod de ipso Filius Dei protulit. Amplifica à dignitate martyris, & illius oratore, qui est Christus, quòd ille vnus omnium qui lucem hanc respexerunt, Deũ habuit laudum suarum laudatorẽ. Lege tractatũ secuudum. c. 12.

Peroratio.

COntinebit breuem adhortationem ad auditores, vt toto pectore nitantur pie vitã transigere, sibi ob oculos huius exemplum ponentes, vt suæ & aliorum possint saluti consulere. Ex tractatu 3. cap. 7.

De D. Ioanne Euangelista.

EXordium erit eiusmodi, vt explicentur causæ, quam obrem sint institutæ Diuorum laudationes publicę. Prima fuit, vt Dei Opt. Max. potentiã, sapien-

pientiam, benignitatẽq; perſpiceremus; ipſe enim ſanctos homines facit. Altera, vt aliquod grati animi officium erga Deũ, Diuoſque exhiberemus, à quibus tot, ac tanta accepimus beneficia. Tertia, vt intelligamus eos mortales fuiſſe homines, & cõmunẽ nobiſcum ſortitos naturã, iiſdẽ periculis, incõmodis, difficultatibus, ęrumniſq; obnoxios, & ad illam beatitudinem per ſummos labores aſpiraſſe, conſequutoſq; pugnando cum vitijs, & cupiditatibus eam victoriam atque felicitatẽ, quam nobis quoque Deus propoſitã eſſe voluit: vbi ſubijciẽdum eſt. Tũ quod nos ad res geſtas, virtuteſq; ſanctorum exornandas impellit, vt imitationis ſtudio inflammemur.

Propoſitio.

DIcendum eſt primũ de D. Ioannis ſingularibus diuiniſq; muneribus, quæ à Chriſto Domino cõſequutus eſt. Deinde de rebus ab eo ſanctè, admirabiliter, & diuinitus geſtis: poſtremò de eius apud Deum auctoritate, ac poteſtate.

Primæ partis loci: fuit hic Diuus Chriſti cõſobrinus, vel propinquus, fuit virgo ex nuptijs vocatus à Chriſto, & in Apoſtolorum Collegiũ cooptatus. Fuit Chriſto pręter cæteros pręcipuè charus. Ab eodẽ ſæpè miraculorũ teſtis adhibitus. Idẽ vnus ex tribus fuit, qui Chriſtũ in mõte trãsformatũ cõſpexerunt. Huic vni proditorem ſui Chriſtus indicauit; Chriſti pectori ſuper cœnã incubuit, ex quo illam ſingularẽ, inauditamq; ſapientiam hauſit. Eidẽ Chriſtus Matrem Virginem Virgini commendauit.

Loci ſecundæ partis. Fuit D. Ioãnes nõ ſolũ virgo, ſed etiã Apoſtolus, & Euãgeliſta: dũ Euãgeliũ ſcribit tanta myſteriorũ, arcanorumq; maieſtate. Mirabilis, & inæſtimabilis manſuetudinis, amoris, charitatiſq; pleniſſimus. Vates itidem fuit, dum Apocalypſim literis mandat futurorũ myſteria continentem. Fuit deniq; martyr, dũ feruenti oleo immerſus, incolumis extitit. Addite tot populos Aſiæ, & ciuitates eius ſapiẽtia ad Chriſti cultũ traductas, moderatas, cõſeruatas; reuocatos ad vitam mortuos, ad virtutẽ improbos ac ſceleſtos homines, cũ ſemper vſq; ad extremũ diẽ in ore hæreret illud, *Filioli deligite inuicẽ.* Quid enim aliud vel Euangelium, vel Epiſtolæ eius niſi miſericordiã, beneuolentiamq; ſpirant? Poſtremò, hic adhuc à nõnullis permanere creditur, vt in mundi conflagratione atque interitu ad homines qui tunc erant in Chriſti Religione, aduerſus Antichriſti fabulas, præſtigiaſque confutandas reuertatur.

Lo-

Loci tertiæ partis. Vos igitur etiā atq; etiā cogitate quanto in honore esse debeat is, quē tot, tātisq; beneficijs & honoribus Deus Opt. Max. exornauit, & pro studio eius patrocinium expetere doceat, quem tantū apud Dei tribunal valere, & tā studiosum salutis hominū tanquā misericordem, ac benignū in omnes mortales fuisse accepimus. Reliquū igitur est, vt ad eius virtutes imitandas, quoad possumus incūbamus; ita enim fiet, vt eū patronū benignissimū in nos fuisse cognoscamus.

De D. Petro & Paulo Apostolorum Principibus.

DVces exordium à communi lætitia totius Ecclesiæ, nā si martyriū omniū incredibilem hominum mentibus verè Christianis & Religiosis lætitiā affert, quantū gaudiū percipi parest exeo, quo Principes totius Ecclesiæ, sanguine & vita fortiter constanterq; pro Christi nomine profusis, consequuti sunt triūphum? Merito igitur toto orbe incredibilis lætitiæ significatio ab omni hominū genere omnium consensione exhibetur. Quā ob rē nemini mirū videri debet, si tanta hominū multitudo vnius oratoris orationē spectet, miretur potius cōtinere se quenquā, & in tanta hominū, ætatū, atq; ordinū exultatione, nō exclamare omnes, & lætitiæ magnitudinē quacūq; ratione possint, voce cantuq; declarare, equidem quod me vnū cæteris tacentibus dicere necesse est, quanuis & rei magnitudini, & loci dignitati, & expectationi vestræ parē me orationē afferre posse non spero, tamen eo vel maxime recreor, quòd non ipse tantū, cuius nulla est exercitatio, &c. nec aliū quēcunq; quanuis summū oratorē, pro rei veritate, de eorū virorū laudibus dicere posse certo scio. Aliter exordiū si placuerit, formare licebit ex tractatu 5. cap. 2.

Primus locus.

COntinebit narrationē, quo nā Petrus quidem piscatione ad Apostolorū Collegiū, Paulus autē dū Damascū proficisceretur, diuinitus vocatus est, & quid in vtroq; admirabile videtur, diligentius replicādū, perlege tractatū quintum cap. 4. 5. & sexto.

Secundus locus.

DIligentia vtriusque in proximorum salute procuranda explicabitur: nam ille quidem statim ac Spiritum Sanctū diuinitus recepit, concionabundus ad Iudæos properat, deque rebus diuinis verba faciens, multa hominū millia ad Christi fidem traduxit; hic autem in fini-

finitas prope totius orbis terræ partes, pro hoc Dei & proximorum amore incensus peragrauit; omnia omnibus est factus, vt omnes posset ad verã Christi fidem, cultumque pertrahere. Sunt hæc dilatãda ex temporibus, locis, difficultatibus obiectis. Ex Apostolorũ animo atq; constantia.

Tertius locus.

QVid quod vterque ad Apostolatus dignitatẽ, qua nulla potest esse in terra præstantior, singulari Dei beneficio assumptus est? quid enim aliud Apostoli nomẽ significare credimus, quã Christi ministrũ, qui ad omnium salutẽ procurandã mittatur? quid quod vterq; hoc quasi magistratu inito nomen mutat? Petrus Simon appellabatur, postea Petrus, quasi totius Ecclesiæ fundamentum. Paulus autẽ cùm antea Saulus vocaretur, Pauli fortasse nomẽ accepit, cũ eius opera ab omnibus prope modum periculis imminẽtibus liberanda esset Ecclesia Catholica. Atque adeò ipsũ firmissimum Christianæ Religionis propugnaculum futurũ. Est hoc beneficium considerandũ, ex his quæ circa beneficia, & actionem gratiarum diximus tract. 4. part. 2. cap. 9.

Quartus locus.

IAM Verò quid de animi promptitudine, de que subita Christi imitatione dicemus? Ille vnius Christi viuentis voce admonitus nullius præmij spe allectus, nulla externa põpa commotus, solo diuino amore incensus Christum pauperem pauper est consequutus: hic cœlitus tactus & diuina voce suauiter perterritus, nulla vsus mora sese statim in eius fidem & clientelam, totum tradidit, cuius paulo ante discipulos persequebatur acerrime. Gratulabimur Christo Domino pro nouis nouæ militiæ ducibus ex tractatu 4. part. 2. capit. 10.

Quintus locus.

COnstantia in laboribus tolerandis, & periculis pro Christi fide fortiter subeundis tanta fuit quanta vix in hominem cadere maior potest. Nam vt omittam illius labores, vigilias, peregrinationes, præces lacrymas, carceres; huius autem virgas, vincula, lapidationes, aliaque id generis per multa pro Christi fide tolerata, ipsa vrbis Romæ mœnia apertè docuerunt: horum virorum virtutem, atque constantiam cruciari, affligi, necari denique posse; à vera religione flecti, aut dimoueri non posse. O vis diuini amoris incredibilis, quid non in pectoribus vere, & christianis, & religiosis efficis.

Sextus

Sextus locus.

NEque verò facilè explicari potest, quanta fuerit in vtroque iustitia summa, cum facilitate & lenitate coniuncta. Nã Petrus quidem diuino amore in census sacrilegos & periuros illos Ananiam & Sapphiram, qui fraude ac dolo malo vsi erant, perpetuæ damnationi, sempiternisque supplicijs, & subitæ morti continuò addixit. Simonem Magum diuina Spiritussancti charismata pretio comparare meditantem acerbissimè reprehendit, & Romæ inani specie & fucato artificio dæmonis auxilio nixum populos à vera Christi fide abducentem sublimem iam in aere (dæmonis arte elatum) sermonis & precum vi præcipitem egit. Paulus autem populos sibi commissos & mouere & increpare nunquam destitit; nonnunquam etiam diuino instinctu non leuissimas pœnas, à sceleratis hominibus reposcebat; id quod indicat is, quẽ ob graue, atque atrox nescio quod facinus anathematis ictu iugulauit. Cæteræ virtutes exponendæ iuxta ea quæ monuimus tractatu secũdo, à cap. quarto, vsque ad vndecimum.

Vltimus locus.

QVID Porro diuinius dici aut excogitari potest, quã extremum vitæ spiritum pro Christi religionẽ in supplicijs atque tormentis effundere; per peti iniurias præclarum est; vincula, & verbera, singulare, & illustre; propè diuinum occumbere? Quid dicam in crucem tolli? Aut securi percuti? hi videlicèt sunt qui lauerunt stolas suas in sanguine agni; hi purpura induti, martyrij corona ornati Christum sequuntur; hi quasi mundi panes effecti in cœlesti illo conuiuio ante Deum optimum maximum apponuntur; hi quoniam publicè Christi fidem sine vllo timore professi sunt, diuinum Christi virtutis, ac probitatis suæ testimonium collegerunt. Hi verò reliquisse omnia dicuntur, qui non honores, non diuitias, non voluptates, vt pauci, sed seipsos, atque adeò vitam propriam, vt paucissimi, vltrò ac sponte reliquerunt. Hæc vrgebis ex tractatu secundo, cap. 12. de oratione funebri.

Peroratio.

QVAM obrem si horum obtinere premia, horum consequi gloriam & fœlicitatem optamus, quin expergiscimur tandem aliquando? Quin hanc nostram socordiam & negligentiam excitamus; quin eorum & vitam exprimimus, & præclara facta imitamur? Ergo multa in hanc sententiam per adhortationem & dictorum enu-

enumerationem afferentur; atque ita tota oratio claudetur.

Aliud Apostolorum Petri & Pauli Argumentum.

PRincipium duces à communi omnium populorum lætitia.

Ingredieris in disputationem de dignitate ordinis Apostolorum; quam tractabis comparatione amplissimarum personarum, Patriarcharum, Prophetarum, Pontificum, Regum, tunc concludes Petrum & Paulum non modò Apostolos, sed Principes etiam esse Apostolorum, in quo imitaberis, si voles, primam orationem post reditum ad Quirites.

Aut si mauis ita, nullus vnquam post homines natos hominum ordo fuit, neque dignitate muneris, neque amplitudine potestatis, neque vitæ sanctitate, nec ornamentorum magnitudine cum Apostolis comparandis. Amplifica singula per comparationem, & concludes, quibus igitur laudibus efferemus, qui fœcunditate Patriarchas, vaticinatione Prophetas, auctoritate Pontifices, potestate Reges ipsos longe multumque superarunt? Tum occupabis imitatione orationis post reditum ad Quirites.

Secundò, fiat comparatio Principum Apostolorum cum reliquis Apostolis. Duo fuerũt ordines Apostolorum, vnus à Christo adhuc mortali, alter ab immortali institutus; illius Petrus, huius Paulus facile Princeps est habitus. Ac cæteri quidem Apostoli alij alias nationes Christo adiunxerunt, Petrus & Paulus Romanam vrbẽ, domicilium Imperij, sedem superstitionum, arcem orbis terrarum imperpetuum occuparunt. Hinc ad imitationem progredieris 4. Catil. hos binos Apostolos antepones per reticentiam in miraculis, &c. Imitaberis reticentiam illam pro lege Manilia, *Socijs vestris ego*, &c.

Tertiò, ad inauditam horum summorum hominum amicitiã explicandam dilaberis. Dices nihil tàm iucundum, nihil tàm amabile videri solere, quàm par amicorum. Declaretur fabula Pacuuij. Nullum autem par amicorum vnquam post hominũ memoriam extitisse, quod cum his possit, aut morum similitudine, aut voluntatum coniunctione, aut laudum gloria, aut rerum societate conferri.

Tandem de mortis coniunctione, sepulchri, gloriæ dicendum est per consueta capita tractatus de exornatione.

De Diui Bartholomæi laudibus.

Exordium.

EXordieris ab illo Christianorum instituto, qui eorum quos præcipuo honore prose- quis

qui volunt, non eius quidem diei, quo in hanc lucem venerunt, memoriam faciunt, sed eius tantum, quo ex hac vita discessere. Cuius rei ratio illa est, quia cùm nihil in orbe terrarum sit, quod bono viro voluptatem afferre posit, plurima autem, quæ multos dolores ac molestias, lugendum est potius, cùm in hunc terrarum orbem venimus: ij verò qui bene, & sancte hoc exiguo vitæ spatio confecto discedunt, non dolore & lacrymis, sed præcipua quadam gratulatione prosequendi sunt.

Quod etiam barbari quidem populi cognouerunt, qui liberorum, & affinium suorum natalem diem multis lacrymis & mærore, mortem autem maxima quadam & insolita animi iucunditate celebrabant. Quòd si barbari illi populi non nihil de animorum immortalitate percepissent, præsentia tamen malorum permoti, non solùm æquo, verùm etiam libentissimo animo, mortem quam æternam foreputabant, excipiebāt, quid nos tandem facere æquum est? Hæc igitur fuit consuetudinis huiusce ratio, vt natalem vniuscuiusque diem putarent, non quo in hanc vitam venissent, sed quo ex tot curis & laboribus, ad requiem, & beatitudinem illam euolassent. Quo fit, vt immenso quoddam gaudio diem hunc Diui Bartholomæi memoriæ dicatum celebrare debeamus.

Propositio.

TRia igitur te tractaturū dices: primum de eximia eius dignitate; tum de mortis causa; deniq; de supplicij genere.

Loci primæ partis.

AC Primum quod ad maximam eius dignitatem attinet, nomen ipsum indicare Apostoli, quod amplissimo illo ordini à Christo est impositū; quod nomen nihil aliud significat nisi missum. Videndum est ergo primum à quo missus: deinde quò missus fuerit; demum qua de causa. Non enim parum refert, à quo aliquis missus sit, cuius sit iudicio delectus, cuius auctoritate comprobatus, cuius sententia ad tantum munus aptissimus iudicatus. Huius dignitatis cum cæteris fiet comparatio ex tractatu 1. capit. 10.

Atqui Deus illum elegit; missus est autem primum in totum terrarum orbem, missus est ad vniuersum mortale genus. Deinde cùm Prouinciarū sortitio facta esset alijs quidem alias, ipsi autem à Iudæa remotissimam ac distractissimam regionem obtigisse. Causa autē, qua ille tàm longam, tàm difficilem peregrinationem suscepit,

pit, honestissima sanè, ac praeclarissima fuit. Peruagantur alij maria, & terras mercaturæ gratia, vt se suosque locupletent; alij visendi studio, alij denique imperij propagādi gratia. Hūc autem non auaritia impulit, nō permouit ambitio, non quædam curiositas, sed vna illa causa, vt homines à vera virtutum via aberrantes reuocaret, doceret, instrueret, qua quidem re, nihil est nobilius, nihil diuinius.

Secundò, duabus rebus potest dignitas dignitatem superare; honore, & potestate; tantus autem honor, tanta potestas ei concessa est, quanta mortali vlli concedi potest. Nam quod ad honorem attinet, nō est honor is verus censendus, qui à plebe aut ab aliquo populo alicui defertur. Hic enim primum leuis est, & exiguus. Deinde qui facile mutari possit, ad extremum indignis sæpe defertur; quare verum virtutis iudicium esse nō potest. Qui verò à Deo defertur. Verus est honor.

Potestas autem Diuo Bartholomæo à Deo collata maxima, & amplissima fuit; Deus enim qui omnia potest, illum quoq; omnia posse voluit, itaque terra, maria, aer, ei adnutum adseruiebat, & in ipsum etiam cęlū potestatem habebat.

Loci secundæ partis. Causa vero mortis non scelus aliquod, non aliqua turpitudo fuit, sed certo cum capitis sui periculo, quod Christi religionem propagasset; cùm enim post Domini in cœlum reditum Bartholomæus in barbaram regionē aduenisset, ad eius aduentum præcipuum eius gentis idolum cōcidit, & oraculū obmutuit, quæ causa fuit, cur ad Regis aures eius fama peruenerit. Polemō Rex filiam quam habebat, iamdiu à dæmone vexatam, ad illū misit, quam ille statim ab illa vexatione liberauit.

Amplificatio de sanctorum omnium potestate, etiam in ipsos hostes, fiat iuxta ea quæ tractatu 7. disseruimus. Tum Polemon ad eum præmij loco, iumenta multa gemmis vestibusque onusta misit. Quæ omnia Apostolus magno animo contempsit, eumque vltro adiens tanta vi dicendi, tanto animi ardore de rebus diuinis verba fecit, vt eum vna cū vxore, duobus liberis, & familia tota, ac denique populo vniuerso ad Christianam religionem conuerterit, & omnes salutari aqua baptizarit. Amplificabis hîc illius animi magnitudinem, qui humana omnia contemnens, non aurum, non argentum, non alia denique huiusmodi quæ homines vsque adeô æstimare solent magnifecerit, sed illud vnum curat, vt Regem ad veram religionem perduceret.

Loci tertiæ partis. Narrabis deinde, vt Astiages frater natu maior indigne hoc ferens, & à sacerdotibus suis stimulatus comprehendi illum iusserit, & ad se deduxerit.

Describes hic Apostoli ad Astiagē euntis animū & constantiā loquentis, describes etiā per Hypothiposim iratū Tyrannū, vt se nihil proficere animaduertit, qui nullo vulgari supplicio contentus, sed in auditum aliquod nouū pœnarū, & cruciatuū genus excogitat. Aduocatis statim carnificibus iussit eum crudelissime expoliari, nudumque alligari ad arborem; & cultris paulatim totam cutim discindi, pellēque omnem à toto corpore detrahi.

Describes etiam hic corporis deformitatem, cui nulla iā forma, nullus decor inerat, neque iam vlla tunc humani corporis figura atque disruptis omnibus venis riui sanguinis profluebant, & cruor vndiq; copiose in terram manabat, cū que hoc supplicij genere diu fuisset excruciatus, ad extremum caput ei abscissum est. Absoluta narratione adhibebis exclamationem, in qua amplificabis & tyranni crudelitatem, & martyris inuictam illam animi constantiam & magnitudinem.

Crudelitatem autem tyranni exagitabis apostrophe ad ipsum, cui videlicet parum videbitur non illum hominem lucis huius vsura priuari, nisi etiam eum tantis cruciatibus afficeret, quos omnes in humanum corpus cadere posse, vix credibile sit, qui adeo se hominem oblitus erat, vt hominis sanguinem haurire, homini vitam eripere vellet; at cui homini? à quo tanta acceperat beneficia. Commendabis deinde Martyris constantiam, qui in tot doloribus stabat immobilis, & inter tot cruciatus nullū vnquā gemitū, nullū nisi cū dignitate & honestate verbū protulit, & immotis oculis, ipse suūspectauit suppliciū, & quē aliena mala cōmouissent, in suis cruciatibus triūphabat, & animo intrepido perfluētē ex omnibus membris sanguinem aspiciebat.

Augebis hic Romani illius Imperatoris crudelissimi sæuitiam, qui quos diris supplicijs mactare vellet, non quidem vno ictu occidi (nam ei quidem id leue videbatur) sed minutissimis ictibus excarnificari iubebat, vt quemadmodum ipse dicebat, mori se sentiret. Comparabis enim D. Bartholomæi supplicium cum aliorum martyrum supplicijs, in quo dices intelligere te quidem, quàm difficeli & scopuloso loco verseris, quoniam

etiam omnis sanctorum hominum comparatio odiosa esse solet, te tamen nunc, non de vniuscuiusque sanctitate & virtute, sed de supplicij genere disputare: aperte tedicere, nullum fere esse mortis genus, etiam insignium illorum Martyrum, quod non solum huic præferri, verum etiam conferri posit. Et enim illa omnia quò erant magnitudine acerbiora, eò etiam necessario erant breuiora. Itaque celeritate sua magnitudinis sensum adimebant: solum igitur propemodum Bartholomei supplicium magnitudinem diuturnitati coniunxit, neque ineo acerbitas longitudinem minuit. Quid quod in alijs fere si pars vna vexabatur, aliæ certe dolore vacabant, in hoc nulla pars erat corporis, quæ non sentiret cruciatum. Hęc autem te ideo disputare dices, vt intelligatur, quanta in illo homine fecerit patientiæ tolerantia, charitatis virtus, non enim potest, qui intus non sit armatus, qui magnis illis virtutum præsidijs egregie instructus, ac munitus, non sit, vt tantas pugnas, tantos contentionum æstus, tanta certamina toleraret. Itaque si hæc omnia ita sunt, si eos animo ac corpore dolores pertulit, quos vix percipere, nedum oratione explicare posimus, etsi doloribus, & laboribus, his toleratis suum in cœlum præmium respondet, quam gloriam, quas laudes, quam beatitudinem consequutum illum esse credimus.

Dices igitur, illum nos exemplo suo admonere aperiendum esse, nobis aditum in cœlum labore, vigilijs, sanguine, etiam si opus sit, comparandum. Itaque auditores hortaberis, vt si illos cœlestia delectant, ad quæ ille hodiernadie peruenit, sibi ipsis persuadeant, eandem etiam capessendam viam, vt quam nunc ex alienis bonis lætitiæ voluptatem percipiunt, ea tandem aliquando, ex sua beatitudine perfruantur.

De S. Stephano Protomartyre.

EXordium ducetur à vatis adhortatione, qua Deũ optimum max. in sanctis hominibus collaudare iubemur. licèt autem sanctorum virorum, qui nunc æterno æuo fruuntur, laudes maiores sint, quàm vt nostra orationis facultate explicari possent, non tamen nostro deesse debemus officio.

Propositio & confirmatio.

DIcendum est de sancti Stephani primum sapientia, deinde charitate, tum de pudicitia, postremo de cæteris singularibus beneficijs, quibus fuit diuinitus exornatus, qualia sunt esse virginem, fuisse delectum diuino instinctu ad mensæ ministerium. Tertiò, fuisse occisum eo anno quo Christus. Quartò, in ea ipsa vrbe ab eisdem dæmonum administris interfectum fuisse discipulum qui magistro vitam eripuerant. Quintò, fuisse primũ ex omnibus pro Christi confessione ac nomine trucidatũ. Reliqua quæ ad patientiam, sapientiam, charitatem demonstrandam pertinent ex actis Apostolorum petenda sunt, enarrandæ quæ sunt illarum virtutum potestates atque effecta.

Peroratio continebit dictorum enumerationem breuem; deinde cohortationem auditorum ad imitandum, venerandum, inuocandumque tã sanctum, benignum, misericordem, Deo charum, & familiarem virum.

Laudationis D. Nicolai.

PRincipium duces à difficultate, idq; ex oratione pro Cornelio Balbo imitatione expressum; verũ in tãtis difficultatibus te lætari dices, oblatũ tibi tẽpus, in quo tuũ in D. Nicolaũ studiũ aliqua oratio possit declarare. Tum propones te de D. Nicolao studiosissimo discipulorũ patrono, noua quadam ratione, sed breuiter esse dicturũ. Præcipuè autẽ eius facta eo ordine narrabis, quo omnia æquabili varietate distinguimus: *Cũ magna paruis, &c.* Vt est in partitionibus, vbi Cicero loquitur de collocatione. *Nam aut tẽporũ seruatur gradus, aut generum distributiones*, & cætera. *Aut hæc in æquabili varietate, cùm magna paruis*, &c.

Quod si mauis orationis exordiũ pro Archia imitari, modò id elegãter & sine particulari specie fiat, nõ reprehendã. Video enim causam esse cõsimilẽ: nec mihi sanè displiceat, si quã collocãdi rationem tenuit Tullius in 2. Philippicorum in Antonio vituperando, eam tu in Diuo Nicolao laudãdo cõferues, seruatis nimirũ, tẽporũ & ætatum gradibus, vbi ille: *Visne igitur te inspiciamus à puero?* Deinde reliqua huius summi Episcopi facta, vt ille Antonij vitia, ad certa virtutum genera reijcies; & tùm à minoribus ad maiora ascendas, tũ à maioribus ad minora delabaris.

Exornationis autẽ initiũ, scilicèt à paruis ducere, vt de generis splẽdore, diuitijs, educatione dicas, quib⁹ breuiter laudatis magnaquędã intexes; aut

amissis

amiſsis parentibus, diſtributionem facultatum in pauperes, ſingularem temperantiam, ſummam verecundiam, incredibilẽ modeſtiam ex tractatu 2. cap. 4.5.6.7.8. & ſequentibus; dein de aliqua ſimplicia facta expones, vt quòd infans reliquis diebus lac nutricis ſuggeret, quarta & ſexta feria ſemel dũtaxat, idque veſperi.

Tum, quod cùm noctu augustiſsimum, religioſiſsimumque vrbis templum frequentare ſolitus eſt, diuinitus deprehenſus eſt, & Myreæ Epiſcopus creatus. Qui locus conformari poteſt ad ſimilitudinem eius qui eſt in 2. Philipp. *At videte hominis leuitatem, obuoluto capite domum venit, ianitor, quis tu?* &c.

Tertiò, coniuncta aliqua facta proferes, quòd cùm in Palęſtinam ad loca illa ſancta viſenda trãſmitteretur ſereno cœlo, & tranquillo mari, turbulentiſsimã nautis tẽpeſtatẽ, procellamq; prædixit, quam mox exortam cũ omnes in ſummo diſcrimine verſarẽtur, precibus Deũ exorans, ſedauit. In quo facto, duo elucent permagna miracula, prædicere, & ſedare. Peregrinatio autem hæc augeri poterit ex narratione, & expreſsione locorum, quos viſit in Palæſtina, ex eo quòd veriſimile eſt, eum in ſingulis locis feciſſe. Magnam ad hanc amplificationem materiam D. Hieronymus in epitaphio S. Paulæ ſuppeditabit. Deinde tanquam obſcurum narrabis, quod quidam commemorant cùm recens natus lauaretur in labro, per ſe mirabiliter conſtitiſſe. Lege tractatum ſecundum cap. 4.

Quartò, illud autem tanquã dilucidum, quod tres puellas nubiles, quarum pudicitia ob inopiam periclitabatur, in matrimonio collocauit. Eſt hoc amplificandum per comparationem, & ſubiectionem.

Quintò, deinde illa tanquam probabilia expones, eum in omni vita, tum maximè in Epiſcopatu, frugalitatem, & vigilantiam, & pietatem mirificè coluiſſe, cæteraque generis eiuſdẽ, quæ in ſummo Epiſcopo laudantur. Tum illud tamquam prope incredibile adiungendum, quod tamen clariſsimis eſt autiquitatis monumentis teſtatum, atque conſignatum, quòd tres Tribunos per calumniam à Conſtantino Auguſto condemnatos, qui eius fama permoti, miraculorum eius longe abſentis opem implorauerunt, adhuc viuens, Imperatore per quietem, per viſum territo, liberauit. Item illud, quod eius ex ſepulchro oleum in modum fontis emanauerit.

Denique vt triſte quoddam imitari poteris præfatio. 3. lib. de orat. Commemorabis quòd

contra edictum Diocleciani & Maximiani; Christianæ religionis mysteria Myrçæ prędicaret, ab Imperatorum satellitibus comprehensus atque constrictus, lōgissimeque abductus, & in carcerem coniectus est, vbi innumerabilibus pressus ærumnis in sordibus ac squallore vsquead Constantinum Imperatorem iacuit. Ex quo loco, vbi miserationem breui commemoratione moueris, ex tractatu sexto, c. 10. lætissimum illud subijcies, quòd Constantini iussu è custodia eductus, Myræamque ad Episcopatum honorificè reuocatus est, nec ita multò post instante iam morte suspiciens in cœlum, cùm Angelorum manus sibi occurrentes cerneret, illo Psalmo pronunciato, *In te Domine speraui*, vsque ad eum locum, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, in cœli palatia, ad Deum perfruendum penetrauit; atque hic locus modicè, per hypotyposim tractandus, eique apposita aliqua, & lenis exclamatio adiungenda.

Ad extremum eum cum Diuo Ioanne Baptista comparabis, ita vt Tullius in 3. Philipp. non longè ab initio, Marcum Antonium cum Tarquinio Superbo, ex quo discipulus ad sancti viri, eiusdemque certissimi patroni studium, cohortando perorabis.

In laudem S. Gregorij.

EXordium ab eo sit, quòd Gregorij res gestæ sunt auditu iucundissimæ, tum verò vtilissimæ omnibus Christianis, vt quemadmodum ille rectè factis viam in cœlum sibi munierit, ita & nos faciamus illius imitatione.

Propositio.

PRius de rebus, quas ille gessit, dicemus; tum de prudentia, qua sibi commissam Ecclesiam gubernauit.

Confirmatio.

IN Confirmatione serua temporum gradus. Primus locus à patria natus est in illa vrbe, quæ caput fuit & est orbis terrarum. Secundò, ab educatione summa cum diligentia à religiosissimis parentibus. Tertiò, ab studijs Rhetoricæ, Mathematicæ & Theologiæ, vbi pretiosissimis scientiarum thesauris animum locupletauit. Quartò, à pietate & religione qua adhuc iuuenis in solitudinem se consulit. Quintò à doctrina & sapientia, qua lucubratissimis scriptorum monimentis Christianum nomen propagauit. Sextò, à Summi Pontificis creatione; nam magno cōsensu inuitus in amplissimo Christianæ dignitatis loco atq; in

in illa omnium terrarum arce collocatus est.

Deinde institues illius laudes in summo magistratu gerendo, primum à pendentia vbi plura sapienter facta ex illius historia depromes. Secundò, à iustitia, quam & morum suauitate, & diligentia in rebus gerendis præ se tulit. Tertiò, à liberalitate erga pauperes; domi pauperes alebat, &c. Quartò, à temperantia, qui pro nihilo duxit dignitates opulentas, opes & epulas exquisitissimas contempsit. Quintò, à fortitudine, quam declarauit in suscipiendis magnis periculis rebusque turbulentis pro seruandis Christianis. Sextò, à cõparatione. Conferes illum cum Patriarchis, Prophetis, &c. Septimò, fiat digressio contra nostrorũ temporum mores.

Epilogus de more per adhortationem.

Laudatio Sancti Francisci.

IN exordio satisfaciendũ est ijs, qui fortè admirarentur laudari sanctum virum hoc tẽpore, tanquam alieno, dicẽdũ est, semper laudari posse illos, qui nunquam rectè semel laudari possunt. Deinde si ita res habeat, si expectetur anniuersarius dies, nunquã laudabitur, quia dies ille incidit in dies quibus abscedẽte in Academias iuuenũ multitudine; vacua est Matritensis schola, atque ita vir sanctus laude, auditor voluptate, orator pietatis officio fraudaretur.

Laus ducẽda est à triplici tẽpore, antequã nasceretur, cũ vixit; post mortẽ, &cũ mortuꝰ est.

Antequam nasceretur, laudari potest Italia, vel Assisium, vt quemadmodum Italia est sol totius orbis; ita sanctus Franciscus lumen Italiæ.

A parentibus, quia domi nobiles fuerunt, quanquam has laudes repudiaret sanctus Franciscus, cui patria cœlum, Parens Deus fuit.

Potest laudari ex oraculo, ab eo quod prædictum est matri de filio antequam nasceretur.

A tempore quo vixit vtendum præteritione est. Dicas te non laudare externa bona, neq; corporis attingendo.

Mittamus diuitias, quas ipse in pauperum subsidium effudit, nobilitatem, quam contempsit, amicos, quos neglexerit, vt vnum amicum haberet Deum, in quo omnes etiam amicos amauit. Prætermittenda bona animi, vt fortitudo, iustitia, prudentia, temperantia, maiora fuisse bona in sancto Francisco: veniendum denique ad bona cœlestia gratiæ. Leuiter attingantur capita illa quæ tractatu secundo à capit. 6. vsque ad decimum numerabis.

Laudandus diuitiarum contemptus, qui cùm diuitiarum paupertatem abiecisset, paupertatis diuitias amplexus est; dicas in hoc fuisse maiorem natura hominum, qui natura diuitias expetunt; is non tantum non expetit alienas, vt haberet; verum etiam quas habebat abiecit, vt Christum aliquo modo lucraretur.

Laudandus est contemptus voluptatum, qui tantus in eo fuit, vt videretur in terris vitã imitari Angelorum, nimirum alijs voluptatibus abundabat, & veris, synceris, liquidis solidis.

Contemptus horum, quos pauci admodum homines contemnunt, quo quisque maiori splendore est & ingenio, eo maiore cupiditate, ad honores rapitur: intelligebat, quàm fluxa, quàm caduca mortalia sint, & his negligendis quantò honores diuturniores parentur.

De studio precandi. Deum enim alloquebatur, qua ex re factum est; vt omnia à Deo impetraret.

A cupiditate perferendi martyrij. Is enim ad Soldanum cõtendit. Quòd si Deus voluntatẽ spectat, Martyr fuit, imò grauius fuit non interfici pro Christo, quàm si interfectus esset: laudanda est mors ex tractatu 2. cap. 12.

Post mortem coniungenda sunt quædam, quæ viuẽs fecit. Ab ordine, imò ordinibus, neque enim vnum habuit. Sed plures, qui quãtũ stabit humanũ genus permanebunt. Commemorandi aliquot viri, qui ex ordine illius fuerũt. Compara præterea filios sancti Francisci cum filijs hominum.

Postremò vtendum est præmunitione ad maximam omnium laudum, dicendum enim est de stigmatibus, vt qui Christum animo ferebat, eundem corpore ferre videretur. Amplifica hoc factum à minore. Si Daniel honoratus in veste Regia, si Mardochæus item: quid sanctus Franciscus signifer Christi? Hæc facta, vt dum viueret, videretur esse Christus, & non solum eundem animo imitaretur, verum idem corpus haberet, quia amor coniungeret ardentissime.

Peroratio. Petenda venia à sanctissimo viro, si pauca dixit. Sunt enim plura multò quàm comprehendi animo aut cogitatione possint. Deinde adhortandi auditores, vt eximiæ sanctitatis simulacrum oculis exponant, & imitentur.

Alterũ exordium, Ab infinitis sanctissimis laudibus, & nunquam ante hoc loco auditis; promittenda est veritas, & simplicitas orationis, quia vt vir sanctus & humilis fuit: ita orationis humilitate delectatur.

Sanctæ Catherinæ Virginis & martyris laudationis Argumentum.

Exordium.

EXordium ducẽdum est à persona, quæ laudanda est, & ab officio laudationis. Laudatio enim ad imitationẽ rerum laudatarum incitare debet, in hãc fere formam. Gaudeo diuinitus effectum, vt illud mihi primum laudationis argumentum obtigerit, quod tum præclarum sit ad audiendum, tum etiam propositum ad imitandum. Addatur aliquid de persona dicentis. Hoc me male habet, nõ posse me parẽ facultatem afferre ad tantam materiam. Concludatur exordium hac consolatione, scilicet non mirum esse ab eius laude superari humanam eloquentiam, à cuius virtute superata est propè modum humana natura, danda mihi opinor venia, malle opprimi ab onere, quàm deficere.

Primus locus à natalibus, & à puerili institutione. Orta est Alexandriæ, quæ vrbs erat totius Asiæ florentissima. Cui multum ornamenti ex Virginis natalibus accessit, nobilibus parentibus fuit, vt quæ verè fœlix erat futura, huic nihil deesset beatitudinis. Instituta liberalibus omnibus disciplinis, vt mirum sit puellã excelluisse omnibus, cùm multis viris honestissimum sit in vna excellere. Poteris vti gradatione. Magnum est viro in vna disciplina excellere, maius in multis, quid vni puellæ in omnibus?

Secũdus locus à coniunctione pietatis cum scientia; neque enim à scientia inanes spiritus sumpsit, neque ita rerum scientiæ sededit, vt Dei obliuisceretur. Digressione vti poteris in eos qui dicunt difficilem esse cum pietate scientiæ coniunctionem. Discant à virgine, & pudeat in eis non audere conari, quod puella præstitit.

Tertius locus à benefactis, & studio hominum adiuuandorum, quippe cùm videret Christianos homines miris modis à Maxentio Tyranno excruciari, eorũ patrocinium suscepit, hominem adijt, & grauiter accusauit. Est hoc amplificandũ per subiectionem. Quæratur à Virgine, vnde ille tam magnus & virilis animus, cur non vereatur eum alloqui, quem vel aspicere cæteri timent? sed quid dico alloqui? Obiurgare in medijs satellitibus. Cur nõ verita, sit eum verbis reprehendere, qui pro verbis verbera retulisset. Sed hoc poterat Dei amor, qui illam confirmabat, & erudiebat. Sequitur in eodem loco interrogatio ad tyrannum. Quid nonne tu dignitatem virginis vereris? obiurgationem horres? vidistine vnquam simi-

lem

lem in virò animum, similem mentis altitudinem, quid deinde? quid putatis?

Quartus locus permotus Tyrannus? minime, sed quod sciebat eam multarum artium sciẽtia præditam, statuit per sapiẽtes, & eorum sophismata virginem à Christiana fide deducere. Itaq; quinquaginta qui doctrina maximè & ingenio valerent, accersit, & cũ puella disputationem iniri iubet; sequitur descriptio disputationis in hunc fere modum. Constituitur solemne Alexandriæ spectaculũ. Puella certamen suscipit cum quinquaginta senibus, interrogantibus respõdet, sophismata euertit. Quis non existimasset fæminam daturam manus. Exclamatio ad sanctum Spiritum. O diuine Spiritus, tuam hic ego virtutem agnosco. Contra autem cecidit, nam senes virgini cesserunt, nec diutius eius vocem atque impetum sustinuerũt, docti abeant, & ducti ad Christi gregẽ, pro quo etiam non dubitarunt mortem oppetere.

Sequitur amplificatio victoriæ, quæ ita gloriosa Virgini, vtilis victis fuit. Sequitur altera subiectio.

Quid agis Maxenti? quos sapientes accersieras, sapientiam ostenderunt suam; resipuerunt, te, vt idem facias, admonent, sequere sapientium tuorum consilium; sed his rebus non mouetur Tyrannus.

Quintus locus, vbi vidit Tyrannus primum certamen parum profecisse, alia experitur arma, adhibet blanditias, & quadam comitate, pollicitationibus scilicèt, puellam de proposito deducere conatur. Est locus amplificandus hoc modo, exere vngues leo; quid adularis? neque hac arte puella capitur.

Sextus locus, intenẽttur verbera, expediantur virgæ, condatur in tenebroso carcere; itane immanis Maxenti? Quorum hæc tanta crudelitas? Quod tandem hoc facinus. Describenda hoc loco Virginis fortitudo, atque animi excellentia, quæ in medio virgarum crepitu læto semper animo fuerit, & Deo gratias egerit. Recordabatur scilicèt Christum Dominum pro nobis verberibus affectum; hac se, hac consolatione sustentabat; neque tanta lux & virtus occultari potuit in tenebris, quippè qui Porphyrium ducem belli, & Iustinam vxorem Imperatoris ad Dei lucem conuertit, qui vitam maluerunt amittere, quàm recens susceptam fidem.

Septimus locus, quid agis crudelior fera? annon Dei virtutem agnoscis? dum Catherinã quæris, vxorem amittis, & principes viros tuos, quanquam illi

quidem, beati sunt, tu infelix, & multò miserior quàm illa, quam miserrimam esse voluisti, cùm ineam vltimum supplicium decreueris, vltimas vires exprompseris. Accipite auditores crudelitatem inauditam; & quæ nisi literis consignata esset, plus famæ esset habitura quàm fidei. Describatur rota acutis prætexta mucronibus ad Virginis corpus dilacerandum, non timet illa, offert se lætam: sed cùm ad solitum precationum auxilium confugisset, diffractum est argumentum rotæ, quo viso multi ad Deum conuersi.

Conuertatur oratio ad Virginem, laudetur constantia, fortitudo, victoria, laudetur Dei, prouidentia, qui nos nunquam destituit.

Octauus locus, atq; idem postremus est de morte; dicatur de Tyranno. Addatur, quòd cùm existimaret se non posse viuere si, Catherina viueret, eã de medio tolli, & caput amputari iubet. Describatur suppliciũ, & Virgo quę ducebatur læta, tan quã ad cõuiuiũ & nuptias proficisceretur. Exclamatio ad imitationẽ Virginis, quæ ad sponsum sanguine conspersum non sine sanguine tincta aduolauit.

Peroratio. Excitandi sunt audiẽtes ad eã colẽdã, præcipue qui sunt studiosi eloquentię, & excitentur ad eã imitandam, incõiungenda pietate cum scientia; in hominibus Christo adiungẽdis; & pro eius nomine rebus omnibus aduersis constanter perferendis.

Aliud eiusdem.

EXordiũ à tẽpore, & die ipsi sacro, cuius religio suo iure postulare videtur, vt aliquo nostrę orationis officio eius singulares laudes prosequamur, et mirabilẽ Christi potentiã in tã tenera ætate, fragilique sexu demonstratam taciti pretereamus. Et profecto martyrũ victorię sunt huiusmodi, vt in his celebrandis ac prædicandis omniũ eloquentiũ ac Doctorũ hominũ studiũ & industria debeat collocari.

Narrationis & cõfirmationis loci.

PRima laus à Virginis sapiẽtiæ, quæ Philosophorũ supercilia subiecit Christo.

Secunda à constantia animi, qua tot ac tanta tormenta superauit.

Tertia à Virginitatis candore, vitæ innocẽtia, morũ sanctitate.

Quarta quomodo educata, quibus artibus erudita, qua disciplina exculta, quibus studijs a primis annis dedita ostendatur.

Quinta sumitur ab ijsque mortem ipsius consecuta sunt honoribus, beneficijs, prærogatiuis, Angelorum exequijs.

Epilogus per enumerationẽ, & adhortationem ad huius Virginis

ginis,& Martyris cultum retinendum,patrocinium postulādum,&c.

Argumentum laudationis. Diuæ Cæciliæ.

PRincipiū à dissuasione duces, & coniunctione Diuę Cæciliæ, cū auditoribus,ita vt dicas nō semper eosdiuos laudādos esse,quorum virtuti propter eorum singularem excel lētiam passim præconia tribui solent ab omnibus, sed interdū eos etiam laudibusexornādos, qui cùm multa laudanda fecerint, minimè tamē à vulgo pro eorum meritis & dignitate laudantur; itaque cæteris Diuis omissis,quorum laudes sæpius ex hoc loco prędicatę sunt,Cæciliæ præstantissimæ Virginis laudes, quātū intererit, celebrare conaturum, quod eo libentius te facturum dices,quod huius puellæ laudem celebrem pergratam speres futurā.Deinde attentionē breuitatem pollicendo comparabis.

Primum igitur generis nobilitatem, diuitias, opes, indolē, educationem reticēdo perstringes;deinde ad eximiam eius in Christum charitatem,atque ad mirabile vitæ institutum venies. Dices eam ab ineunte ætate,ita Christi amore flagrasse, vt Euangeliorum librum, in quo Christi quasi imago expressa literis cernitur, perpetuò insinu gestaret, & virginitatem suam cœlesti Sponso voueret. Quod exaggerabis ex adiunctis, formæ præstantia, propinquorū splendore, magnitudine pecuniarum,& de cōstantia in vitæ ratione suscepta retinenda dicendum est.

Cùm enim Valeriano adolescenti pari nobilitate, inuita disponsa esset, etsi splendido vestitu coacta vteretur, sed tamen ad custodiam pudicitiæ,& cilicium aureis vestibus occultabat,& cibo potuque, quam maximè poterat abstinebat,& dùm symphoniacorum vocibus tecta personarent, clam ita Deum rogabat;*Fiat Domine cor meum,& corpus meum immaculatū*,suamque VirginitatemDeo, Angelis Diuisq; omnibus,commendabat. Atque hæc singula modicè amplificabis.Illud autē maximè,quòd prima nuptiarū nocte cum Valeriano sponso sermonem habuit,& cùmei persuasisset se in Angeli esse tutela,non modò eius libidinis æstum restingueret, verum etiā Angeli videndi cupiditatem incenderet.Quod præclarum Cęciliæ facinus per contētionem cum Lucretia,cuius castitas à Sexto.Tar. minis expugnata est,deinde cū Iudith,quæ Olophernum ex insidijs obtruncauit,comparandum sit,vt longissimè anteponatur.

Hinc ad narrationem redibis,

bis, & primum res hasce pene diuulgatas fateberis. Deinde id quod es dicturus, antequam dicas, ad attentionem renouandã augebis.

Tunc illud narrabis, Valerianum virginis hortatu ab Vrbano Pontifice Maximo baptizatum redijsse domum, & cum Cæcilia Angelum incubiculo incredibili splendore fulgentẽ inuenisse, qui coronas ex cœlestibus rosis, & lilijs textas, in manu tenens, vtrumque ad pudiciam colendam cum esset hortatus, alteram Cæciliæ capiti, alteram Valeriano dedit. Ea quæ diximus, cùm didicisset Valeriani frater incubiculum ad Cæciliam ab eodem introductus odorẽ eum, qui ex cœlestibus floribus afflabatur olfecit, sed ita vt serta ipsa non videret; itaque cum tempestas esset alienissima obstupuit. Licebit autem hanc rem, quia præter expectationem est, sustentatione exornari; deinde ita ad rẽ redibis. Ergo Tiburtius ab Vrbano Christianus initiatus sacris, Angelum Cæciliæ custodem sæpissime vid t. Hic exclamabis ad nitorem, candorem que animi amplificandum, qui cælesti aspectu dignatur à Deo.

Inde Valeriani & Tiburtij martyrio, ad Cæciliæ laudẽ breuiter exposito, ad Cæciliæ martyrium delaberis, quæ ab Almachio accersita, fortunas omnes & suas & Valeriani sponsi pauperibus cum destribuisset, dijs immolare iussa, mori se malle dixit; deinde lictoribus, quibus tradita erat incustodia, eius vicem deplorantibus ita de æternæ vitæ præmijs & diuina liberalitate disseruit, vt quadringẽtos eorum qui aderant, Christo adiũgeret. Denique ad Cæciliæ extremum actum, totamque rem dolenter expones. In suas enim ædes, præfecti iussu reducta à lictoribus in ignem conijcitur, vbi cùm diem noctemq; inmedijs flammis intacta permaneret, in eã carnifex immittitur, qui cum, ne tertio quidẽ securis ictu, caput illi potuisset abscindere, semiuiuã reliquit. Hic misericordia excitanda ex sensu Populi Romani. Itaq; cũ triduum ita vixisset, quod triduum sibi diuinitus ad domum suam Deo consecrandam, datũ, dicebat, ædibus ab Vrbano Pontifice maximo consecratis læta, atq; alacris ad Virginitatis & Martirij coronas incœli palatia penetrauit.

Hic ad illam, orationem exclamando conuertes, eiusdemque opem aduersus intemperantiam maximam adolescentiæ aduersariam edomandam implorando perorabis, dixi.

De fortitudine Martyrum.

IN exordio hæc dici poterũt, si libenter & attentè audirẽt de-

de militari fortitudine dicētes tanto nunc attentiùs accipere debere de fortitudine Martyrū, quantò fuerit illa & admirabilior omnibus & vtilior, quàm fortitudo militaris. Hæc enim conseruare vitā & fortunas, illa non solū ipsis, verū etiam nobis diligenter imitari studentibus, vitam æternam, & beatam, & cumulatam omnibus bonis peperisse.

In confirmationis initio institui poterit comparatio fortitudinis Martyrum cum fortitudine optimorum militum, ea ratione qua. M. Tullius Cæsaris clemētiam cum eius rebus bello gestis comparauit.

Primò causa conferetur, quòd fortitudo militaris, partim à disciplina, & exercitatione nascitur; Martyribus autem illa tanta constantia fuerit tributa diuinitùs.

Deinde effectus non militari fortitudine illa fieri dicemus quæ humanis opibus fieri possunt, & à Martyribus res esse gestas omnibus hominum viribus longè superiores. Id illustrabitur exemplis, tum eorum qui fuerunt fortes in bello, tū eorum qui pro religione acerbissimos cruciatus pertulerūt, supra vires aut ætatem, vt senum, virginum, & puerorum, ex historia Ecclesiastica Eusebij; tùm adiunge, quòd fortitudo militaris alios oppugnando se defendit, & perniciem pro iure depellit, vt vix fortis in bello suis prodesse possit, quin noceat multis. Martyrum autem fortitudo non oppugnando, sed perferendo vicerit, cum multis mortalibus profuerint exemplo, nemini factis obfuerint. Quid verò difficilius esse putatis, an omnia iniucunda, omnes pœnas æquo animo sustinere; an hostem repugnantem occidere? eo tantum martyrum virtus bonorum Imperatorum virtuti antecellit.

Epilogus.

CONcludetur oratio erudita cohortatione ad fortitudinem illam Martyrum plane diuinam imitandam: erit autem in oratione pro M. Marcello aptum exemplum, quod sequamur in scribendo, dabimusq; operam, vt ad eam similitudinem nostram orationem conferamus.

De hominis dignitate ex sententia illa nosce te ipsum.

NOn potest satis laudari diuinum illud monitum nobis à maioribus traditum nosce te ipsum, quo humanus animus commouetur, ne sibi in terris sedem esse paratam existimet. Constat hominem rerum omnium similitudinem continere, siquidem cum inanima-

tis

tis conuenit per essentiam, cum plantis per vegationem, cum pecudibus per sensum, cum Angelis per intelligētiā. Quid? quod ipsius Dei conditoris sui imaginem refert, qui vnus cùm sit, personis tribus distinguitur, atq; item animus quisq; vnus tribus facultatibus est præditus. Quam obrē asseruit Plato animos esse speculum quoddam, quibus diuinitatis summæ diuinior splendescat imago, & quo cum tres ipsi mundos fingere possumus, vnum intelligibilem, cælestem alterum, tertium verò infirmum, qui tres sint vnum quid ab eodem in eundem manans fontem, immo tanquam omnium Epilogus quidam à Deo in Deum tendens hanc inlucem venit; sed quo nobilior est, si suam nouerit nobilitatem, hoc sanè calamitosior si neglexerit. Quare se ipsum noscat necesse est. Rectus quidem erat cum iam pareret Deo rationique sensus: vbi à Deo ratio recessit, ipse eidem, sensus rationi cœpit aduersari. Hæc est contentio deploranda, quam inter mentē ac sensum ter maximus ille Paulus concitari asserit; sensus enim ratio affectionem bigis duabus in præceps rapit, nisi ipsis modum adhibeat ad virtutis normam; presertim autem cupiditas cohibenda, ac frænāda est, quæ secum reliquas perturbationes adducit. Quam obrem aptissime quodam figmento, sapientissimi quidam animi viri admonuerunt, quod Venus furias, excipiens tres, ipsas sibi conciliasset in Martis ædibus. Memores igitur, vnde ortum duxerimus, cursum in illā patriam dirigamus.

Pars secunda in laudem virtutū.

PLeraque tractatus secundi capita consideranda sunt: ad inuentionis materiam accurate; illa præterea quæ subiecta monebūt exēplaria.

De laude virtutum in genere.

EXordium duci potest à rei præstātia, ac magnitudine, hunc in modū. Cùm nulla oratio, vel vnius possit virtutis laudem adæquare, quænam tanta dicendi vbertas existet, quæ omniū pariter virtutū excellētiam, & dignitatē valeat, non dicendo exprimere, sed adūbrare. Quapropter nō ea pollicemur quę omnē dicendi facultatē longe superant, sed ea de re, in qua oratio nemini deesse potest, ita dicemus, vt cum multa dixerimus, nihil tamē prope attigisse videamur.

Propositio.

OMNEM verò hanc causam in tres potissimum partes distribuendam

dam censemus, vt primum de ipsarum virtutum præstantia, tùm de mutuarerum inter se cō iunctione, postremò de singulari vtilitate, breuiter ista perspicuè, dilucideq; dicamus.

Confirmationis loci.

PRimum igitur, vt virtutum singularem & admirabilem prorsus dignitatem ostēdamus, est ne in rerum natura aliquid, in quo diuinæ illius benignitatis & potentiæ maiora & certiora appareant indicia, quàm ijs in rebus, quæ sic animos nostros componunt atque conformant, vt sedatis perturbationibus, prauisque cupiditatibus extinctis, vitam in terris agamus eiusmodi, quæ cum Angelorum integritate penè conferri possit. Sunt verò virtutes, quarum ope adiuti, præsidioque confirmati, ad vitam sanctimoniamque cœlestium spirituum quàm proximè accedamus.

Quod si antiquitatem illam Christianę religionis euoluamus, & beatorum exempla respiciamus, inumerabilem profecto hominum multitudinem reperiemus; qui cùm se ad virtutum studia contulissent, morū sanctitate virtutumque cultu, nobilissima illa & præstantissima Angelorum præmia coæquarunt.

Quid verò est, quod Deo nos charos & gratos efficiat, quàm virtutum amor, & studiū? cùm in sacris literis illud singulare admiratione dignū, legamus, Deum Optimū Maximum quibusdā hominibus summa virtutē præditis tātum detulisse, vt se in rebus grauissimis ad eorum voluntatem accomodaret.

Loci secundæ partis.

PRimus, ea porro est inter se virtutum coniunctio, vt vna sine reliquis omnibus in hominum animis locum habere non possit; neque enim is iustus dicendus est, qui temperantiā aut fortitudinē negligit.

Adhæc virtutum studia hinc maior accedit commendatio, quòd vna ab altera seiungi non potest; etsi enim multum operę studijq; in ijs est collocandū, illud tamen multo, & vtilissimum & iucundissimum est, quòd omnes adeptus esse videatur, qui vnam perfectè fuerit consequutus.

Loci tertiæ partis.

PRimus, tantus est virtutum fructus, vtilitasq; vt nulla possit oratione exprimi. Cū enim illę sint, quarū beneficio summum bonum, veramque beatitudinem, vt consequamur, magna ex parte digni atque idonei efficimur, quanto in pretio & honore illa nobis esse, & quo studio,

ſtudio, quáue cura excoli, exerceri, conſeruari, augeriq; à nobis debent.

Secundus, niſi virtutes colerentur, hominum certè inter ſe ſocietas nulla exiſteret, nullus Dei cultus, nulla vigeret religio, bonæ artes, & diſciplinæ, aut nunquam eſſent inuentæ, aut neglectæ iacerent, nihil denique humanus animus dignum, in quo ſe exercere, ſuas vires oſtendere, & ex quo tantam voluptatem percipere poſſet, haberet. Nam virtutum ſtudia eam ſecum afferunt delectationem: quæ epilogus turpiſsimis corporis voluptatibus & perniciosiſsimis longè anteponitur.

In epilogo duo ſunt nobis facienda, alterum & auditorum animos oratione noſtra ad virtutum ſtudia, cultumquè accedamus, & inflãmemus, earumque exempla in medium proponamus, quæ ad permouendos animos plurimum valent. Alterum eſt, vt ad eos noſtram orationem conuertamus, qui ita in animum ſuum induxerunt, vt non pietatem colant, iuſtitiam tueantur, caſtimoniam retineant, virtutesq; denique omnes amplectantur, ſed potius vt omnem Chriſtianæ religionis pulchritudinem labefactent, antiquiſsima maiorum noſtrorum inſtituta deleãt, auctoritatem euertant, cultum denique omnem ex hominum animis euellant: hos autem tam ſceleratos homines propoſitis idoneis exemplis ad ſaniorem mentem, & meliores vitæ rationes reuocare conabimur.

In laudem caſtitatis exordium.

ETſi meæ conſuetudinis eſt initio dicendi rationẽ reddere, qua de cauſa virtutem aliquã prædicandam ſuſceperim: propterea quòd omnium honeſtarũ rerum, quibus Chriſtianorũ Reſpublica ſuſtentatur, ſatis eſt mihi, vt iuſtam rationem ſuſcipi exiſtimem, iam in caſtitatis noſtrorum temporum robore laudando, mei muneris ratio proponenda eſſe videtur, vt quæ iuſtiſsima mihi cauſa ad hanc commendandam eſſe viſa eſt, eadem vobis ad amplectendam eſſe videatur. Nam me, cùm huius virtutis ſpecies, fructus, dignitas ad hoc adhortata eſt, tum vt idem ſtudioſius facerem, contra inſtitutum maiorum noſtrorum, baccantium hæreticorum furor coegit. Non enim caſtitatem eius difficultas, non eorum qui hanc fouent inuidia, non ſuarũ libidinum faces in contemptionem apud hæreticos vocauerũt: ſed potiſsimum, vt ſummum religionis præſidium, quod nobis à maioribus eſſet, ab Eccleſia tolleretur, vt nihil religioſorum autoritas, nihil ſummarum virtutum ſplendor, nihil bonorum omnium contentio contra iſtorum peſtes valeret. Idcirco in

his euertendis, eius virtutis, qua semper Ecclesia floruit, robur tentarunt. Quare est oratoris Christiani, cùm tanta religionis auxilia euellantur, Reipublicæ opem ferre, Catholicorum faue re rationibus, fidem bonorum implorare, omnesq; errorũ vias intercludere, summam deniq; maioribus auctoritatem deferre. Quamobrem labor in hac virtu te ex istorum faucibus eruenda meus erit; studium verò eius am plectendæ mecum vobiscum cõ mune esse semper debebit: sic enim existimate, postea quàm apud vos dicere cœperim, rem nullam maiorem magis è Republica, magis prædicandam omnibus, neque à me propositam, neque hoc in loco tractatã fuisse. Quæ cùm ita sint, primum quod in re tanta fieri oportet, à Christo optimo maximo, cuius spe, & auxilio magis hæc Christianorum Respublica, & vniuer sitas, quàm hominum ratione, & consilio gubernatur, robur, & vires postulo, precorque, vt ho diernum diem ad huius virtutis prædicandam laudem illuxisse patiatur. Deinde vos, quorum pietas proximè ad maiorum religionem accedere contendit, oro, atq; obsecro, vt adhibeatis meis rationibus attentionem, in qua Reipublicę salutẽ, vel Catholicorum, contra hæreticorum furorem, diligentiam adhibeatis.

Narratio.

CVm summus artifex Deus hanc rerum vniuersitatem condidisset, eius & principem, & contemplatorem fecit hominẽ, vt tantã rerũ pulchritudinẽ admiratus, atq; ad auctorẽ cõuersus hunc sibi finẽ statueret, quò se ipsum, omniũq; rationũ suarũ ordinẽ referret. Videmus igitur primũ speciem, candoremq; cœlorũ, deinde conuersionem, celeritatẽ tantam, quantam cogitare non possumus, hinc vicissitudines dierum, & noctium, commutationesq; temporum quadripartitas ad frugũ maturitatem, & tẽperationem corporũ, eorumq; omnium moderatorem Solem, & Lunam, accretione luminis diminutioneq; quasi fastorũ designantem dies, tum sub eodem orbe in duodecim partes distributo, alias quinq; stellas, eosdẽq; cursus, licèt disparibus inter se motibus, semper ordinẽm seruã tes; nocturnamq; cœlorum for mã vndiq; sideribus ornatam, tũ globũ terræ eminentẽ mari cinctũ, orisq; duabus distinctũ, quarũ altera est, quã nos incolimus, sub axe posita ad stellas septẽ, altera est nobis abdita. Hîc autẽ admirabilẽ rerũ pulchritudinẽ, metallorũ, pisciũ, frugũ, belluarũ, hominũ diuersitatem; hominũ verò ipsorũ tantã varietatẽ, vt nec duos omnino similes sibi reperias. Deniq; artiũ, scientiarũ, virtutum pulchritudinem, quibus

bus hæc rerum vniuersitas distinguitur. Hæc igitur cùm spectamus, possumusue dubitare quin sit aliquis effector, moderatorq; tanti operis, qui hominem idcircò induxerit in hoc spectaculũ, vt suum, rerumq; omnium, quibus homo præsit, auctorem agnoscens, ipse sibi finem constituat? Hæc verò nisi à sensibus quàm longissimè animus euolare posit, sed voluptatum sordibus tanquam sus inhæreat, dignoscet nemo; quare castitas in primis amplectenda est, vt ad ea, quæ verè bona sunt, aliquando perueniamus.

A definitione.

CAstitas est, qua homo se purum Deo seruat à voluptatũ illecebris. Quæ res à M. Tullio maximè prædicatur, optimam enim, inquit ille, curã esse, quaq; in cęlestẽ domũ celeriter animus peruolare posit, etsi iã diu erit in corpore, eminebit foras, vt ea quæ extra sunt contẽplans, quã maximè se à corpore abstrahat. Quibus verbis ea virtus commẽdatur, quæ mentẽ à sensibus auocat. Adhibeatur hic similitudo Magni illius Basilij, quæ rẽ illustret: efficit enim castitas, vt mẽs quasi lãpas infra clausa supra pateat, in qua oleũ est spiritus, cui diuina lux inhæret, à qua verò sensus illi subiectus; quod si spiritus infra sensum reperiatur, lux illa restinguitur, quemadmodũ cùm oleum sub aquam impellitur, ignea lux emoritur: facit ergo castitas, vt spiritus sensum sibi subijciens diuinã in se lucẽ cõtineat. Hinc etiã vis castitatis elucescit, si cõparetur arbori, cuius truncus syluestris, rami verò fructiferi eisdẽ insiti fuerint: si enim è radicibus humores rami hauserint, omnes maximos fructus sperare posis: nullos verò, si eosdẽ truncus ebiberit. Nec ineptè declaratur hæc virtus similitudine, vel specie militaris cinguli; hoc enim primũ ex mortui animalis corio cõficitur; illa verè facit vt animus bonis cæducis tanquã èmortuus, supernis & sempiternis viuat: illud superiores corporis partes ab inferioribus distinguit, hæc à sensibus mentẽ reuocat: illud ense, quo & semet protegat, & hostẽ inuadat, continet, hæc Dei verbũ maximè percipit.

A causis efficientibus.

ETenim huius virtutis parens est Deus; nõ enim ratio sensũ adeò ferũ, & concitatũ superare posset (vt enim nobilior est, ita firmior) nisi Deus vires illi suppeditarit: quẽadmodũ nec Isaac Ismaelẽ superasset, si mater Sarra sibi non adfuisset, quæ Ismaelis potentiam coerceret.

A fine.

EVndem quoq; Deum, qui verè castus est, vt finẽ spectat: hæc enim virtus ad ipsum, qui summum bonum est, adipiscendum se comparat, & præparat.

A materia.

IAm verò circa quas res verſatur caſtitas, videndum eſt, debellat autem hoſtes immaniſsimos, hoc eſt voluptates, quarum vis eſt tanta, vt has qui edomuerit, facilè dæmonum vires, qui illis ad decipiendum vtuntur, frangere poſsit, tum diuitiarum illecebras, quæ voluptatibus opes adminiſtrant, contemnere.

Ab effectis, cum inuectiua in aduerſarios.

HVius autem tanta eſt poteſtas, vt ad innocentiæ ſtatũ homines quodãmodo reuehat: quamuis enim dum ſuperſtites ſumus in terris, efficere non poſſumus, vt cupiditates parumper non ſentiamus, efficere tamen poſſumus, vt nunquam eis conſentiamus, quod innocentiæ ſimillimũ eſt. Quid quod ad Martyrum coronam homines promouet? Eſt enim caſtitas genus quoddam Martyrij, idq; diuturnum, cùm perpetuum ſit rationis cum appetitu bellum. Quare comparatur roſæ caſtus animus, cuius candor caſtitatis nitorem, rubedo quidem Martyriũ, pallor certaminis metum declarat. Quid plura? Chriſtus enim ex matre Virgine ortus extitit; Chriſto in mundum venturo Ioannes virgo præcurſor fuit; Chriſto cum pueris, qui turpitudinis fuerunt immunes, frequẽs erat conſuetudo, Chriſtum vita defunctum nouum atq; purum ſepulchrum excepit; à Chriſto deniq; in omnem poſteritatem, rerum diuinarum adminiſtratio Apoſtolis, Sacerdotibus, alijſq; Religioſis, qui hanc virtutem etiam voto coluerunt, commiſſa eſt. Quòd ſi ea res diuorum exemplis eſt illuſtranda, magna ſuppetit copia. Eſt enim Abimelechus Sacerdos, qui panem ſactum nec Dauidi dediſſet, niſi prius ab omni mulierum congreſſu mundum agnouiſſet, eſt vates Ioel vaſtitatem à Chaldæis imminentem auertendam ieiunio, & fletu, ita indixerat, vt neutrum eſſet profuturum, niſi à caſtis fieri exiſtimaret. Eſt Elias & Eliſeus duo eiuſdem ordinis Principes, qui quòd cœlibes viuerent, ſoli veterum mortuos excitauerunt. Sed quid dicam de iјs qui poſt Chriſti aduentum floruerunt? Quid enim Beatam Mariam ſupra dignitatem Angelorum extulit? caſtitas. Quid B. Ioannem, vt baptiſmatis vnda Saluatorem aſpergeret dignum fecit? caſtitas. Quid alterum Ioannem Zebedęi filiũ apud Chriſtum tantopere commendauit, vt ab eo Matrem, theſaurum nempè maximum creditum acciperet? caſtitas. Quid Iacobum huius fratrem tanta dignitate ornauit, vt Pontificis permiſſu aditum templi Sacerdotibus tantum permiſſum ſubiret? caſti-

castitas. Sed quid ego arenā numero? Fuerunt enim multa hominū millia, qui castitatis amore, non modò diuitias, opes, voluptates contemnerent, remotissimas solitudines adirent, verum etiam grauissimis se cruciatibus conficerent, vt Euarius presbyter, qui noctes hybernas in puteis agebat; vt abbas Bernardus, qui in lacu se frequenter mergebat; vt Benedictus, qui corpus per vepres volutabat; vt Asisius Frāciscus, qui in niuibus sæpe decūbebat. Prætereo innumerabiles Martyres, nō dico Tyrannorū minas, taceo grauissima pœnarū genera, omitto innumera carnificū maledicta; non cōmemoro quanta Martyres tolerantia hæc pertulerint; tantum hominibus fuit castitatis studiū, tā tumq; impudentiæ odium. Quis igitur non detestetur hæreticorum nequitiam? O deplorandam Septētrionis plagā, cū hoc hominum genus in eam, tanquā serpens prominentibus oculis, inflatis ceruicibus, totoq; ex ore venenū afflans, ingressū! O quā dispares excepit: quę antè in ędibus, quę intēplis, quæ potissimū in pulpitis dicebantur Christianorū iura, maiorū monumenta, omnis sanctimoniæ, pietatisq; ratio: at verò his direptoribus (non enim cultoribus) personāt pulpita bacchantiū vocibus, sordescunt omnia stupris, ardēt cupiditatū faces; nunc pro tēplis porcorū stabula, pro sanctis virginibus meretrices existunt! O tantarū pestiū auctor Luthere. Tunc solus veritatē deprehēdisti! Tibi soli rerū sacrarum intelligentia est data! Te solū errare Deus non est passus! Quid hoc impudentius? Quid insanū magis? Quid omnibus supplicijs dignius? Num spectas dū te stimulis fodiā? Hæc te, si vllā partē sensus habes, mea non cruentat oratio? Sed habes quidē sensus, vt dignas meritis pœnas recipias, O audaciā incredibilē, vt te solū oracula diuina ex tot hominum millibus intellexisse putes! Attēde, attende paulisper, cogitationemq; sobrij hominis ad punctū temporis suscipe. Quid tandē videras? Quid audieras? Quid senseras, vt nouū viuendi ritū induceres? Tu ne pestis (quæ enim nomine sis dignior, ignoro) Tu, inquā, Ecclesiæ pacē perturbare? Tu maiorū institutis obstrepere es ausus, quæ aliquādo nemo violare audebat, nemo sine magna veneratione cōmendare: hæc te labefactare nō pudet? O mōstrū in vltimas vsq; terras deportandū! Sed quid in vltimas terras? imò in Regiones tartareas deturbandū, quod iā tibi optare cū euenerit non est necesse. Sed redeat oratio, vnde animo meo infixus dolor deflectere ipsam coegerat.

Sumantur deinde alij loci ad laudandum.

Epilogus per exortationem.

De corporis atque animi castitate.

EXordiũ ducetur à re, actore, atq; auditoribus. Probationis loci partim ab honesto, partim ab vtili. Ab honesto, quòd hæc virtus ita videtur hominẽ decere, vt eũ à pecudũ etiã natura distinguat. Quid enim aliud agat in homine ratio, nisi effrenatos animi motus coerceat? Impetũ expertẽ rationis reprimat? Cupiditates immoderatas tẽperet? Et libidinẽ rationi aduersantẽ edomet? Nã si appetitui obsequatur, nõ video, cur sibi hominis nomen assumat.

Hoc cũ intelligerent veteres illi mortales, ab ipsa rerũ natura edocti, pudicitiã semper maximo honore & laude prosequebãtur; cõtraq; libidinẽ, vt rẽ fœdissimã, teterrimã detestabantur. Hinc legimus apud Romanos in summo honore fuisse Vestales virgines; hinc grauissimis supplicijs vindicata stupra, adulteria, incestus; hinc perpetuas ignominiæ notas impurissimis, nequissimisq; hominibus inustas; hinc deniq; impudicorũ hominũ vitam, non solũ disertissimorũ eloquẽtia laceratã, sed etiã optimi cuiusq; iudicio, sententiaq; dãnatam.

Quid quod istiusmodi Epicuri ac Sardanapali non possunt, nõ etiã sibi ipsi hoc nomine maximè displicere, ex quo intelligitur eius vitij turpitudo?

Quod si libido tã fœda est, tã execrabilis, tã homine indigna, profectò sequitur, vt huic vitio cõtraria virtus, tẽperãtia, pudicitia, castitas sit lõgè pulcherrima, atq; dignissima, summeq; amabilis & laudabilis. Quid ita? Quia necessariò est, vt quod per se bonũ, pulcherrimũq; est, vel inuitos delectet, hac profectò vna homines ad Angelos proximè accedunt, hac vna maximè homines sunt.

Ab vtilitate autẽ argumenta ducuntur, vt libidinosa voluptas corporis vires debilitat, neruos frangit, sensus labefactat, morbos generat; sic pudicitia vegetũ, firmũ, & robustũ cõseruat, hæc, nomen, famamq; honestat; parit illa infamiã, inuidiæ offensionẽ conciliat; hæc rem familiarem tuetur, illa bona patria, fortunasq; dilapidat. Sumantur exẽpla in vtramq; partẽ, enumerentur mala, damna, calamitates, clades, strages, euersiones vrbiũ, regionũ vastationes, excidia regnorũ, interitus populorũ, intestinæ discordiæ, cruenta, & funesta bella ex intẽperantia & libidine orta, proferantur, non prçtermittatur portentosa Martini Lutheri, aliorũq; impudicissimorũ hæreticorum libido, sacrilega connubia, incestæ nuptiæ.

Fac nihil aliud mali, ab hoc vitio existere, an non grauissimũ est, quòd diuina lex violatur; & Christi cõtemnitur Imperium?

Hanc virtutem nobis omnia

sacrarum literarum volumina commendant, vita & exempla sanctorũ, qui pro castitate tuenda tot labores subierũt, atq; adeò in se ipsos sæuiebant, suaq; corpora grauissimè sæuissimeq; tractabant, & in officio continebãt.

Subiungatur æternum præmium castitati propositum, & sempiternum supplicium libidini constitutum.

De cõstãtia atq; perseuerãtia, quæ est in ratione benè considerata, firma stabilisq; permansio.

Ad huiusce rei laudes asserẽdas per multa suppetũt argumenta.

PRimò Sacrarum literarum auctoritas, ex qua sunt illa, Non qui incœpit, sed qui perseuerauerit vsq; in finẽ, saluus erit, & Nõ coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

Secundò, nihil virtus, nihil ante actæ vitæ sanctitas, nihil laborum pro iustitia perpessio, nihil periculorum susceptio prodesse homini potest, si constantia & perseuerantia desit. Id enim perinde est, quasi quis in medio cursu, vel iam metæ proximus, deficiat atq; subsistat. Hic ostenditur quanta dementia, quanta insania, & quidam quasi furor, quãta denique miseria, atq; calamitas, dolor, luctus sit, per inconstantiam & temeritatẽ collectũ, tot, tantorumq; laborum, vitæq; honestæ & innocenter actæ, fructum tam subitò effundere, ac perdere: sed digna virtutum mercede præmioq; defraudare. Subijciantur exempla eorum, qui cùm præteritam ætatem integrè sanctèq; maxima cum laude & hominum admiratione duxissent, extremum tamen vitæ tempus turpissimo exitu obierunt, & vitam cum summa ignominia atq; dedecore finierunt.

Tertiò indignissimum est hominem hac in re à mutis & inanimis superari, quæ ingenitam sibi vim sequuntur, ac retinent, legemque sibi à natura tributam continenter tuentur, id quod in cœlo, elementis, & mutis animãtibus declaratur.

Quartò, quæ ratione nobis, ac iudicio, cœlesti numine vel diuinis oraculis maximè conuenire semel intelleximus, cur non perpetuò expetimus, sequimur amplectimur, retinemus? Quæ verò nostræ vtilitati, excellentiæ, salutique contraria esse perspicimus, cur non fugimus, auersamur, detestamur?

Summa stultitia est hominem ratione præditum temeritate aut perturbationibus duci; cùm potius ita ratiocinari debet; hoc aut bonum est, aut, malum; si bonum esse constat, cur non constanter quærendum & conseruãdum? si malum, cur non perpetuò declinandum, fugiendumque sit? Peroratio per enumerationem.

In laudem fortitudinis.

EXordium à fortitudinis commendatione, nam & cùm iustitia, prudentia, tẽperãtia, honestas, officiũq; semper maximis viris & præstantissimis splẽdidissimũ visum est, quod animo magno elatoq; humanas res despiciẽte factum sit.

Hinc patet auditores Rhetorum Christianorum campus de Catharina, Lucia, Agnete, Dorothea, Cæcilia, & reliquis sacris Virginibus, quæ magno fortiq; animo corporis libidines vicerũt, mundiq; gloriã despexerũt, & vincula, & verbera, omnẽq; cruciatũ subierunt pro Christi nomine. Hinc Petrus, & Paulus, hinc Laurentius, & Sebastianus Martyr, hinc Polycarpus, Ancyramus Clemens, & Chrysostomus, &c.

Deinde propones, & dices te dicturũ de fortitudinis laudib⁹, rogabisq; auditores, vt animos intẽdant ad laudes eximiæ virtutis, quę propriæ præter cæteros sunt iuuẽtutis, & virorum Christianorum.

Cõfirmationẽ inchoabis à definitione. Fortitudo est virtus pugnans pro æquitate.

A proprio seu officio, fortitudinis est animũ supra periculi metũ agere, nihilq; nisi turpe timere, tolerare fortiter, vel aduersa vel prospera.

A partibus, fortitudo præstat magnitudinẽ animi, securitatẽ, fiduciã, constãtiã, tolerantiam.

A coniunctis seu cõtingẽtibus, nã in hac virtute inest rerũ humanarũ contẽptio, & animi altitudo, summa tranquillitas, pax, honestas, vtilitas: nã vir fortis casus aduersus sapiẽter perfert, omnes motus fortunæ mutationesq; rerũ ac tẽporũ leues & imbecilles intelligi, voluptates, libidines, & illecebras carnis spernit, seseq; totũ ad animi cultũ & honestatem confert.

Ab effectis, vera magnitudo animi duabus in rebus sita est, & in contẽnendis prosperis, & in reb⁹ arduis pro Dei nomine gerẽdis.

A causis efficiẽtib⁹, cognitio sũmi boni: amor Dei, cupiditas rerũ diuinarũ pariũt hãc nobis virtutẽ diuinã: nã animus cognitis perceptisq; rebus diuinis a corporis obsequio & indulgẽtia discedit, voluptatesq; & illecebras mũdi, sicuti labẽ quãdã dedecoris opprimit, omnẽq; turpiditudinẽ ex animo depellit suo, honestatẽq; amplectitur, & cultũ Dei, verãq; religionẽ suscipit. Hanc partẽ amplifica exẽplis maiorũ nostrorũ, qui incensi & inflãmati diuino amore hũc mundũ contẽpserunt, & res magnas & arduas pro iustitia gesserunt, ad imitationẽ Ciceronis in Paradoxis.

Quibus tandẽ gradibus id effecerint, à dictis & sentẽtijs Philosophorũ, & sapientiũ, ab exẽplis ethnicorũ, & deniq; per reditionẽ à minori ad maius dices, si illi anti-

antiqui tā fortiter ſe geſſerunt, quibus ſola naturæ ſcintilla prælucebat, id nos Chriſtiani nō preſtabimus, qui ſub Chriſti vexillis militamus, qui ſtipendiū immortalitatis ab eo expectamus, Deinde ab exēplis Virginū & Martyrū. Et deinde in reditione à pari dicas, ſi illi maiores pro ſalute communi, pro diuino cultu res magnas & præclaras geſſerunt, & mortē pro Chriſti nomine ſuſceperunt, & nos etiā qui Chriſti gratia ſumus illuſtrati, & liberati, debemus & mundū, & illius rationes, & apparatū relinquere, & gloriæ maieſtatis diuinæ inſeruire. Itē à maiori ad minus, ſi illi qui Deū in carne viderūt, qui primitias Spiritus ſancti acceperunt, tantopere elaborarunt, vt mundū calcarent, vt ſeſe totos à carnis ſocietate ſeiungerent, quāto vehementius nos omni ope niti, conariq; debemus, vt mūdū, carnem, & Epicureos fugiamus, & a capite & corpore propulſemus. Peroratione ornabis breui repetitione rerū prædictarum, & exhortatione ad tantam virtutem amplectendam.

De laudibus perſeuerantiæ.

VIdeo pleroſq; hominū, cum multos, & graues, religionis virtutiſq; cauſa, labores ſuſceperint, ſummaq; opinione, æſtudio ad immortalitatē beatitudinēq; cōtendant, ita in medio curſu, vel inertia retardatos, vel deſperatione debilitatos, vel itineris difficultate deſeſſos, vel deniq; errore aliquo implicatos deficere ac frangi, vt ſpē omnē cōceptā abijciant, fructumq; præteriti laboris amittāt, atq; profundāt. Eſt hoc profectò leuitatis, & incōſtātiæ malū, quod inter Chriſtianos his tēporibus tam longè lateq; graſſatur, vt paſsim perniciem incautis, & inertiū animis moliatur. Itaq; mei confirmandi potiuſquā veſtri adhortandi cauſa, cū veſtra ſponte, quod prudēter ſapienterq; ſemel arripuiſtis, cōſtāter teneatis, & nullius opera indigeatis, pauca pro tēporis anguſtijs de perſeuerantiæ vtilitate, ac præſtantia dicā. Vos autē hoc mihi interim dabitis, vt quāuis ea quę dicturus ſum, multo vobis ſint notiora quā mihi, tamen cùm pro veſtra facilitate, & manſuetudine, tū pro noſtri inſtituti ratione, Gymnaſijq; cōſuetudine, me, vt facitis, de pulcherrima virtute dicentem, attēdatis.

Confirmatio.

HVius virtutis vis, vtilitas, magnitudo, præſtantia, multis argumētis probari poteſt, & primum rectæ rationis eſt propriū, quæ bona & ſalutaria eſſe cognouerimus, probare, perſequi, tueri ac perpetuo, conſtanterq; retinere; qui hoc nō facit, longe à ratione recedit, & hominis officium deſerit.

Quemadmodū ſumma laus eſt in virtute eſſe cōſtantem, ſic ab ea vel latū digitū declinare, ma-

ximū

ximum dedecus, summæq; stultitiæ ac dementię est; cū videas meliora, deteriora sequi, vt est apud Poetā, & quæ semel sapiēter inchoaueris, temere relinquere.

Quis (quæso) sanū putare posset eū, qui diuinæ gratiæ fructū multorum annorum labore collectum per summam leuitatem tēporis momento profundat?

Ad hanc nos virtutem natura omnis hortatur, cuius vniuersa opera traditas & impositas à summo mundi architecto, ac sapientissimo conditore leges, ordinesq; conseruant.

Eodē faciunt verba illa diuina, non qui incœperit, sed qui perseuerauerit, hic saluus erit.

Huc spectant exempla sanctorum virorum, quos nulla vnquā vis ab incœpto potuit reuocare, aut de sententia dimouere.

Præmia constantibus & perseuerantibus in virtute proposita, & leuibus, & inconstantibus constituta supplicia, nihil ne apud nos ponderis & momenti habebunt? *De patientia.*

MVlta quidem sunt quæ in aduersis, & difficilibus rebus retinendā esse constantiā, animiq; magnitudinē docere nos possunt; sed illa præcipuè.

Primò, lex Christum cōsequi volētibus proposita, quæ est, vt vnusquisq; crucem suam tollat, quam legislatoris sententiā Doctor gentium re ipsa tota vita ac verbis declarauit, dūdixit: Oportet per multas tribulationes introire in regnū cœlorū, & quicumq; volūt pie viuere in Christo, persecutionem patientur.

Secūdò, quēadmodū inter mortales nō nisi permultos labores, corporis cōmoda, & virtutū insignia & ornamenta comparantur, sic ad cœlestia præmia aspirare minimè licet, nisi fuerit diu multumq; desudatum.

Tertiò, Turpe est militibus otio indulgere, & res difficiles & aduersas declinare, laboresq; subterfugere Imperatore laborāte: longè verò turpius, nec vllo modo ferendū, vt præclare scribit Bernardus, vt sub capite spinoso membra sint delicata. Hîc, si placet, breuiter perstringantur ea, quæ humanæ salutis assertor nostra causa in terris perpessus est, vt vel hinc intelligamus quę sint nostræ partes, quoue animo nobis ferenda sint, quæcūq; illius, vel iussu, vel permissu, nobis aduersa contingunt: cùm in sacris voluminibus sciamus, hunc esse diuinæ prouidentiæ morem, vt quos amat, corrigat atq; castiget. Affligimur enim, vt boni simus, vt probemur; sin mali, vt resipiscamus, Deoq; à quo nostra culpa alienati sumus, reconciliemur.

Quartò, qui rebus duris & aduersis franguntur, quem fructū impatientiæ ferunt? nonne quod stultissimum est, sponte miseri

fiunt, cùm nequeant æquo animo ærumnas vel internas, vel externas ferre? Quòd si omnia quæcumq; accidere possunt, animo inferiora putarent, profectò neq; ita animum desponderent, & constantiã in aduersis retinerẽt.

Quintò, quot fructus virtus hæc pariat, si cogitemus, facilè (vt opinor) eius amore accendemur. Hic breuiter enumerentur fructus patiẽtiæ. Peroratio per enumeratione cũ amplificatione.

De laudibus temperantiæ.

EXordium potest duci à tempore. Temperantiæ autẽ laus partim ab vtilitate, partim ab honestate ducetur. Loci confirmationis sunt quatuor.

Vtilitatis loci.

AFfert corpori salubritatem: sicut enim crapula & ebrietas corporis vires eneruat ac frãgit: sic virtus, parsimonia, tempercantia, frugalitas, ætatẽ, corpus, animũq; confirmat. Eadẽ virtus cupiditates ac vitia cõprimit, quemadmodum ex intemperantia multa mala nascũtur. Animũ mentemq; excitat, atq; erigit, & ad cœlestes, diuinasq; res cõtemplandas reddit idoneum, robur ad debellandos hostes præbet, præmium exhausti laboris largitur, atq; hæc tria postrema cõmoda in quotidiano sacrificio signantur, cùm à sacerdotibus pronunciatur illud: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mẽtem eleuas, virtutem largiris, & præmia.

Honestatis loci sunt septem.

PRimus, decet homines Christianos maxima tẽperãtia viuere, qui nõ ad delicias epularũ vocantur, sed potiùs ad tolerandã famẽ, sitim, cæteraq; corporis incommoda: neq; enim veneri seruire nos voluit Deus, sed vt cœlũ spectaremus, & ad hoc cogitationes omnes conferremus, creauit. Turpissimum est, frui delicijs homines seruos & gregarios milites, Christũ verè Deũ siti, vigiliaq; afflictari: ieiunauit dominus, ieiunet seruus, & sitiuit Magister, sitiat & discipulus, esuriuit Imperator, esuriat miles. Quod fecit Deus, homines nefacere pigeat. Exẽplũ enim nobis ad imitandũ proposuit: neq; verò Apostoli, Martyres, cæteriq; sancti viri aliã viã tenuerũt. Pauli siquidẽ vox illa est: *In ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, & fame, &c.* Non temerè hoc: primum enim apud Hebræos, deinde apud Christianos ab orthodoxa Ecclesia fuit institutũ, sed maximis grauissimisq; de causis communi ipsius Spiritus voce sancitum, vt publicè ieiunium populo Christiano indiceretur. Hanc nos laudabilẽ consuetudinem diuinitus institutã, à sapientissimis hominibus inductam, tot sæculorum consensu, receptã, probatã, cõfirmatã, vetustate robo-

roboratam, à sanctissimis hominibus rationem commendatam, sed & vsurpatam, contra nouos hæreticorum errores conseruemus retineamus, tueamur. Quid ego de Christianis loquor, cum memoriæ proditum sit, Ethnicos hoc frugalitatis genere fuisse plurimum delectatos? nam cũ & in Siciliam quidam venisset, mensasque Syracusanas vidisset, miratus est bis in die hominem saturum fieri. Contra istos gulæ proceres, & immanissimos gurgites, profundissimasq; voragines, Epicureos, inquam, nostrorum temporum, bene fœliciterque pugnabimus, si non eodem, quo illi armorum genere muniamur. Illi enim bene poti, epulisq; distenti, conquisitissimis cibis referti, tanquam opimi boues nos aggrediuntur. Nos contrà, illorum impetus, inedia, ieiunio, parsimonia, sobrietate, propulsare debemus: ad hoc pugnæ genus nos instans tempus hortatur, quod Ecclesia Catholica, vt commodissimum, aptissimumq; præscribit, propositis Christi, sanctorumq; virorum exemplis, & amplissimis præmijs, quod sobrijs, ac temperantibus debetur.

Peroratio.

SVbijcietur enumeratio breuis, qua cõmoda huius virtutis exponamus, & simul miserias, ac ærũnas, suppliciaq; parata helluonibus & voracibus.

De ieiunio.

EXordium ducatur ab errorẽ nouorum hæreticorum, qui suæ dignitatis obliti, sic rebus terrenis inhærent, quemadmodum si in epulis, ac libidinibus, cæterisq; voluptatibus, extremum hominis bonum sit propositum, cùm à Deo Optimo Maximo præceptum sit, &c. Narrationis sentẽtia. Ratio ipsa docet, non esse nostrum animum rerũ humanarum angustijs terminatum, neq; in his quæ interitum sentiunt, quæq; aliquando terminãtur, posse penitus acquiescere. Quare ea à nobis expetenda videntur, quæ nostrum animum à rebus caducis ad sempiternas maximè transferunt, quo in genere princeps est temperantia, his potissimum tẽporibus Christianis commendata, de qua mihi dicendum est.

Ab vtilitate, quo loco contẽditur ieiunium afferre corporis salubritatẽ, vt enim luxus, crapula, ebrietas corpori vires adimit, ac frangit; sic temperantia victus, & sobrietas, corpus animũq; maximè confirmant. Deinde ieiunium, vt Catholica testatur Ecclesia, vitia comprimit, quod quidem in eius contrario declaratũ: è crapula enim tetra malorum colluuies nascatur, vt etiam in hominem suæ dignitatis obliuionem inducat, sensus obruat, templum Spiritus sancti popinã peccati faciat.

Deni-

Denique imaginationem vehementer deturbat, hinc labitur tanquam cæca mens in varios vitiorū æstus, quæ omnia sobrietas moderatur. Quin etiam his ponderibus cupiditatū solutos attollit ad cœlum, ex quo vires haurit maximas, quibus animus ad virtutem semper colendam confirmatur.

Tandem exhaustis vitę laboribus, præmiū quàm amplissimū consequitur.

Ab honestate decet homines & Christianos imprimis temperantiam, qui non ad epularum delicias nati sunt, sed ad voluptatū effrænatas cupiditates edomandas, variosque labores fortiter ferendos, vsque adeò vltro subeundos, vt immortalitatem, assequantur. Turpissimum est nos dedere voluptatibus, in laboribus Christum deserere. Ieiunauit Dominus, ieiunet & seruus, esurijt magister, esuriat & discipulus, quod Deus pro homine fecit, hoc pro se ipso homo facere dubitabit? Exemplum enim dedit nobis, vt quemadmodū ipse fecit, ita & nos faciamus, nec modò veteris, sed & nouæ legis, quotquot ad Angelorum apicem se exulerunt, non aliam tenuerunt viam, vt vox illa Pauli declarat, in ieiunijs multis, in frigore, in siti, & nuditate, ex quo, non verbis modo ad sobrietatem nos hortati sunt diui, sed magis exemplo.

Ab instituto Ecclesiæ, neque temere hoc primum penes Hebræos, deinde apud Christianos institutum est, & Spiritus sancti instinctu sancitū, vt quotannis publicè ieiunium institueretur. Hoc potissimum tempore ieiunandum ob hęreticos, hoc enim ieiunio immanissimas belluas superamus. Illi enim benè poti, epulisque distenti, libidinibusq; referti, tanquam opimi boues nos aggrediuntur: illorum igitur impetus parsimonia, ieiunio, inedia propulsemus, ad quod pugnę genus nos Ecclesia cohortatur.

Epilogus ergo laudabilem cōsuetudinem diuinitus institutā, à sanctissimis viris indictā, tot sæculorum consensu receptam, tot sapientissimorum virorum exemplo confirmatam, hoc potissimum tempore, ob recentes hæreticorum errores contra nobilissimos Orthodoxæ religionis transfugas, contra denique potentissimos Catholicæ religionis desertores, ac proditores conseruemus, atque tueamur.

De laudibus ieiunij.

PRimò ieiunium ab his locis commodè accomodari, ac sua deripotest, à salubritate corporis. Secundò ab animi multiplici fructu. Tertiò à corporis cōmoditate. Quartò à veteri instituto Iudæorum, vt Moysis. Quintò ab institutione Christi & exemplo.

plo. Sextò à perpetua Ecclesiæ consuetudine. Septimò à sanctorum Patrum religione; & cōmēdatione, & exemplo, &c. Peroratio fiat per enumerationem.

De temperantia.

AD commendationem verò temperantiæ hæc faciunt. Primò ea hominem liberum facit, à pecudibus separat, in quibus est quidem naturalis appetitus, & cupiditatis seruitus, quæ huic hominis libertati aduersatur.

Secundò, hoc maximè Christiani, hoc est, filij Dei, à cæteris gentibus, id est dæmonis mancipijs, quorum Deus venter est, differunt.

Tertiò, hæc vna virtus est, quæ nos Deo conciliat. Quartò est quasi quoddam frenum, quo corpus spiritu regitur, & sine quo appetitū ratio coercere non potest. Quintò, domesticum hostē cædit grauiter. Sextò, corpus confirmat, integrumquè conseruat. Temperantiæ beneficio reliquæ virtutes commendantur, imò verò virtutes sunt, & nominantur.

Temperantiæ partes tres numerentur, continentia, clementia, & modestia.

PRima videtur animum regere, quoad boni appetitum: altera quoad alieni mali desideriū. Tertia, quoad externa hominū iudicia & argumenta.

De continentia.

COntinentia duas partes habere videtur, quarum altera voluptatum, altera diuitiarum appetitum & cupiditatem coercet.

Voluptatum porro cupiditatem, duodecim & nobis dissuadent.

PRimus locus, vbi nūc sumus, ærumnis, calamitatibus, miserijsquè tam multis obnoxij, vbi eò magis nobis flendum, dolendum atq; lugendum esset, quò minus flemus, dolemus, lugemus, quippecum, quem exitum in hoc exilio vita nostra sit habitura, ignoremus. Et sane hominem è Paradiso Deus eiecit, non vt voluptates conquireret, sed vt assiduis se laboribus exerceret.

Secundò tempus hoc pœnitētiæ (inquam) non deliciarū est. Tertiò exemplum Christi & sanctorum, vt Paulus, qui in fame & siti, in frigore, & ieiunijs, idē nobis apprime persuadent.

Quartò eorum exēpla, quibus voluptas nocuit, vt Salomō, &c. Quintò periculū in quærēdis voluptatibus, & sumptus deliciarū. Sextò, labor in cōparando. Septimò breuitas voluptatum. Octauo, indignitas, quia in his nihil est magnificū, nihil quod naturam nostram Deo proximam doceat. Nonò egestas fratrum nostrorum, & filiorum Dei: neque

enimconuenit Christianum delicias quærere, cùm sciat Christũ in tot membris suis, etiam necessarijs carere.

Decimò voluptatũ amaritudo, separant enim, & alienant animũ à Deo: quare etiã voluptas acerbior est quã ipsa mors corporis.

Vndecimò, voluptatũ vanitas, siquidem percepta voluptas famem, non satietatem affert, & animus delectationis auidus, vbi à veritate discessit, satiari non potest.

Earum damna & incommoda, quæ sunt vndecim.

PRimò, quòd voluptas ferè alicuius morbi, sæpeq; etiã mortis causa extitit. Secundò, hominem in seruitutem redigit. Tertiò carnẽ spiritui, sensum rationi contumacem reddit. Quartò iter nobis ad salutẽ intercludit. Quintò obliuionẽ inducit. Sextò à sapientia mentẽ retardat. Septimò ne vllum virtutis opus, aut studiosam & honestam actionẽ edamus, nos impedit. Octauò, loquacitatis est procreatrix. Nonò hominem inhumanum & immisericordem efficit, vt alienæ penuriæ atque egestatis penitus obliuiscatur, vt de epulone euangelico scribitur. Decimò cœlestibus illis, & sempiternis delicijs mortuos, viuentes autem honestis animi voluptatibus & spiritus consolatione nos priuat. Vndecimò, Hæc voluptas in æternam pœnam, suppliciumq; commutatur.

De laudibus Christianę pœnitentiæ.

PRopositio instituetur in hãc sentẽtiã: cũ omnibus hominibus insita sit summi boni, & beatitudinis, fœlicitatis cupiditas: & cũ nemo sit à peccato & culpa vacuus, nisi hanc per pœnitẽtiã expiauerit, summũ illud bonum, quod tãtopere expetitur, nũquã sine illa consequetur. Veritas enim loquitur, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*; si cui ergo curę est sui ipsius salus, animi morbos hac pœnitentiæ medicina curare studeat. Necesse est enim, vt quod nostra iniquitas ingrati animi vitio cõtraxit, pœnitentia deleat.

Primum enim id æquitas & iustitia postulat, vt Dei offensioni satisfaciamus, deinde id nobis Christus edixit. Digressio in hæreticos & Lutheranos, qui cũ Deum grauiter semper offendant, placare pœnitentia recusant.

Tertio loco idem Apostoli, idem Martyres, idem optimi quiq; orthodoxa Ecclesia & Christiana Respublica, non solum verbo, sed rebus etiam gestis docuerunt; neque ad alia nos vitæ studia: toto vitæ tempore inuitat Ecclesia, cùm omnes ritus, sacræ supplicationes, cæremoniæ ab ea institutæ eò referantur.

Hic

Hic, si velis, ante epilogum tractabis communes pœnitentiæ locos ex tractatu primo de inuentione. Explorata definitione, causa, contrarijs, antecedentibus, & similibus. Institues comparationem ex cap. decimo, vt videas cuius virtutis indigentia sit maior.

Præterea quæ tractatu secundo cap. 5. dicta sunt, circa virtutem istam aduocentur.

De nitore cordis.

ANimi candor & innocentia, vitæ integritas, & mens nullius sceleris sibi conscia, morum probitas, & tranquillitas conscientiæ propia sunt hominis Christiani, quæ quanto studio quærenda sint, & quanto opere nobis necessaria, & vt sine quibus beati, fœlicesque esse non possumus, expetenda, & quàm verè, & quàm sola demum hæc sint bona contrà atque imperitum vulgus existimat, quanta potero, maxima breuitate demonstrabo.

Res quanta sit videtis, vt mihi necesse non sit attentionem vestram pluribus verbis exponere, reliquum est, vt meas partes exequar. Dicam igitur imprimis hanc animi integritatem nobis esse propositam, ad quam persequendam multa nos adhortantur, inuitant, impellunt.

Christianæ religionis, quã profitemur, excellentia, per quam singulari & diuino Christi beneficio ab omni labe peccati mundati, & pristinæ innocentiæ restituti, vt rectè, piè & sanctè viuamus.

Deinde animus noster sedes Dei est, templumque spiritus sancti: itaque huiusmodi habitator & hospes domum se dignam desiderat, splẽdido nimirũ apparatu instructam & exornatam, eius enim illa vox est, *Domum tuã decet sanctitudo* & profecto hac vna re distamus à cæteris gentibus, quibus verus Deus ignotus est, quòd vitæ sanctitate, animique integritate pollemus, nec in templis tantum, & rebus externis, quę sub sensum cadunt, vt illæ dæmones colentes, & saxis supplicantes faciunt, sed etiam multoque magis in animo Deum colere, venerari, ac gestare nos profitemur.

Quid aliud, obsecro, sonant, vtriusq; Testamenti volumina? Quid Prophetæ hortãtur? Quid Sanctissima Dei genitrix? Quid cæteri Apostoli docebant? Quid Martyres testãtur? Quid Doctores declarant? Quid cæteri Confessores loquuntur? Quid Virgines ostendunt? Quid denique Sanctissimi quique, & Christiani nominis obseruãtissimi clamãt? Nisi hanc vnam esse ad cœlum viam, alioqui quid causæ fuisset, cur tot labores susciperent? tot difficultates subirent? tot se periculis exponerent? tot tormen

tis obijceret?Tot pœnas, suppliciaq;perferrent.

Vt enim prætermittam commoda, quæ in hac vita contingunt atq;existunt,ab hac animi, de qua loquimur, simplicitate atq; munditia; nonne summum hominis bonum,quod Deus est, in hac virtute situm est?nã quid, aitChristus,beati mundo corde, quoniam ipsi,&c.Id quod olim Regius Vates non obscurè prædixerat: *Quis ascendet in montem Domini,aut quis stabit in loco Sancto eius?innocens manibus,& mundo corde.* Quare cum tantum huic virtuti sit propositum præmium,mirum non est, eundem illum diuinum Vatem sic Deo supplicare: *Cor mundum crea in me Deus,& Spiritũ Sanctum, &c.* Declarauit nimirum Sanctissimus Psaltes, quibus verbis, & quid nos à Deo petere debeamus.Epilogus de more.

De laudibus submissionis, quæ in sacra Scriptura humilitas dicitur.

INitio orationis purgatione vtemur,nam si morum, & vitæ nostræ ratio habeatur, nullum certè de hac virtute ius nobis dicendi relinquitur, cum eam non solum non assecuti simus,sed ne leuiter quidem adũbrauerimus: sed profectò illi etiam de virtutibus dicere, earumque laudes extollere possunt, qui singulari earum amore capti, & illecti animos suos veteri vitiorum iugo eximere conantur.

Propositio.

PRopositio fere in hunc modum subijciatur, imprimis à dubitatione exordiemur, dicemusq;nos ignorare quid primũ aut postremum dicamus,nostris viribus etiã parum fidere, qui & ingenio rudes, & sermone incompti simus, cum hæc virtus licèt humilis, ornato tamen & sublimi dicendi genere sit prædicãda.Ne igitur nihil dicamus, eius imprimis dignitatem, tùm vtilitatem quàm breuissimè fieri potest,perstringemus.Postremò verò,si vos attentos habebimus,ad eius studium,quamuis satis vestra sponte currentes, incitabimus.

Loci primæ partis.

PRimus,dignitas hoc loco ostendatur,ea est, quæ omnium artifici tãtopere semper placuit, cum illis tantũ sit familiaris, qui humiles sunt. Nam super quem (inquit) requiescit Spiritus nisi super humilem & quietum? Ad hæc summus ille & clemens humani generis Redemptor eam tantopere commendauit,& dilexit, vt eius ipse solus auctor & Magister esse voluerit. Discite (inquit)à me,nõ(vt beatus Au-

gustinus dixit) mundos & cœlos fabricare, non mortuos excitare, sed quia, &c. Hic locus est egressioni, vbi eorum exempla proferuntur, qui huius virtutis præsidio supra humanam dignitatem & fastigium elati sunt.

His verò locis vtilitatem demonstrabimus.

PRimus, etsi quotidianis sceleribus, peccatisq; grauissimis Deũ lacessamus, & ob hęc pluribus ac maximis signis ostẽdat se & ciuitatibus, & Regnis exitiũ machinari, nulla tamẽ tã acerba nobis vnquã, tãq; perniciosa pœna diuinitus portenta fuit, quã non humilitas, aut certe omnino amouerit, aut magna ex parte mitigarit.

Secundus, si pacis & quietis, rationẽ habemus, si non in postremis ducimus profundissimã, atq; altissimã mentis nostræ tranquillitatẽ, ea certe aut ab humilitate petenda est, aut nulla omnino in rebus humanis extat, nisi ea sit trãquillitas, & quies appellãda, qua illi suauissimè perfruũtur, qui animos suos diuinæ voluntati subiecerunt, imò nisi humilitas tranquillitatẽ pariat, sũmãq; animi quietẽ afferat, quorsum illud spectat, *Et inuenietis requiem animabus vestris.*

Denique si hominum beneuolentiam nequaquam negligendam esse existimamus, imò verò quoad fieri potest, reconciliandam atque comparandam; est ne inter homines vllus ipsis hominibus charior, quãuis, qui se omnibus inferiorem existimat, nam etsi natura ipsa homo sit Principatus appetens; id tamen in alio non libenter videt, neq; quisquam maiore odio dignus, quàm qui cæteris anteponere se non dubitat. Eos verò & amamus & diligimus, qui se sua sponte nobis subijciunt, quodque inferocissimis atque in crudelissimis feris perspicuum est. Ferũt leonem quemdam in abditissimis Libyæ nemoribus, supplici mulierculæ, quæ herili seruitio diu afflicta fugam ceperat, vitã condonasse. Neque illud omittẽdum, quod ille à Phrygia oriundus demusca à leone intercepta commemorat, lege Plinium lib. 8. cap. 16.

In peroratione repetitis paulo altius, breuiter tamen orationis nostræ argumentis, viam breuiter ad humilitatem ostendemus, ad eam scilicet comparãdam auditorum animos excitabimus; omnia enim præsidia nobis esse, multas nos & grauissimas causas habere, cur animos subijciamus. Præter enim frequentes lapsus, impuros mores, vitæ breuitatem, infirmitatem corporis, mentis imbecillitatem, externa etiam esse damna & pericula, quæ nos ad huius virtutis studium non hortantur modò, sed impellunt. Denique,

vt rem multò ambitu circumscriptam paucis comprehendamus, proponamus quorum mores in hoc singulari certamine imitamur, atque imprimis Christi humilitatem, atque integerrimæ eius matris, quorum ille humilitatem sic docuit, vt eam semper cōstantissimè tenuerit, hæc verò illam sic habuerit, vt non minus humilitatis, quàm virginitatis nomine sit commendata. Habuit illa non quidem paucos suæ virginitatis amatores, humilitatis autem raros admodum adumbratores. Meritò igitur de se loquitur commemorans humilitatem. Quia respexit humilitatem, &c.

Laudatio sanctæ pacis.

DVcetur exordium à rei magnitudine, & dignitate, virtus enim pacis omnem honestatem alit, ornat, conseruat, res publicas constituit, vrbes parit. Homines denique in summa quiete retinet.

Loci confirmationis.

PRimus à definitione ducitur, huius virtutis dignitatem ac præsentiam ipsa descriptio declarat, est enim pax tranquilla, libertas, & multorū inter ipsos amicitia.

Secundò, ab auctore, qui primus Spiritus Sanctus extitit, qui est arctissimus quidam nexus, qui patrem & filium inter se deuincit, nosque adiungit vtrique. Hunc autem Spiritum Christus mundo impertiuit, ex quo cum sæpe alias, tum maximè excitatus à mortuis nobis pacem commendauit, illam vocem dulcissimam inculcans ac iterans, Pax vobis, & alteram, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Idque non meritò: venerat enim Christus, vt inter nos pacem sereret, qui nos Deo coniūgens ad suauissimum fœlicitatis fructū carpendum promoueret.

Tertiò, à causa efficiēti, pacis causa Deus est, à quo omnis virtus promanat, cuius rei specimē non exiguum dedit, cùm mundum hunc constituit. In quo tāta rerum varietas non alia re quā specie quadam pacis continetur. Vnde Empedocles ille omnium rerum causam amicitiam esse dixit. Quid quod Aristoteles ille omnium Philosophorum princeps ordinem (quem pacem quādam interpretor) esse rerum vniuersarum bonum asseruit? Imò quis nostrum non sentiat etiam in se ipso ægritudinem, in quam interdum incidit esse nihil aliud quàm earum rerum perturbationem, quarum temperie constat valetudo.

Quartò, ab effectis, pax efficit Dei filios, cumulat eosdē, immēsis bonorū delicijs fouet, humanā societatē alit, beneuolentiā inter ipsos nutrit: deniq; omnes virtutes, bonasque artes.

Quintò, ab adiunctis, pacis tẽpore coluntur agri, florent arua, vigent bonæ artes. Sextò, à contrarijs, comparetur pax cũ discordia, & in altera parte constituantur omnia quę ex bello oriũtur. Hæc verò cum sententijs illustribus, tũ exemplis ornentur. Postremò prosopopęia instituatur, qua inducatur pax conquerens de Christianis ijs, qui à se pacis auctorẽ repudiant, bellorum verò malorumq; omnium procreatricem discordiam sectãtur. Peroratio habeat breuem repetitionem rerum dictarũ, & hortationem ad pacem.

In laudem amicitiæ.

ORatio erit exornationis, & complectetur exordium. Propositionem, partitionẽ, confirmationem, & perorationem.

Exordiũ duces ab amicitiæ cõmendatione, hoc est, à re ipsa, quod homini nihil sit vtilius, nihil magis accommodatum, quam amicitia, & quod natura ipsa impellat ad pręclarũ amicitiæ studium. Deinde sequatur propositio, cui adiunges partitionẽ, nam amicitia duplex est, vera, syncera, & exanimo profecta, quæ est interbonos; altera ficta, quæ est improborum, & vulgi.

Confirmationem duces à locis. Primus erit definitio; nam *Amicitia est diuinarum humanarumq; rerum, cum beneuolentia, & charitate summa consensio.*

A coniugatis, nihil pulchrius amicitia, quæ amicos parit, amicè viuere docet, amicis & pacatis rebus, vt vtamur, efficit.

A proprio, proprium amicitię est monere, & moneri.

Ab efficiente causa, amicitiæ verę causa à Deo profecta, amor est, quẽ virtus gignit, & retinet. Ab effectibus, & virtutibus amicitiæ, amicitia conseruat societatem humanam, beneuolentiam alit, secundas res ornat, & aduersas efficit leuiores.

Ab adiunctis, & similibus, amicitiam consequuntur beneuolentia, fauor, candor, synceritas, opes, amicorum gaudium, cura de amicis tuẽdis, obsequiũ, honestum, beneficientia. A repugnantibus, amicitiæ repugnat inimicitia, maleuolentia, odium, assentatio, pestis amicitiæ maxima simulatio. Hanc partem per contentionem amplificato, quod amicitia sit genere cœlestis Dei summi filia, Angelorum soror, cœlestium vniuersorum cognata. At discordia genere tartarea, antiqui serpentis filia, furiarum soror, omnium infernorum cognata, illa vitæ beatæ artifex, amicorum magistra, communitatis societatisq; parens: hæc mortis æternæ dux, scelerũ & impietatis inuentrix.

A testimonijs, Aristoteles amicitiam vocat virtutem, aut cum virtute copulatam.

Empedocles dicebat res omnes
& mundum ex amicitia cõſtare.
Ennius inquit, Amicus certus in
incertare cognoſcitur. Amicorũ
communia ſunt omnia. Vbi ami
cus ibi opes, aliaque plurima, de
quibus vide Chiliadas, & eos qui
locis cõmunibus ex auctoribus
plura tribuunt teſtimonijs onuſ
ta.

Ab exemplis, & imprimis à
Chriſto optimo maximo, qui è
cœlis in terras charitatem deuo-
cauit, vt humano generi opem
ferret.

Peroratio continebit breuem
antedictorum repetitionem, &
exhortationem ad præclariſsi-
mum huius virtutis ſtudium.

De neceſsitate, vtilitate, & poteſta te orationis.

NEceſsitas probari poteſt his
modis. Primus, cõditio vitæ
noſtræ, exilis ea eſt, vt in tot tã
tiſq; periculis & ærumnis citra di
uinã opẽ ſubſiſtere nequeamus;
hanc autem diuinam opem per
orationem conſequi poſſumus.

Secundò, niſi maximè neceſ-
ſaria eſſet oratio, non eam tanto
pere nobis Chriſtus & Apoſto-
li commendaſſent. Hęc de neceſ
ſitate.

Vtilitas autem in multis appa-
ret. Primò nos proximè cum
Deo coniungit, vera & ſolida bo
na, hoc eſt virtutes nobis parat,
conciliat.

Secundò, diuina munera, &
beneficiá præſidiaque ad vitam,
ſalutemq; tuendam nobis perne-
ceſſaria impetrat.

Vis autem & poteſtas ex mul
tis colligitur, nam cacodæmo-
nes fugat, morbos pellit, mor-
tuos ad vitam reuocat, famem,
peſtilentiam, bellum auertit, tẽ
peſtates ſedat, ipſorum elemen-
torum cæterarumq; rerum natu-
ram immutat, Deum vincit poſ-
tremò, ac flectit. Hæc cũ ita ſint,
mirandum non eſt, ſi oratio tam
familiaris fuit Sanctiſsimis ho-
minibus, ſi tam ſæpe ſcriptores
ſacri ad eius ſtudium nos adhor-
tantur, ſi idemque eius vſus plu
rimus ac perpetuus in orthodo
xà Eccleſia conſeruatur, quem
tamen hoſtis humani generis, cũ
eius vim continenter in Sanctis
experiatur, & ſuis perditiſsimis
conatibus cõſilijſq; officere ſen-
tiat, his potiſsimum temporibus
per homines ſacrilegos, viliſsi-
mosq; Catholicæ Religionis de-
ſertores, cæteriſq; Satanæ ſatel
litibus, funditus tollere, & abo-
lere contendit; quomagis nos
decet aduigilare, ne hoc formi-
doloſiſsimum orationis telum
de manibus noſtris antiquus hoſ
tis extorqueat, atque ita iner-
mes adoriatur, & opprimat, &c.

De ſubleuanda pauperum egeſtate.

PAuperes, egenos, calamito-
ſos, inedia laborantes, quan-
quam ope poſſumus iuuare,
ſubleuare & recreare debemus.

Id verò multis argumentis probatur. Primum ad hoc officium, nos adhortemur, vt nimirum operam mutuo præstemus: & quẽadmodũ cætera omnia, quæ gignuntur, hominum causa creata sunt; sic homines ipsos hominum causa procreatos esse, veteres etiam Philosophi censuerũt, vt non solum sibi viuant, sed etiam alijs artis suæ partem tribuant, id quod veteres humanæ sapientiæ professores & cognouerunt, & locis consignarunt.

Secundò, vulgare etiam scitũ est illud documentum, Quod tibi fieri velis, alteri facias.

Deus tamen, cùm sit non modò iustus, verùm etiam ipse iustitia omnibus omnia creauit. Cur igitur ea, quæ communia omnibus fecit, tibi soli vendicas? Quod si tibi data sunt, ne id factum existimes, vt tu solus vtaris, sed cæteris quoq; impertias, vt te inquam, non dominum, sed dispensatorem cognoscant.

Summæ indignitatis est eos destituere, tuoq; auxilio egentes negligere, quibus Deus beneficia, imaginem suam impressit, & tot, ac tanta in filio suo munera communicauit, & tu externa bona negabis, cui Christus suũ sanguinem, vitam, se ipsum deniq; ac regnum totum, & cœlestia illa bona largitur.

Quæ maior potest inhumanitas existere? quod certius ingratissimi animi argumentum, quàm de se tot nominibus, & rationibus optimè meritum obliuisci? Atq; cũ egenis dees, Christo dees, qui suis in membris humanitatis, & pietatis, & grati animi officium requirit, contendit, efflagitat; imò verò quod suum est, reposcit, ac repetit: ipsius enim sunt illa verba, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Si in memoriam reuocemus extremi, metuendiq; iudicij diẽ, (cuius seueritatem nemo prorsus effugiet) facilè intelligemus quantam Deus rationem habeat & eorum, qui adsunt, & qui desunt egenis, cùm peruersos digna mercede, prẽmioq; defraudet.

Peroratio de more.

De tranquillitate animi, ac mente sibi conscia recti.

PRimum argumentum ducitur ab hominis natura, & conditione, qui cùm ad virtutem se natum esse intelligat, vt pretij officium, beatitudinem tandem consequatur: quemadmodum ex rectè factis, ac studiosis actionibus ad voluptatem purissimam, & lætitiam excitatur, & quietus animo est; ita sceleribus obstrictus, vitijsq; inquinatus mæret, dolet, angitur, cruciatur sic, vt eum pudeat, pigeatq; vnde eos, qui aliquid impiè, sceleratèq; commiserint, agitari semper, & flammis furiarum ardentibus perterritos (vt poetæ fabulantur)

tur) videmus. Fieri enim non poteſt, vt qui ſibi flagitij conſcius eſt, vllo tempore conquieſcat, ſua quemq; fraus, ſuus error maximè vexat, ſuum quemq; ſcelus exagitat, amentiaq; afficit, ſuæ malæ cogitationes terrenæ ſunt improbis aſsiduæ, domeſticæq; furiæ, quæ dies, noctesq; à ſceleratis hominibus repetunt pœnas.

Ponite vobis ante oculos iſtorum hominum, quos malefactorum conſcientia torquet, miſerrimam conditionem. Nonne iam incipiunt mente Tartareæ damnationis ſentire ſupplicium? Contra verò qui ſe caſtos, puros, integroſq; conſeruant, æternæ beatitudinis initium capere?

Nihil eſt quod non ab omni periculo, metu, cura, perturbatione vacuos præſtet, niſi hæc, quā diximus innocētia: qui enim tales ſe præbuerint, tunc, ſi fractus illabatur orbis, impauidum feriunt ruinæ pericula, inquit Poeta; quare vt idem ſapienter admonuit, nil conſcire ſibi nulla palleſcere culpa.

Hoc teſtimonium conſcientiæ quicumq; poſt homines natos Deo chari extitere, contenti; hominum iudicia antepoſuerunt, & imperitæ multitudinis voces, ac rumores pro nihilo ſemper duxerunt.

Poſtremo ſi omnia ratione animoq; luſtraueris, hac vna re, ſi nulla in terris poteſt eſſe beatitudo, intelligēs vel his ſolum, qui innocentiam viui, vel coluerint, vel recuperarint amiſſam, cœleſtem, & ſempiternam felicitatem mortuis importari.

De laudibus paupertatis.

PAupertas malum non eſt; ſed bonum potius. Primum argumentum: nam bonis paucis contenta eſt, & non plura petere, aut appetere quàm neceſsitas exigat; ipſa nos bruta animantia docent, quæ tantum quærunt, quantum ſatis eſt.

Vt opulentia periculis, & inuidię obnoxia eſt, & expoſita; ſic paupertati nemo inuidet, nemo inſidiatur. Hìc demonſtretur breuiter quàm miſera ſit pecunioſorum vita; contrà quàm felix, tenuiſq; ſors, & conditio. Exempla Sanctorum Patrum afferantur, vt Hilarionis, &c.

Vt alia omittam incommoda, quibus refertiſsima eſt opulentia; vacua, & libera paupertas, nonne illa maximè ſunt animi bona, quæ ex paupertate proficiſcuntur, animi ſubmiſsio, modeſtia, ſobrietas, frugalitas, reuerentia, & cultus diuini numinis, à quibus bonis longiſsimè ferè eſſe ſolent diuitiæ.

Sed nihil horum rationes momenti habeant. Quid illud quod Chriſtus pronuntiauit, quanti eſſe putabimus? *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*? De hac enim

voluntaria paupertate loquitur, vt minus hic philosophorũ exẽpla desideretis, quorum permultas legimus opes, fortunasq; proprias, & habitas, vel abiecisse, vel reliquisse, vel certe contempsisse, & virtuti posthabuisse diuitias. Quodquidem factum, etsi veram laudem, & solidam virtutis gloriam non attingit, admonere tamen nos potest, ac debet quanti homines illi, quibus & naturæ radices perlucebant, ista fecerint, quæ passim, & certatim à Christianis, quibus sol ille iustitiæ, diuineq; sapientiæ lumen affulsit, tanquam vel sola, vel præcipua dona sint, expetuntur.

Nisi multo melior, & præstabilior hominum generi paupertas, quàm opulentia esset, Christus verus Deus, qui nec errare potest vnquam, in summa rerũ inopia, & egestate, quàm copia, & abundantia viuere noluisset; neq; discipulos pauperes delegisset, nisi alijs, vt opem relinquerent, suasisset. Proferantur aliqua insignia exempla Sanctorũ, qui cõculcatis diuitijs Christũ in maxima paupertate secuti sunt.

Postremò conferatur sors, merces, præmium opulenti & pauperis, vt illius diuitijs epulonis in Euangelio cruciatus cum Lazari Mendici felicitate.

De laudibus obedientiæ.

EXordium à re & auditoribus; quod oratio futura sit apud eos, quos cum omnium virtutũ laus & pulchritudo delectat, tùm maxime obedientiæ studiũ tenet.

Primus locus ab honestate, quid æquius & honestius quàm Dei eiusq; vicem gerentibus obtemperare, quem omnes debent amare, qui pater est, & reuereri quia Dominus, & omnipotens prædicatur: Amor igitur vacare obedientia nullo modo potest ait enim Christus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.

Secundò ab exemplis, & primò ipsius Christi, qui patri pro nobis obediens vsque ad mortẽ fuit. Secundò Angelorum. Tertiò Sanctorum virorum. Quartô brutorum animalium, vt videre est in vitis gestisque Sanctorum. Quintô rerum mutarum, vt Solis qui Iosue paruit, terræ quæ Moysi, mari quod Petro, &c.

Tertiò, Ratio ipsa docet, & postulat, vt stultus sapienti obtemperet, & inferior superiori obediat; seruus domino pareat, magistro discipulus obsequatur, homo denique Deo.

Quartò, ab vtilitate, quid vtilius quàm ei se præstare morigerum, qui nihil aliud nisi nostram rem agit, & nostræ saluti consulit? Nihil enim iubet, quod sit a nobis alienum; imò verò omnia eiusmodi, sine quibus salui esse non possumus.

Quintò, huic obedientiæ omnia

nia sunt à Deo promissa; huic datur singularis animi quies atq; libertas, serenitas mentis, tranquillitas conscientiæ; postea summa quies, beatitudo, immortalitas impertitur. Denique enumerentur mala, quibus cōtumaces ac perfidi quamdiu viuunt, premuntur, & supplicia quæ olim impijs ac superbis per inobedientiam irrogata sacræ testātur historiæ, & quæ pœna hos amentes homines apud inferos maneat, subijciatur.

Laus fortitudinis militaris.

EXordium in hanc sententiam duci poterit. Cum in fortitudinis tutela Respublicæ vniuersæ contineantur, omniumque vita, & fortunæ eius præsidijs contineatur, deberi à nobis hoc officium omnium patronę, ac cō seruatrici, vt magnitudinē eius verbis explicemus.

Hoc exordium sequetur confirmatio. Ea sumi poterit præcipuè ex his rebus, quas effecit fortitudo: enumerabimus enim mala omnia, quibus liberat ciuitates, & obsidiones, populationes agrorum, inflammationes, vastationes, euersiones, seruitutem, & alia generis eiusdem, atq; hæc bona amplificabimus dicendo; tandemq; concludamus, quo maiora illa sint, eo mirabiliorem videri eam fortitudinē, quæ tantam salutem afferat rebus vniuersis. Docebimus fortitudinem esse, qua & pericula, quamuis maxima contemnantur, & res illustres gerantur pro salute communi: vtemurq; exēplis Alexandri Magni, Scipionis, & aliorum, quibus fortitudinem tantam animi vim tribuisse dicemus, vt vitæ, incolumitatiq; suæ anteposuerint vitam ciuium suorum, & Reipublicæ vniuersę. Deinde ostendemus, quos honores, quas opes, & quam potentiam assequuti sunt, & quotidie assequantur viri fortitudine præstantes. Et hunc locum antiquitatis exemplis illustrabimus, & ad extremum ita concludemus, vt nulla alia virtute ad amplioris dignitatis gradus homines venire posse demonstremus. Sed in omnibus ijs tractandis hoc memoria tenere debemus, valere plurimum comparationes non solum minorum, sed similium, & dissimilium, & contrariorum ad amplificandum, & ornandum.

De immortalitate animi.

EXordium, miror inter mortales reperiri quosdam, qui animos hominum cum corporibus interire afferāt, qui tamen sapiētissimos se esse vindicent, quorum ego pestilentissimam sententiam, ne serpens nostrorum ciuium mentes perturbet, mihi retundendam apud vos proposui. Videbam enim quantam in nostram Rempublicam pestem

esset allatura, si hominum animis imprimeretur, nã statim omnẽ virtutũ splendorẽ tolleret, & obscuraret: hoc igitur munus, dũ à me præstatur, efficite quæso, ne vestra desideretur attentio, quanta sit voluptatũ corruptela, vel hinc maximè deprehẽdi potest, quòd cum mentis sedẽ occupauerit, eã ita prosternat, vt nec quid inter bonum malũq; distet, dignoscere posſit. Sed cũ sensus præceps rapiatur, quod q; ille probet, ipsa probet, quod neget ille, hæc quoque neget. Hoc autem imprimis Epicuro accidisse constat, qui animũ mortalẽ faciebat, ex eo quod sensus capere non posſit, cũ ille mentẽ ob voluptatis titillationẽ mancipauit, atq; subiecit. Primũ igitur hac de re nobis erit sermo.

Confirmatio.

PRobabis esse immortalẽ, primũ ex antiquis rationibus deductis, qui si excessu vitæ huius deleri hominem penitus putasſent, nunquã cæremonias curasſent, tam religiosè coluissent, tã accuratè sanxissent.

Adduces naturã ipsam quasi iudicẽ immortalitatis, quæ omnibus ingenuit atq; inseruit, vt ea maxime curent, quæ post mortem futura sunt.

Proferes poetarũ auctoritatẽ, qui animos quidem æternos cũ scirent, quales tamen essent, cũ ignorarent, infernum statuerũt, vbi formas quasdam corporeas animi sumentes eamdem quam incorporibus ducerent animam. Referes Philosophorum sententias, qui omnium Principes habeantur, vt Aristoteles, & vituperabis eorum dementiam, qui sensu omnia metiuntur. Seliges plures rationes oratorias ex ijs quas Lesſius lib. de immortalitate animi meditatus est.

Sapientiam cum pietate coniungendam propositio.

SApientiæ cũ pietate, seu religione coniunctæ vsus, ac dignitas multis rationibus & argumentis probari potest.

Primò; Doctrina pietate coniuncta cõtra Philosophos Ethnicos, cæterosq; Christianæ religionis hostes plurimum valet, vt exemplis non modò veterũ, verũ etiam recentium, ac præsentium scriptorum probari potest.

Secundò, valet contra hæreticos, contra malos, & nomine potius, quàm re Christianos.

Tertiò, totus homo debet esse perfectus: is cõstat ex anima, & corpore; præcipua pars est anima, cuius duæ facultates primariæ, voluntas, & vis intelligẽdi. Voluntas probitate, omniq; pietate perficitur: vis autem intelligendi excolitur, alitur confirmaturq; sapientia.

Quartò, res à Deo factæ sunt, vt ab hominibus cognoscantur, si origo earũ, & cognitio contẽnatur, Deo auctori fieri videtur iniu-

iniuria, quasi eius opera indigna iudicentur, quæ à nobis cognoscantur.

Quintò, indignum est, vt mendacium ab aduersarijs, & hæreticis confirmetur rationibus: veritas autem destituatur argumentorum præsidio, quo defendi possit à nobis.

Sexto, ex operum cognitione cognoscitur opifex. Vnde D. Paulus inuisibilia Dei à creatura mundi, &c.

Septimò, pulchrũ est aduersariũ suis ipsius armis vincere: ergo Catholicę veritatis hostes suis ipsorum artibus, & doctrinis superare gloriosum est.

Octauò, doctrinæ comparandæ ratio vna naturalis, altera diuina: quę possumus naturaliter consequi, ad ea nõ debemus alia via contendere; id enim esset Deum tentare, quemadmodum si quis posset à medico curari, & vellet tamen miraculo conualescere: vbi verò à natura destituimur, altera tentanda est via.

Nonò, eruditio, & doctrina rationes affert, fidem ornat, confimat illustrat, &c.

Decimò, valet ad institutionẽ Christianæ vitæ, ad consolandũ, ad castigandum, hortandum, admonendum, consilium dandum.

Decimò, autoritas Sanctorũ Patrum, qui hæc studia probant, & ad ea cæteros adhortantur.

Duodecimò, eorundẽ exẽpla, qui easdem Doctrinas, disciplinasque didicerunt.

Paupertatem diuitijs gloriosiorem esse.

STatus est qualitatis, & comparationis, cuius hæc sunt firmamenta.

Primò, nulla nec maior, nec verior cogitari potest laus, & gloria, quã Christianorum. At hi si modò Christianè velint agere, omnẽ partẽ gloriæ, non in diuitiarũ, sed in paupertatis opibus positã esse dicent, ac palàm profitebuntur.

Secundò, quis Christi Opt. Max. nostri liberatoris, ac ducis gloriã, & amplitudinẽ animo cõplecti, nedũ imitari vnquã potent? At is rerũ omniũ egentissimus calamitosis, & egentibus augustæ, & Sacrosanctæ Religionis arcana mysteria enuntiauit; tantoq; studio, & charitate est paupertatem amplexus; vt cum in acerbissimo supplicio, atq; extrema illa perpessione, ab ingratissimæ patriæ, mæstissimæ, charissimæq; parentis, ab amabilissimorum fratrum gremio abstractus grauissimè laboraret, vnius paupertatis aspectu, & comitatu calamitosissimæ necis cruciatum leuaret.

Tertiò, ea demum est solida, synceraq; gloria existimãda, quę via est, & dux ad immortalitatẽ, & gloriæ æternitatem. Verum

quis adeo est Christianarum legum ignarus, qui nesciat affluentes rerum copias ad felicitatem aditum hominibus præcludere; paupertatem verò aperire?

Quartò, quæ speciosior gloria reperiri potest, quàm ea, quæ exæquet beatitudinem: at beatitudinis quandam formam, & speciem paupertatem esse docuit Christus certissimæ gloriæ, atq; salutis auctor, & magister.

Quintò, nec verò solum Christi Iesu, eorumq; omnium, qui in eiusdem disciplinæ societate permanserunt, est hæc sententia confirmata consensu; verũ etiã grauissimis rationibus, & perillustrium virorum exemplis, factisq; comprobata.

Sextò, nam quid virtute, quæ vel sciẽtia, vel actione cernitur, maiorem gloriæ cumulum homini potest afferre? nihil quidẽ certe: Atqui paupertatis stimulis concitati, atq; inopiæ acuminibus compuncti mortales quã plurimi ad scientiarum, virtutũq; studia accesserunt.

Septimò, an non summa hæc est hominis gloria, & dignitas pacatam, & tranquillam vitam agere, otio frui, omnia infra se posita re, aduersa fortuna non frangi, nulli violẽto casui succũbere, nulla spe inani decipi, atq; debilitari; nullo deniq; rerũ omnium humanarum euentu perturbari; non fortunarum, non Magistratuum, non Imperij, nõ Regni amissionem pertimescere: sed enim tanta bona, vtrùm è fonte diuitiarum, an ex paupertatis manant domicilio?

Octauò, o egregiã laudẽ, atq; gloriam diuitiarum, quæ vel sæpè immutatur in turpissimam infamiam, vel cum splendore diuitiarum penitus extinguitur! Num aliquando famam paupertatis in aliquod dedecus conuersam esse aut legimus, aut audiuimus?

Nonò, nihil mihi videor mereri posse aliquam laudem, quod nec naturæ assensionem, nec sapientum virorum approbationem meretur. Quære ex sapientibus, quęre à natura, num potiorem esse ducant diuitum gloriã, quàm eorum, qui rerum maximarum abundantiæ egestatem anteponunt? certe negabunt.

Decimò, Malim equidem cũ Curtio Fabritio, cum Anacharside Scytha, cum Platone, Aristotele, Cicerone, Demosthene, alijsq; tenuis conditionis hominibus numerari, eamdem cũ ipsis gloriæ hęreditatem cernere, quã in Midę, Cræsi, Darij, Artaxerxis, & Alexandri immẽsas opes, atq; diuitiarum, facultatum, auri, argenti infinitam possessionẽ, hiante, immensaq; libidine, & auaritia inuolare. Exempla paupertatis præclara pete ex Valerio Maximo lib. 4. c. 4. Multa etiã trãsferri possũt ex primo, & postremo paradoxo Ciceronis.

PARS

PARS TERTIA IN VITVPERATIONEM VITIORVM.

De vitijs in genere.



N Orationis nostrę exordio causas aliquot grauiores in medium adducamus, quibus, vt ad hanc vitiorum vituperationem animum nostrum adiungeremus, & orationem nostram conuerteremus, commoti sumus. Atq; imprimis illud dici potest, quod cum ex ijs quæ de virtutũ laudibus paulo ante in eodem grauissimo hominum consensu, maxima cum attentione dicta sunt, & eiusmodi oratione maximam illos voluptatem animo percepisse, existimemus, illud non omnino ab instituto nostro alienum esse duxerimus, si de vitiorum genere, turpitudine & immanitate diceremus, quę tantam in hominum societatem perniciem ac pestem inuehunt, atq; important, quemadmodum virtutes illæ præclarissimas afferunt vtilitates.

Deinde illud etiã dici potest, nos quidem de ea re orationem habituros, quæ per se imprimis turpis, & capitalis est: ita tamen nos conaturos orationem temperare, ne vllas iustas & modestas aures offendamus. Postremò dicemus nos summam operam daturos, vt cum res tota ad hominum mores pertineat, nullũ tamen vel leui conuicio oratio nostra perstringat, sed eum modum in orando seruaturos, vt omnes ex hodierna oratione, nõ molestiam aut laborem vllum, sed summam voluptatem atq; amplissimum fructum percipiant.

Imprimis enim ad omnium vitiorum singularem perniciem demonstrandam, eam percensebimus historiam, qua communis omnium parentis lapsus turpissimus, atq; miserrimus continetur, ex quo, tanquam ex fonte quodam omnia mala, calamitates, pestes, excidia, parricidia, furta, cædes, & id genus scelera atq; flagitia in perditã atq; afflictam, & nequissimam denique posteritatem redundant. Quod si quantis se bonis, & commoditatibus, suosq; posteros spoliauerit primus ille parens, quanto se, quamque admirabili vitæ statu deiecerit, recensebimus, illud pro-

profecto intelligemus, nihil esse quod in eo lapsu magis dolendũ fuerit, quàm quod ad vitia propensiores, & multo quàm dici potest prauiores euadamus. Cæterum vt vitiorum, & scelorem omnium, quæ quidem nominari aut excogitari non possunt, grauitatem ostendamus, illud ob oculos proponatur, quod in rebus humanis est suprà quàm credi potest, tam vile, miserabile, calamitosum, vt Deus optimus Maximus deprauatis hominum moribus, perditissimisq; vitæ rationibus, vitiorum denique omnium turpitudine lacessitus, ea interdum supplicia inferat, easq; terris poenas infligat, vt non vrbes modò, aut oppida, sed prouincias, regiones, regna, Imperia denique funditus deleat. Atque hic locus erit recensendis eorum exemplis accommodatus, quos Deus optimus Maximus iustissima ira concitatus atque inflammatus vexauit, afflixit, perdidit.

Nec omitti debet, ad scelerũ vitiorumq; turpitudinem ostendendam, quod illi, qui se prauis animi cupiditatibus, & turpissimis libidinibus constringendos tradiderunt, omni denique vitio ac scelere inquinarunt; ita rationem nobilissimam, atq; præstantissimam hominis partem labefactarunt, atq; oppresserunt, vt eorum vita non hominum, sed pecudum omnino esse videatur. Hic euoluantur cæterorum scriptorum monimenta, atque eorum exempla proferantur, qui cum cognouissent Deum, quarumdam virtutum adminiculo, atque auxilio fulti, eum non sicut Deum laudauerunt, vitiorum postea caligine oppressi, sed euanuerunt, & existimantes se sapientes, stulti facti sunt.

In peroratione ad inflammandos auditorum animos, & à vitijs & sceleribus deterrendos hæc breuissimè pertractentur; neminem esse, qui si vitiorum turpitudinem cerneret, & quantam animis nostris labem afferãt, intelligat, qui vnquam nolit se suaq; omnia ab huiusmodi mõstris teterrimis, & perniciosissimis belluis esse quàm alienissima. Neque enim vestrum est, auditores, vllus qui non ita ab ineũte ætate vitam suam instituerit, vt nihil in omni vita & moribus appareat, quod animum alicuius, aut ingenium contaminet, vt omnia studia atque cogitationes ad Deum qui adsunt, referãt, vt cũctis cupiditatibus, voluptatibusque reiectis tanto cæteris hominibus præstantiores sint, quanto cæteri homines belluis digniores sunt. Aliàs enim eueniet, vt hebescat ingeniorum acies, quæ nobis diuinitus inuestigationem cõcessit, si nos sceleribus turpissimis contaminare, & voluptatibus mancipari non dubitamus. Quãdiu virtutes veteres

teres illi cõseruârũt, & vitijs ab stituerunt, tãdiu bonæ artes & disciplinæ liberales. Dei immortalis cultus, & religio, fides denique & Christianæ religionis præstantia durauerunt.

In superbos argumentum.

NIsi mihi persuaderem plus apud vos christianã legẽ Euãgelicã auctoritatis habere, quã deprauatæ naturę cõsuetudinẽ, & illorũ stultã opinionẽ, qui in densissimis errorũ tenebris caligãtes, & diuini luminis atq; cognitionis expertes, suis perturbationibus huc atq; illuc præcipites rapiũtur, superuacaneã atq; inanẽ operã mihi videret suscipere, si ea de re apud vos dicerẽ, quæ probari nisi christianis nõ possit. Sed quoniã ij estis, qui plus religioni, christianæque fidei, quã hominũ perditorũ commentis, & humanæ naturæ vitio tribuendũ putetis, nõ abs re mihi facturus videor, si paucis ostendã vobis, nunquã vos sempiterno illo æuo toties nobis promisso potituros, etsi reliqua nobis imperata faceremus, nisi illud nostri legislatoris decretũ, quod de vitanda superbia, de domandis perturbationibus proposuit, accuratè seruemus. Quãobrẽ cũ propositæ rei necessitatẽ iã planè intelligatis, vestræ auctoritatis ac prudentiæ fuerit, dũ meũ ego munus, partesq; persoluo, vt corporibus sic animis adesse.

Propositio.

VT nos Deus similiores sibi efficeret, appetitũ nobis ingenerauit, qui ab alijs nos euocans ad bona impelleret; verum in bonis eligẽdis frequẽter erramus. Cùm enim vnũ sit, & verũ bonũ multa nos æque caduca statuimus, ex quo efficitur, vt illæ permotiones animorũ, quæ nos ad bonũ deducere debebãt, in varia malorũ genera sæpe corripiant, nimirũ, amor, odiũ, lætitia & mæror, quibus tanquã ventis stultorũ mentes præcipites in vitia feruntur. Ex his verò potissimũ illud, quod superbiã vocant, conflatur; quod quia tanquã varijs ex naturis cõpositũ est, recte monstrũ appellare possumus. De hoc igitur nostra instituetur oratio.

A definitione.

SVperbia est tumor mẽtis ex opinione boni præcellentis, licèt id nõ adsit; quare inter insipiẽtes dominatur: sapiẽtes enim in se se oculos deflectũt, probeq; intelligunt, nihil esse quod se se mortales efferant. Est igitur superbia mentiũ caligo, vitiorũ radix, virtutũ pestis. *A causis.*

EIus autẽ tãquã radices sunt nostris pectoribus infixæ, ex eo enim amore nascitur, quo se vnusquisq; natura diligit, qui nisi cohibeatur, admẽtis arcẽ euectus, illã vitiorũ machinis quatit, breuiq; in turpitudines deuoluit, ex quo potissima est superbiæ origo.

Ab enumeratione.

QVod si superbiæ comitatum spectes, quis esse potest scelestior; adest illi arrogantia, cum sua tantum optima putet superbus, aliorum verò bona infra dignitatem suã spectet, adest iactantia, hoc est quædam ostentandorum bonorum cupiditas, vt admirandus appareat, cui dedecorum occultatio se se libenter adiungit. Adest rerum nouarum, quæ admirationem faciũt, inuestigatio, ex qua illa opinionum absurditas in scientijs præsertim sacris nascitur. Superbus enim suam sententiam omnibus anteponit. Adest præterea inuidentia in alios, qui cum potiora, vel similia habeant bona, faciunt ne hæc superbis sint propria. Hanc verò inuidentiam aliorum contemptio comitatur, vt quoniam sua reliquis anteponit, superbus alia contemnit. Adest pertinacia, quæ quod semel apprehendit, ita retinet, vt rerum naturam, quàm suam asseuerationem mutare malit, licèt sæpe falsam agnoscat, tantus illius mentem dedecoris pudor occupat. Adest, vt semel finiam, reliquorum vitiorum agmen, quorum omnium dux est superbia. Hic intelligetur, quam latè hæc pateat, vt omnium scelerum nequitiam non modò compleat, verũ etiam in virtutum cœtum se se insinuet, & quandam illarum speciem referẽs, earũdem pulchritudinem omnẽ deturpet. Quid quod ita mirè se flectit hic serpens tortuosus, vt dum se aliquis superbum esse animaduertit, etiam hinc superbiat, quod à se superbus sit cognitus. Hæc enim illi virtus excellens videtur superbia, igitur ægrescit medendo, vt ille ait: quàm verò homines dedeceat, hinc maximè intelligitur, quod vel arbores quo sunt fructibus oneratiores, hoc magis se se demittunt ad terram. Homines autem, quo sunt bonorum magis inopes, hoc magis intumescunt. Eius autem rei turpitudinem quis non auerteret, cum Deus ipse, qui fons est bonorum omnium, tantopere se se submiserit? Erit ne igitur discipulus supra magistrum? an supra dominum seruus? an homo supra Deum? Si enim omnium nostrum Princeps Christus etiam inimicis, & interfectoribus se submisit, quod nos discipuli, serui, homunculi? Superbi præterea perpetuis fluctibus agitantur, & dum omnibus se anteponunt, nihil intentatum relinquunt, omnem mouent lapidẽ, cœlum terra miscẽt, omnia denique ferre malunt, quàm iniuriam condonare, quàm contumeliam dissimulare, quàm ad aliorum æqualitatem se submittere, nullum recusant laborẽ, denique a se ipsis pœnas prius quàm ab inferis exigunt.

Epi-

Epilogus.

HAnc ergò deteſtabilem bel luam è cœlo detruſam in in fernum, à ſanctiſsimis viris debel latam, tot ſeculorum conſenſu re probatam, ſanctiſsimorum homi num exemplo vituperatam, hoc potiſsimũ tempore, ob inſurgen tes quorundam ſuperborum hæ reſes, contra ſuperbiſsimorum ho minum audaciam, contra amen tiſsimos ſubmiſsionis hoſtes, cõ tra viliſsimos veritatis euerſores, contra denique peſtilentiſsimos omniũ honeſtarum rerum deſer tores, proditores, oppugnatores faciamus, perſequamur, abominemur.

Ambitionis deteſtatio.

PRincipium ſumatur à pręſentibus hominum ſtudijs, necnõ in Rempublicam Chriſtianam of ficio. Ad probandam porrò, demonſtrandumq; huius ce vitij tur pitudinem, indignitatem, miſerias, calamitates, ex his locis potiſsimũ argumenta ſumuntur.

Primùm, cùm ambitio iniuſta ſit, & immoderata dignitatũ, honorumq; cupiditas atque con tentio, in promptu eſt proſpice re, quàm ſit Chriſtianis animis in digna, quæ veterum quoque ſápientum, quos venerata eſt anti quitas, non modò tacito iudicio, ſententiaque damnatur: verumetiam literarum monumentis, ſcriptisq;, vt teterrima peſtis & labes perniciosiſsima à Rebuspublicis eijcitur, exturbatur, exterminatur.

Nec mirum, cũ ex ea tot incõ moda, malaq; oriantur, neceſſe eſt enim eũ qui honoribus inſeruit, ſæpe indigniſsimis hominibus ſeruire, & ſordidiſsimos quoſque interdũ ambire, penſare, ora re, alijs ſupplicare, alijs munera mittere, blandiri, aſſentire, arride re, omnia denique eorum gratia facere & polliceri, quibus ſe tam leuem ob cauſam mancipauerit: ita qui multis excellere, alijſque imperare contendunt, vt id ipſum quod tantopere concupiſcunt, aſſequantur, viliſsimo cuique ſeſe ſubijciunt, & quaſi in ſer uitutem tradunt. Incredibilis hic & indignus labor à viro bono & ſapiente ſuſcipietur, ne dicam à Chriſtiano.

Tertio cogita deinde, quot periculis expoſita ſit, quot ærumnis, animiq; perturbationibus, ſi multatibus, odijs obnoxia, quibus inuidiæ ſtimulis, quibuſque cupiditatibus agitata iſtorum vi ta, qui Principatum tenent, qui honoribus potiuntur, qui dignitate & gloria cæteris conantur anteire, qui denique in alios imperiũ, vel affectant, vel obtinẽt.

Quartò non poteſt ſine multis miſerijs & ſceleribus, ſi ambitione niratur, ad honores quiſque peruenire: declarant id complures omnibus ſeculis in quouis ge nere mortales. Illuſtratur hic lo cus exemplis.

Quintò id cùm esset à Romanis animaduersum per multos sapientissimos viros sæpè de ambitu sunt latæ leges, certaq; pœna huiusmodi mulctata cupiditas.

Sextò, quis hic miretur tantopere à Christo Dño hoc superbiæ & arrogantiæ genus fuisse damnatum? Monet enim, *Qui vult maximus esse inter vos, &c. Et nisi efficiamini sicut paruuli, &c.* Neque verbo solũ hic prædicauit, sed etiam re ipsa declarauit. Hoc Apostoli, hoc Martyres, hoc Confessores, hoc denique quicunq; Deo probati sunt, docuerunt, & factis confirmarunt.

Septimò, sed quam diuturna est istorũ gloria? Imo verò quã breuis, quàm incerta, quã lubrica? Cùm videas multos hodie in supremo fastigio, graduq; collocatos, cras ad ima deuolutos. Intellexit hoc ille, qui dixit, *Vidi impium superexaltatum, &c.* Nõ possumus hic florere & exultare inter homines, deinde regnare cum Christo. Epilogus de more.

Auaritiæ vituperatio.

QVam odiosum, quã pestiferũ quam perniciosum malum sit Auaritia, pecuniæq; cupiditas, cũ ex pluribus alijs, tũ ex his maximè locis intelligi potest. Primò, quòd auari & sordidi homines, non modo rationi, verũ etiã ipsius naturæ legibus aduersantur, quæ prohibent, nemini quẽpiã nocere, & prodesse quã plurimis iubent: isti verò tantũ abest, vt aliorũ egestatem & inopiã subleuent, vt etiam quoscũque possunt fortunis exturbẽt, & alienis semper manus afferãt, atq; adeo sibi ipsi necessaria subtrahant, geniumq; suum (vt Comicus ait) defraudent, dũ semper quæsitis parcunt. & partis abstinent, & ad pecuniã coaceruandã qua nunquã vtantur, incũbant.

Secundò, quid istis hominibus dici aut excogitari potest inferius, qui in amplissimis alioquin opibus & fortunis pauperrimi sunt, & egentissimi, qui omni copiarum genere abundantes: summa tamen inopia & mendicitate sordere videntur: qui denique in omnium penè rerum affluentia tamen egent: in hos scilicèt Tantali fabula optimè quadrat: quippè qui in aquis positi, perpetua siti torquentur, & inter lautissimas & copiosissimas epulas fame cruciantur.

Tertiò, quid dicam, quàm insaciabilis sit illorum cupiditas, quibus nec Cressi opes, nec Mydæ aurũ satis sit, vt rectè ille dixerit: Crescit amor nũmi, quantum ipsa pecunia crescit: & Moralis Philosophus: *Tã deest auaro quod habet, quàm quod non habet.*

Quartò, neque verò minùs miseri & infœlices cẽsendi sunt, vel etiam ea ipsa qua torquentur & cruciãtur cura augẽdæ pecunię, vel amittendæ metu, vel quod sæpè vsu venit, ipsius vitæ periculo; necesse enim est, vt mul

tos timeat ille, qui habet quod placet multis, quod qui tantope re appetitur, & scelere sæpè & maleficio quæritur, lōgū esset re censere, quibus pecunia vitā adimit, neq; in re alioqui perspicua cuius quotidiana excēpla suppetūt, diutius immorari necesse est.

Quintò, sic homines istos, pecunia transuersos agit, ita præcipites rapit, sic à mēte, consilioq; deducit, vt se homines esse obliti videantur; neque enim possūt ista potentia humani generis, & naturæ prodigia (nimis parum dico) cum pecudibus conferri, quas tantum videmus appetere & persequi, quantum ad vitam tuendam satis esse possit. Isti verò quò plura habent, eò plura concupiscunt, vt verum sit Poetę dictū, *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Postremò, quem alium istius modi homines suorū laborū fructum colligunt, nisi diuinam iram, æternumq; supplicium. Hæc enim proposita est auaritiæ merces. Quamobrē, &c.

Contra quorundam mollitiem inferendis aduersis.

POst exordium, argumentis & ampliationibus confirmatio instituetur.

Primò, tàm molles & effœminatos animos, recta hominū ratio, & natura conuincit, quæ nulli iniuriæ ac difficultati succūbit. Vnde virorū est pati fortia, qui recta ratione ducuntur.

Secundò, hoc quo facilius est Christianis, eo grauius reprehendēdi sunt isti, quos tā turpiter videat animo frangi, si aduersus rerum euentus prospiciantur.


Tertio reprehendit eos afflicta & ærumnosa humanæ vitæ conditio, quæ animis hoc ergastulo corporis inclusis, nullam certam quietem, & diuturnam, nullā solidam voluptatem, nullam denique veram felicitatem, vel præsentem beatitudinem pollicetur, sed futuram immortalitatem, & sempiternum æuum, per patientiæ, constātiæ, & pietatis in Deū studium alibi sperare nos docet.

Quartò, Christianæ militiæ ratio, & Christiani hominis nomē hoc profitetur, hoc suscipit, vt benè, continenter, sanctè & innocenter viuat, & aduersa omnia damna, incommoda, calamitates, ærumnas, forti, constantiq; animo ferat, atque hoc ne mirum arbitretur, intueatur, si placet paulisper inuictissimi Imperatoris sui res gestas, mores, studia, consilia, inspiciat fortissimorū Martyrum, cæterorumque sanctorum hominum vitam, tum intelliget, quàm longè à Christiana virtute & fortitudine absit.

Contra ea, quæ fiunt in Bacchanalibus.

EXordiū ducetur à tēpore. Cōfirmationis loci multi sūt, si qui dē quæ vituperari merito possūt

quinque numerantur. Primũ est crapula, luxusq; conuiuiorũ, & studiorum ventris. Secundũ est consuetudo, quæ à veteribus Ethnicis emanauit, laruas induendi, & personas. Tertium obscœnissimarum comœdiarum actio. Quartũ chorea, atque saltatio. Quintũ postremò ludi publici, spectacula, atque venationes taurorũ ¶ Contra primũ spectanda primò sunt ea, quæ faciũt ad detestationẽ eius vitij. Deinde partes eius, siue genera. Tertiò satellites atque ministri, quibus vtuntur. Ad detestationẽ faciũt hæc. Primum, quòd intemperantiã victus atque crapulam nobis natura ipsa dissuadet: quæ ex omnibus animalibus grandioribus vni homini os paruum dedit, ex quo illum ad temperantiã produxisse videtur, Secundũ hoc vitio qui laborant, serui sunt turpissimi, & importunissimi domini; ventris inquã, atq; adeò cacodæmonis. Tertiũ, Gula perniciosa est, & sibi, & alijs, quippe cũ intemperãtes ipso vitæ genere, exemploq; cæteris noceant, & absumant, deuorent, abliguriant tantum: vnde multi egeni ali, sustentarique possent, tum vino obruti & bene poti, epulisq; distenti, tanquã opimi boues, maledictis, contumelijs, conuitijsq; alios incessũt & damnis afficiunt. Quartũ, crapula odiosa est, ac detestabilis in primis. Deo optimo maximo? Quid ita, quia vitiũ hoc, seu verius pestis ventrem Deum facit quandoquidem. Sancti Pauli testimonio istiusmodi hominũ Deus vẽter est. Adde, quod hæc intemperãtia diuinam deformat imaginem, & numinis domiciliũ profanat, ac polluit, cũ nihil æquè obruat intelligentiã, vt edacitas & ebrietas, vt hoc vnũ hominẽ à Deo optimo maximo alienet, eiusque obliuionem inducat. Quid ergò corporis incõmoda proferam? Quid morbos enumerem, quos crapula parit, vt verissimè dici possit, ciborum, epularumque, voluptati comitem iungi dolorem & pœnam. Quapropter omnibus ex partibus damnanda est, & execranda intemperantia, luxuria, crapula, quæ inimica est honestati, tot, tantorumque malorum procreatrix, ac parens. Epilogus per enumerationem, cum hortatione ad tẽperantiã. In laruatos, seu personatos inuehi possumus, ita vt illorum leuitatem, deinde insaniam, & stoliditatem, tertiò incommoda demonstremus, & insolentiam. Comœdias (de turpibus loquor & obscœnis) vituperabimus, si ostendamus, nihil aliud illas docere, nisi obscœnitatem, impudicitiam, & omnis turpitudinis licentiã de hac re S. Aug. de ciuit. Dei, Lact. Firm. De choreis verò & saltatione illa quid dicã? Cũ nihil aliud, nisi leuitatẽ, mollitiẽ, impuritatem ostentet.



de hac re. Cicero pro Murena.

Postremo contra spectacula ludorum dicemus, eorumque singularẽ feritatem, immanitatẽ que declarabimus. Peroratio cõtinebit adhortationem adhæc fugienda & detestanda.

Otij desidiæque detestatio.

DVcetur exordiũ à tempore, & moribus huius ætatis, vt in illud potissimum vitium inuehamur, cui obnoxij sunt plerique nostræ memoriæ homines, vt ostendatur quàm sit turpe, quã fœdum, quàm perniciosum marcescere otio, desidiaque languescere, homini præsertim Christiano.

Primum argumentum quare fugiendũ sit otium, ab hominis natura ducetur, cùm is ad agendum sit procreatus: amplificetur à simili, quid si sol calore nõ foueret, &c.

Secundò, huius autem officij à cæteris etiam animãtibus, atq; inanimatis quoque rebus homo admonetur: nonne vides cœlestes orbes nunquam conquiescere? non animaduertis omnia elementa in perpetua actione versari; non denique animalia muta fere semper aliquid agere intuemur? quæ cùm ita sint, solus ipse otiabitur.

Tertiò, cur animo, cur mẽte, cur ratione ornatus est homo, nisi, vt his diuinis muneribus dignam vitam traducat? cur virtutum quosdam igniculos accepit, nisi vt ad honestas actiones & pulcherrima artium studia incitaretur.

Quartò, à simili, homo otiosus nihil aliud esse videtur, quã saxum, cum nihil vtile, nihil rectum, nihil laudabile edere possit.

Quintò, nihil agendo homines discũt maleagere. Quid enim est aliud otium, nisi vitiorum esca, & malorum alimentum? Petantur exempla ex libris ethnicorum, sacrisque voluminibus; enumerent mala, damna, & calamitates per otium inuectæ.

Sextò, quæ pœna desides, ignauos, inertes, segnes consequatur quis non videt? si enim honeste, fœliciter, vtiliterque laborãtibus proposita est sempiterna fœlicitas, & perpetua quies, si quæ industrijs & solertibus operarijs reposita est debita merces, otiosos, & vitijs occupatos, quæ pœna, quod supplicium expectabit?

Septimò, postremo adhortatiò subijciatur per exempla veterum ethnicorum, qui tantopere desidiam detestati sunt, & tot labores, vigilias, doctrinę, gloriæ inanis, opum studio susceperũt. At quid nobis tantis propositis præmijs, tam solidis, tam certis, tam denique expetendis bonis promissis agendum sit perspiciamus; quos etiam tot Sancti viri atq; adeo ipse Christus docuit,

quod esset nostrũ officium, qui tot, tantisq; laboribus nobis suã vitam addixit.

Voluptuariæ vitæ vituperatio, ac detestatio.

EXordium in hanc sententiam contexetur, cùm sit boni viri, quæ rectè ad hominũ salutem & incolumitatem conseruandã sentit, in mediũ proferre, & oratione explicare; qui semper publicis cõmodis consuluerim, nolui hoc tẽpore officio meo deesse, quominus ad eã partẽ Reipublicæ subleuandã, quæ omnibus nota, perspicuaq; est, versaret. Quotus quisq; enim est; qui deprauatissimã huius nostri seculi cõsuetudinẽ, moresq; profligatissimos non videat, intueatur, intelligat? Cùm se omnes certatim voluptatibus manciparint, & in Epicuri castra coniecerint, atque ita denique vitã instituerint, vt nihil inter eos & quadrupedes interesse videatur. In hos igitur hodierno die faces, & argumentorũ fulmina, si quæ in nobis essẽt, libenter cõtorqueremus. De eo tamen quod vires nostræ præstare poterunt, aut dicendi facultas efficere, nihil remittemus.

Narrationis & confirmationis loci hi erunt.

NIhil esse voluptate indignius, nihil fœdius, nihil detestabilius argumento est, ipsa hominis dignitas & excellentia, quæ rationis est particeps, qua mente præditus, rerum cœlestium, ac diuinarum cãpax, quã denique ad immortalitatem conditus est. Ex quibus omnibus longè (vt vidimus) cæteris animantibus antecellit. Quod si tàm diuinum animal ita se se abijciat, vt in rẽ tam humilem, cogitationẽ, animũq; cõferat, qua in re pecudibus præstabit, quæ voluptatũ sensu dũtaxat mouentur.

Secundò, qui voluptati sese dedunt, nihil altũ, nihil magnificũ, nihil præclarum, nihil honestũ, nihil rectum, nihil denique homini dignum, vel facere, vel cogitare possunt. Declarant hoc olim tot Sardanapali, tot Philoxeni, tot Galbæ, tot Assoti, tot postremo Basſi, quorum imitatores studiosissimos non paucos hæc nostra ætas tulit, ac fert quotidie quorum vita nihil fingi, aut excogitari potest, nec fœdius, nec turpius, nec detestabilius, cum omnibus flagitijs, sceleribusque obstricta sit, omni vitiorum genere inquinata atque contaminata.

Tertiò, quid obsecro sibi volunt homines isti delicatuli, an fortè id agunt, vt soli sapere videantur, dum omnia voluptatibus metiuntur. Atque cõmuni sapientum virorum consensu, semper ex hominũ cœtu explosa est voluptas, neq; Christianorũ modo, ac sanctorum Patrũ, verumetiam veterum Philosophorum sententia, iudicioq; damnata: soli ergò stulti, ac cõmuni sensu ca-

rentes, ac penè rationis experte scùm sint, aut desinant asserere & tueri, quod perniciosissimo errore decepti, & effrenatarũ cupiditatum impetu compulsi arripuerunt, aut ad bonã frugem se aliquando recipiant, & in viã virtutis ac veritatis redeant.

Quartò, quòd nisi multis, ac maximis laboribus voluptas cõstaret, posset hic error hominibus condonari, verùm eò maior temeritas, stultitiaq; videatur, quo minus quod quærant assequãtur: fit enim vt dum voluptates summo studio persequuntur, grauissimas ærumnas, dolores, periculaq; experiantur. Quot curæ in conquirendis voluptatibus atq; delicijs, sumptus in comparãdis, morbi in perficiendis reperiuntur, cùm etiam mortem nonnullis eas attulisse sciamus.

Quinto, si nullum aliud incõmodũ, ac salutis periculũ importarent, vel hoc maximè homines ab eorum studio deterrere debe ret: quod qui vel vnũ diem in voluptate posuerunt, nõmodo qui totam ætatem in ea degerunt, perpetua infamia, odio, inuidia, turpitudine laborarunt; hinc nobilitata veterum imperatorum luxuria: hinc celebrata Æsopi patina, sexcentis taxata sextertijs, hinc Antonij & Cleopatræ deportentoso luxu, & profusione certamen.

Sextò, & quoniam apud Christianos agimus, quid obsecro sacrosancta volumina, & humanæ salutis instrumenta, æquè ac voluptatem, crapulam, luxuriam, ac carnis turpitudinem detestantur. Longum est eos recensere, quos hoc vitio, vel grauissimè mulctatos, vel de medio sublatos Historia sacra commemorat. Subijciãtur tamẽ exẽpla nõnulla

Peroratio fiet per enumerationẽ, indignationẽ in voluptuarios, ac vehementẽ ad tẽperantiã adhortationem, amplificationibus aptè interpositis.

Contra bellum & discordiam, argumentum.

ORatio versabitur in genere demonstratiuo, cuius quæstio erit infinita. An bellũ sit omnium malorũ causa. Exordium ducetur ab officio, & fine hominis, & ingenij nostri, nã quod homo sit natus ad pacẽ, illiusq; officij sit pacem & amicitiã colere, bellum autẽ & discordiã omnibus modis effugere: ex infinitis propè sacrorũ voluminum locis cognosci potest. Hanc propositionem exorna, tum rationibus, tum sententijs, tum ipsa corporis humani constitutione & forma. Quocirca, vt pacis vim intelligãt auditores, & belli & discordiæ calamitates videãt, pollicebe ris te breuiter dicturũ cõtra bellũ. Bellũ enim nihil aliud est, nisi simultas plurimorũ & discordia. Secundus à descriptione: tertius ab etymologia, quod

Grammatici dictum esse volunt, nam nihil habet belli, nihil boni, nihil præclari. Alij malunt à belluis dictum, quod belluarum sit nō hominum in mutuum exitiū congredi.

A causis efficientibus, hostis antiquus est parēs, & auctor omnium malorum & discordiarum, & furiæ tartareæ, omnesque cacodæmones, coadiutores & ministri omnium dissensionum. At Deus optimus max. pacis & concordiæ parens, & pater. Hic poteris narrare initium huius belli ab hoste antiquo, primùm Dèo, deinde hominibus illatum.

A forma, belli apparatus, cohortes, ipso vultu sonoque horrendæ, ipsæ acies gladijs, hastis, & reliquo apparatu instructæ. Quare hoc in loco per hypotyposin describe, & pone ob oculos apparatū formidabilē belli, & inferes quātū illa res ab ingenio & natura humana discrepet.

A fine, miseriæ, calamitates, mors denique ipsa finis est belli. Ab actibus, perturbat bellum Respublicas, ad flagitia & scelera vocat iuuentutem, aperit fenestras ad omnia vitia, opprimit ciuitates, & euertit denique regna. Ab effectis, à bello pietatis contemptus, legum, magistratus. Rerū publicarū euersiones, exercitus, legionum, infinitæ cædes, stupra, denique flagitia omnia & mala oriuntur. Ab exemplis & similibus, quos millia hominum consumpsit discordia inter Græcos & Troianos, quot calamitates, & miserias, tum Atheniensibus, tum Lacedæmonijs bellum intestinum attulit? Ab antecedentibus, antecedunt bellum rixæ, simultates, odia, maledicta, proditiones patriæ; habet comites furias ipsas, tumultus, clamorem, famem, pericula, labores, vigilias: consequuntur fuga, cordis desperatio, miseriæ ac cruenta hominum carnificina. Hunc locum poteris tractare descriptione siue hypotyposi. A contrarijs, per contentionem in altera parte, bona & cōmoda quę à pace; in altera, mala quę à bellò proficiscuntur, constitues?

Peroratio contineat breuem enumerationem præcedentium dictorum, deinde amplificationem & prosopopœiam. Induces enim Christū, qui doceat se fecisse hominem ad pacis & sapientiæ, non ad belli, & discordiæ studium, illi pacem, non bellum reliquisse, & tandem de nostra impietate conqueratur, & ad pacem amplectendam, & ad bellū repellendum adhortetur.

Deploratio nostrorum temporum.

EXordij sententia. Calamitates huius miserrimę tempestatis apud vos recensere in animo est, nō quòd illa vos fugere possint, quę in omnium oculis versantur: sed vt quò magis nota sunt, eo vehementius illorum commemoratione, animi vestri commoueantur,

tur, vt de salute suâ quisque solicitus, tandem expergiscatur, & ad implorandam diuinam opem & misericordiam excitetur. Nã tum demum Deus placabitur, nostrique miserebitur, vbi nostrorum vitiorum nos tædere ac pigere peccatorum pariterque resipiscere viderit.

Narrationis & confirmationis partes.

AC primum quidem mihi de moribus profligatissimis huius ætatis cogitanti, & in Christianorum vitam intuenti tantus & tam latus dicendi campus offertur, vt vnde potissimum initiũ sumam, ignorem, quo magis initio elaborandum esse intelligo, vt quidam motus orationi adhibeatur. Principio igitur, quantopere vita Christianorum, non modo ab Euangelica doctrina & institutione, verum etiã à recta ratione dissentiat, eorum aduersa studia non obscurè declarant. Nam quidam ita student, opibus, diuitijsque conseruandis, vt in ijs summum bonum posuisse videãtur.

Primus locus est in auaros, quorum mores, consilia, & facta breuiter enumeranda sunt. Secũdus in ambitiosos, quorum etiã studia paucis videntur esse perstringenda. Tertius in voluptuosos, quorum vita suis coloribus exprimenda est. Quartus in hæreticos, de quorum impietate, sceleribus, flagitijs, & cæteris attingenda quæ satis sint. Quintus in eos etiam, qui cum ingenuis studijs summopere delectentur, eorum tamen finem honorem Dei non statuunt, cùm aut auram popularem, & fictam gloriam, aut inanes honores, aut caducas opes, aut vanam tantum voluptatem consectantur, quid in his singulis sit incommodi & dedecoris ex tractatu secundo, cap. 5. dignosces.

His omnibus explicatis, subijciatur epilogus per enumerationem, deinde per adhortationẽ, vt suæ quisque primùm, deinde aliorum saluti prospiciat. Præcepta exortationis dabit tractatus tertius cap. septimo.

De malis tyrannidis.

PRimò, dicemus stulte facere eos, qui in exercitationibus quotidianis ea sibi proponant, ad dicendum, quæ nihil fructus adferant; illos esse sapientes, qui dum eloquentiam exercent, de rebus claris argumenta instituant, vt vna eademque opera & copia dicẽdi augeatur; & animus rerum magnarum studio inflammetur. Quamobrem velle nos tyrannidem rerum publicarum pestem vituperare, quò libertatis amor odio seruitutis incendatur. Tùm commemorabimus ea, quæ tyrannis importat.

Ea sunt omnia quæ tyranni crudeles faciunt, perturbantur leges,

leges, tolluntur iudicia, euertuntur iura diuina & humana, opprimuntur ciuitates, nocentes triũphant, boni vexantur. omnia bona diripiuntur, exultat audacia, regnat nefaria libido, Religiones violantur, ipsa sanctissima templa compilanda, &c. Hæc illustranda erunt exemplis inmanium Tyrannorum, Phalaridis, Dionysij, Tarquini Superbi, & aliorum. Vbi hæc auxerimus, dicemus, exigua esse: aliud esse multò magis, quòd liberis vitam eripiant, & libertatem. Hîc exageranda dignitas libertatis, quã multi incolumitati antepofuerunt: & illustrãda res exemplis. tum Bruti illius, qui Reges Roma expulit: tum alterius, qui Cæsarem interfecit, & aliorum multorumq; quos longas obsidiones sustinuisse, certamina difficillima subijsse, in vitæ discrimen se obtulisse dicemus, vt libertatẽ retinerent. Deinde concludemus hunc locum, quantò libertas melior & iucundior iudicetur, tanto detestabiliorem esse tyrannidem, quæ nos tanto bono spoliare conetur. Itaque meritò veteres summos honores tribuisse ijs qui Tyrannos importunos interfecissent. Quæ res ornari poterit exemplis antiquitatis, maximè Græcorum, qui suis legibus statuas decreuerunt Tyrannorũ interfectoribus. Ad extremum perorabimus, hortantes auditores, vt Tyrannos à patriæ ceruicibus repellant, & ciuium suorũ tueantur libertatem, lege Valer. Max. lib. 2. cap. de Maiestate.

PARS QVARTA CENTVRIÆ CIRCA GENVS Deliberatiuum.

Tractatus tertius ad subiecta exempla attentius euoluetur, ea insuper quæ notata themata monebunt.

In genere deliberatiuo ex Historia sacra 7. & 8. capit. Iudith.

Historia hæc est: Ingẽtibus Assyriorũ copijs Bethuliã Iudæorũ vrbẽ obsidebat Holofernes quã vt minori negotio subijceret, præcidit fistulas, quibus aqua oppido suppeditabatur, siti vt cuncta ciuitas deliberet, an sit deditio facienda. In medio foro circunstãti populo hæc habetur oratio ad Oziã Principem.

Status causæ qualitatis, & quæritur rectè ne deditio sit facienda, suadet Achior.

Suasio deditionis hanc formã potest

poteſt habere. Suaſor habet pro argumento vtilitatem; imitatio nulla eſt, ſed tamen aliquod veſtigiũ extare poteſt apud Liuium lib. 9. non longe ab initio.

Exordiũ ab excuſatione, quod dicas tu vnus ex omnibus, & libenter alias auditurũ: iã verò omnibus tacentibus mœrore, ac deſperatione, dicturum te, quod cęteri ſentiunt, & quodammodo, dum tacent, confitentur.

Secundò, dicerent quidẽ omnes vnũ, atque idem, niſi impediret pudor, & te quidẽ non ſine pudore ad dicendũ accedere, verùm tui pudoris iacturã velle aliorum ſaluti conſulere.

Tertiò, etſi nõ ego propterea impudens, ſed beneuolus exiſtimari debeo, qui ſuadeã, quod nõ iucundũ patriæ, vt tu malis, ſed gratum, aut ſine dubio vtile futurũ ſit. Si tamen ſit tantũ linguæ confectæ, ſpiritus atque humoris, vt quid ſentiat animus exprimere poſsit. ¶ *Propoſitio* Subijce lucum narrationis, Quo res deducta ſit. Ozia non vides tantũ, ſed tu cum alijs omnibus ſentis, non iã cũ hoſtibus, ſed cũ vltimo humanorũ omniũ ſupplicio dimicamus, ſine vlla ſpe refugij mori mur, & quod turpius eſt, ſine vulnere, ſine vllo ſolatio vltionis cõtabeſcimus, hoſtibus ridentibus, atque integris.

Primus locus confirmationis; à triſti morientiũ ſpectaculo, cùm videant omnes morientes, etiam chariſsimos, nec tamen opẽ afferre poſſint. A ſimili, nã ſiniſtrum eſt, non poſſe ſubleuare morientẽ, præſertim qui parata medicina recreari poſsit: quanto miſerius non poſſe hauſtu aquæ, quæ eſt omnibus cõmunis, animã effugientẽ retinere. Potes hoc loco deſcribere ſitim, atq; vim eius, aceruũ mortuorũ, neque loqui ciues, neque ſpiritũ ducere poſſe; ſic pecudũ more conſumimur. Excitabis miſericordiã ex tract. 6. cap. 10. & deſperationem cunctorũ ex cap. 7. & 8.

Secundus locus ab vtilitate & ſpe ſalutis: nulla erit ſalutis ſpes, erit actũ de tota vrbe; at ſi dedimus nos, fortaſſe hoſtis miſerebitur: ſe ſe oſtendet aliqua ſpes ſalutis, aut certè non moriemur, & Deum venerari poterimus. Amplifica vtilitates ex tract. 3. c. 2.

Tertio, a ſpe, a vitæ ſuauitate, qua nihil dulcius, cuius cauſa omnia perferuntur: labores, mendicitates, cruciatus, quid ni ſeruitus cũ præcipuè Deo ita viſum ſit.

Quartò, à ſeruitute. Nullo modo ſeruitutẽ effugietis. Irrũpet enim hoſtis in ſemimortuam ciuitatem, & cinere, & ciuium cadaueribus volitans parcet aliquibus, quos coget ſibi cum maiore dedecore ſeruire, ſubeatur malũ hoc: Sponte erit quidem graue, ſed longè grauiſsimũ eſſe illud alterum, quod impendet atque inſtat.

Quinto ab hoſtibus. Si libẽter nos dederimus, habebimus hoſtẽ pacatũ; cõtra verò infeſtiſsimũ.

Sexto,

Sextò, à necessitate parendũ est necessitati, quæ plus potest, quàm consilia humana omnia.

Septimò, à pudore, à refutatione pudoris: neque pudor impedire debet, cũ hoc dedecore aliud longe maius videatur, & omnino vitari hoc non possit, considerentur circumstantię quæ pudorem refellant ex tractatu 2. cap. 13.

Octauò fecisse etiam alios: nõ deesse exempla; & mouenda miseratio à morientium multitudine. Finge aliquem hoc ipso tempore siti mortuum esse in eo cõuentu, & exanimatũ concidisse.

Peroratio, vides Ozia hic, qui siti corruit, vt cõfirmet meã orationem; omnes ita extinguemur. Audis omniũ lachrymas, vides gemitus, deinde verte, verte ad populũ, dic vt pareãt lachrymis, absorbeãt illas, & bibant: aut alios non flere, quia iam consumptæ exaruerunt: dicas enim te non habere vocem ex siti.

Dissuasio Manaße.

Dissuasor spectat honestatem, & locos omnes cõfutationis. Imitationis locus apud Liuium, lib. 26. quo loco Viuius Campanus dissuadet ciuibus suis, ne se dedãt P. Romano, hic vitupera turus personam, vt faciat inuidiosum eum qui habuit orationem.

Exordium.

SI Achior fecisset quod alij fecerunt, & tacita potius oratione Deum flecteré, quàm homines incendere voluisset, non esset mihi respondendũ: at quando eum non puduit turpia dicere, pudendũ esset si non aliquis existeret ex hoc tanto populo, eius qui obiectam orationem magno animo refutaret. Et quanquã video multos contradicere gestientes, oro tamen vos, vt meæ voluntati, vel iræ hanc veniam detis, vt quem vix tulere aures dicentem, eum breui quidem, sed virili, id est Iudæa oratione conuincã. Oro te Ozia, vt si paulo videbor concitatior, veniam iusto dolori meo dandam putes.

Confutatio primi, non erat quod diceres Achior rẽ in extremum adductam discrimen, & verbis onerares malum, erat potius de aliquo remedio cogitandum: non enim nego siti confici ciuitatem, sed quid mirum est obsessos perferre mala sitis? Perferenda sunt potius hæc cum aliquo honore, quàm cum dedecore seruiẽdum. Secunda confutatio, multos siti mortuos addit, quos enumerari mihi velim, quid? ante obsidionem non moriebantur? ostẽde confectos siti, aut quid tandẽ his mali accidit? mortem ne malum esse axistimas? immo verò beati illi mihi videntur, qui te hæc tam turpia effutientem non audierunt. Accedat grauis monitio aduersarij ex tractatu 4. part. 2, cap. 3.

Tertia, cõfutatio erit. Inquit

actum

actum de vrbe, si nõ dedamur, erit contra actum, si nos dedamus: Dum inter nos & hostes murus intersit, spes est aliqua salutis; si recipiatur hostis perfidus, cui ludus est fidẽ fallere, sempiternus hostis diuini nominis, omnia natabunt sanguine, & tunc sitim Achior explere poterit. Describatur hoc loco vrbs euersa, atque incensa.

Quarta confutatio, suauis est vita non nego, sed primum quis tibi hanc vitæ spem pollicetur, tum verò quæ vita est: aut cur vita appellanda est, ea quæ est omnium morte miserior.

Quinta, seruitus nullo modo vitari potest, at ne accersatur; cur autem vitari non potest? morieris & seruitutem fugies. Ignauorum est, & ignobilium seruire velle, & morti anteponere seruitutem. Exponantur vrbes & regiones Iudææ, pro quibus certãt ex tract. 2. cap. 15.

Sexta, placabitur hostis; ille ne hostis capitalis, sempiternus diuini nominis: illius flammarum ignes cõmisces.

Septima, pareatur, moriamur hic, ne destituamus templum, ne abducamur in hostium terras; ne euersa ciuitate ibi non in seruitute modo futuri sumus, cuius videris cupidus Achior, sed vbi hostium oculos expleuerimus, miserè interficiemur: qui esset aspectus, quę species ciuitatis, si filius patrem conseruum videret, vxorem duci catenatãm triumpho. Describatur Templi magnificentia, quam deserunt, ex tractatu 2. cap. 16.

Octaua nõ debet. Hoc ne verbum ex Iudæi ore excidit; at nõ videbas omnium ora cùm hæc diceres, contra te conuersa, omniũ manus in te intentas; sed tua Ozia præsentia continuit: minus & leuius malum eligendũ; quod autem grauius malum seruitute, in qua mala sunt omnia?

Nona, libertas propria est Iudę generis, omnes nationes seruitutem ferre possunt, nostra gens ad imperiũ nata seruire non potest. Refricanda memoria est Iudaicæ fęlicitatis, desumptis argumentis ex sacræ paginæ Historia.

Decima, cuius religio Deus bõne, quæ esset si in alterius potestatem, in illius seruitutem Holofernis veniremus, quod templum, qui cultus?

Prætereà, retinete animum erectum istum magnum, ciues optimi, retinete libertatem, aut certè cum dignitate moriamur, non de nobis triumphet hostis, laus erit nostra apud omnes gentes, si moriamur prius, quã seruiamus; habebit nostra ętas quos laudet, sed nos non moriemur. Deus opem feret, cuius causa agitur, ipse nos adiuuare potest, & adiuuabit, nisi nos hosti dederimus, vrget sitis? Quid? nonnè de cœlo pluuia dari potest? at non Elias plu-

pluuiam impetrauit. An non è saxo in deserto aquam dedit? Et nos qui ipsum colimus, Deus siti perire patietur? Eum oremus, obsecremus; non feret nostras lacrymas, certa est victoria, certa est spes Dei exorandi. Concludenda oratio duobus modis, vt vel deuoueamus nos Deo, tanquam hostiam, & dicendum millies mori malle, quã Holoferni hosti diuini nominis seruire, & diuinas leges violare. Vel concludenda oratio, obsecratione ad Deum conuersa.

Pro Christiana, & auita Religione retinenda, ad Principes Christianos oratio.

ORatio adhortationem habet ad Christianæ Religionis pietatem, sanctimoniam, antiquitatem contra impudentem nouorum hominum, verius dixerim portentorum, omni intemperantia, & luxu perditorum audaciam tuendam & defendendã.

De genere Orationis.

ORatio spectat ad genus deliberationis. Nam de hoc ipso præsens instituitur deliberatio: vtrùm nostræ religionis cultus quorundam scelere & improbitate deformatus, ac penè extinctus. Pristinum sit suũ decus & splendorem cum dignitate atque maiestate recuperaturus? Vtrùm cultus, qui aduersus Deũ adhibendus est integer & incorruptus, conseruari debeat aduersus nefarios conatus, & conscelera tos impetus hominum improbissimorum, à quibus quotidie insanabili animi dolore, atq; singultu turpiter pollui, spurcissimè fœdari, miserabiliter discerpi nonsolùm intelligimus, atque auditionem accipimus, nonsolum mẽte, sed oculis prope cernimus Eodem adiungitur, cur hæc causa posita sit in cõsultatione, quoniam tota confertur ad cohortationem animorũ. Est autem adhortatio, vt magistris dicendi, docendiq; authoribus visum est, pars quædam, & caput deliberationis.

De statu, seu constitutione causæ.

COgnito orationis, seu causæ genere, videndus est status, qui est in hac causa qualitatis. Id enim quæritur, vtrum iustum sit, quouis armorum genere, omni animi, corporisq; cõtentione, summo vitæ, liberorũ, ac fortunarum discrimine niti, ac religionis à maioribus acceptæ defensionem, id maximè decere, his rebus ostenditur.

De locis confirmationis.

CApita & firmamenta confirmationis sunt tria, quæ sunt legitima & propria deliberationis: causæ dignitas seu honestas, vtilitas, facilitas. Ab honestate rationes ducuntur,

Primo

Primò, pugnatur pro ea religione, cuius Christus optimus maximus diuinus Author & cœlestis Magister fuit, quam ad nos diuinitùs detulit, quam vt doceret, & vniuerso hominum generi enuntiaret, fragilem & mortalem naturam induit, vt promulgaret, & in hominum animis penitus insereret, non modo nullũ laborem, aut molestiam, aut difficultatem, aut periculum, vel itinerum, vel imbrium, vel niuiũ, vel calorum & frigorũ, vel pernoctationum, vel famis acsitis recusauit. Sed etiã quo firmissima fundamenta iaceret, veri, atque diuini cultus maiora quædam opera effecit, quàm communis omnium natura vires paterentur, & quò altius in auditorum animis huius augustissimæ religionis fibræ hærerent infixæ, sæuissimũ & inauditum necis genus experiri minime dubitauit.

Secundò, Quid ij quos ipse ex infinita hominũ multitudine, salutaris, diuinæq; doctrinæ suæ alumnos atque præcones delegerat, quam prouinciam non obierunt? quam regionem non lustrarunt? quam oram maritimam nõ peragrarunt? quem orbis terrarum angulum non peruestigarunt? vt eandem qua ipsi imbuti erant religionem cęterorum mẽtibus commẽdarent, proqua etiã ęquissimis animis & ouantibus gloriosissimam mortem oppetendam esse putauerunt.

Tertio, quid? eam causam desëremus, à qua ne reliqui fortissimi Christi milites, atque constãtes athletæ desciscerent, vitam sibi potius cum bonis omnibus deserendam esse etiam censuerunt.

Quartò, Ergò nihil apud nos erit ea forma religionis, in qua tuenda, augenda, illustranda, & à flagitiosissimorum hominum scelere atq; impietate vindicanda tot Summorum Pontificum, tot grauissimorum Patrum, tot amplissimorum Consessuum, & Conciliorum maximæ, grauissimæque curæ & cogitationes euigilarunt.

Quintò, quæ bella à Christianis Imperatoribus non suscepta, non apparata, non confecta? Quæ classes non instructæ? Quæ maria non adornata? Quæ machinæ, quæ instrumenta non comparata? Quàm multi exercitus conflati, quàm multi penè deleti, quam multi renouati, & instaurati? Quàm horribiles strages editæ, quàm funestæ cædes factæ? Quanta vis sanguinis profusa, vt nostrum hunc veri Dei & liberatoris nostri cultum optimum, eundemque castissimum, plenissimumque pietatis à stultissimorum, & audacissimorum hominum furore, & amentia tutum conseruarent, vt eum semper pura, integra & incorrupta mente veneraremur.

Ab vtilitate hæc argumenta petantur.

PRimò, vbi dominatus est religionis, ibidem est Regnũ omnium virtutum, quoniã virtutes omnes ita aptè sunt connexæ, atque inter se cohærentes, vt vel vna sublata, constare non possit chorus virtutum, multò minus sublata principe cæterarum omniũ religione: qua extincta, perimitur iustitia, quod fundamentum est perpetuæ commendationis & famæ, vitæ rectrix & gubernatrix nostrorum omnium consiliorum, & actionum parens atque magistra, sine qua nihil potest esse laudabile: cuius tãta vis est, vt nec illi quidem qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine aliqua particula iustitiæ viuere. Hæc inquam ex hominũ conuentibus, ac cœtibus exterminata, quænam esset inter homines viuendi consuetudo? An non potius hęc ipsa natura, quæ mente, consilio & ratione gubernanda est, belluina feritas, atque agrestis immanitas dicenda esset? Latissimè patet hic locus de præstãtia iustitiæ, vtilitate atque necessitate, at qui religione tota penè nititur iustitia.

Secundò, grauissimis vita nostra miserijs & ærumnis premitur, vrgetur calamitatibus, acutissimis curarum stimulis concitatur, metus, spei, doloris, ac voluptatis, quotidianis & propè assiduis cruciatibus torquetur: sæpissimè aduersæ fortũnæ telis animus cuiusque configitur, perfoditur ac vulneratur. Ad hæc omnia mala, præsidia tantùm hominibus sunt constituta in cultu diuini numinis, ac certissima Fide Christi Iesu nostri liberatoris.

Tertiò, vide quãta vis sit Christianæ, veræq; religionis, vt morum elegantiam, animi facilitatẽ atque ingenuitatem, comitatem, modestiam, temperantiam, atq; moderationem, cæterasq; virtutes ad naturam, ad vsum domesticum, & ad ciuilem consuetudinẽ accommodatas in cæteris gentibus ac nationibus notitia nostræ religionis spoliatis, aut nullo pacto reperire possis, aut horum omnium vmbram dumtaxat, & imaginem quandam adumbratã, ac leuiter expressam liceat intueri.

Quartò, quid porrò saluti nostræ tam opportunum esse poterat atque necessarium, quàm firmissima illa, certissimaq; humanæ vitæ, atque diuina subsidia, quæ Sacramenta vocamus, sine quibus nec Dei summi parentis gratiam atque beneuolentiã nobis conciliare, nec satis inter nos ipsi tutò viuere, nec in spem vllam certam immortalitatis venire possemus.

Quintò denique, si quos fructus ferat Christi religio, si quas pariat commoditates, si quammulta, eaq; magna, ampla, & pręstabile

ſtabilia bona coniuncta habeat, vultis cognoſcere, cùm animis veſtris mala nunc ipſi paulisper cogitate, quæ amiſſa religione nobiliſsimas prouincias; ac latiſsimas regiones occupauerunt. Aſpicite Græciam, prouinciam abūdantiſsimam literarum, quo ex omnibus ciuitatibus orbis terrarum populi penè innumerabiles tanquam ad mercatum bonarum artium gregatim cōfluebant. Vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur? florente Chriſtiana Religione, perpetuam etiā ipſius laudem in omnium hominum ſummorum, infimorum, mediorum animis, in ſermonibus atque prædicatione, in ſcriptis ac monumētis, ſumma cunctorum admiratione ſcimus viguiſſe: nunc abiecta Religione, ita clariſsimæ prouinciæ nomen delibatum eſt ac fractum, vt (ò remindignam) barbarorum laude nitatur. Obuerſetur nobis ante oculos Septentrionalis plaga, paulò ante bellicoſiſſima atque feliciſsima, nunc deſperatiſsima atque calamitoſiſsima prouincia. Erat, erat cum noſtra, noſtra autem? imò verò cū in ea Chriſti Religio coleretur, eius prouinciæ ſpectata & nobilitata virtus, nōſolùm natura corroborata, verumetiam diſciplina exculta ac prædita: quis nunc eius fœditatem, obſcuritatem, tenebras, libidines atq; corruptelas, aut cogitando non vehementer horreat, aut commemorando non magnopere perhorreſcat? Quid verò de alia quā ſcitis prouincia, quæ cū flagraret tū apud eam religio, cum virtutū ſtudia vigerent, illius prouinciæ gloria ad hanc ætatem habuit quandā viriditatem. Verùm vbi inteſtinis diſcordijs, ſeditionibus, atque de forma religionis, quæ poſteà ſunt ortæ diſſenſionibus, fructus repreſſus, atque exuſtus, flos antiquæ Religionis penè exaruit, continuò omnia ipſius ornamenta ceciderunt. Occidit fama, reliqua honoris, doctrinæ, & virtutis inſignia obſoluerunt. Mitto vaſtitates agrorum, vexationes oppidorum, incendia vrbium, atque tectorum, bacchantium impetum & furorem, in matrumfamilias honeſtatem, in virginā pudicitiam, in liberos, fortunas, & vitam vniuſcuiuſq; in Summi Pōtificis auctoritatem atque dignitatem, in tēpla, atque delubra diuorum, quæ cum in animo & cogitatione verſantur, miſerabilia videntur, luctuoſiſsima cum vel ab inuitis ſpectantur.

Poſtremus locus, qui à facilitate hæc ſuggerit argumenta.

PRimò, noſter exercitus eſt ex eo militū genere cōparatus, quorum adoleſcentia ad ſcientiā rei militaris, non offenſionibus belli, ſed victorijs, non ſtipendijs, ſed triumphis eſt erudita:

apud illos stipendia merentur inertes, ignaui, quorum omnis superior ætas ebrietate, libidinibus; cupiditatum, ac vitiorum omnium est licentia, atque impuritate munita.

Secundò, Iam verò nemo dubitat, pecuniam neruum esse belli, illud etiam norunt omnes, innumerabiles pecuniæ conficiendæ de vestris, atque adeò alienis vectigalibus vobis potestatem esse, illis suæ pecunię redigendæ omnem iam occasionē, facultatemq; perijsse.

Tertiò, nos pro optima causa arma suscipimus, & plura à Deo, cuius nomine in aciem irruimus, quam à nobis ipsis præsidia expectamus, illi fœdissimam defendunt, quorum studium omne vincendi tantùm in perfidia, scelere, rabie, furore, amentia, ferocia quadam animi ac feritate positum est.

Quartò, eos Reges, eum Imperatorem, eum Pontificem habemus, eam populi Christiani alacritatem, eumconsensum omniū eos duces, eos exercitus, vt nullam calamitatem Respublica Christiana accipere possit sine vestra culpa Principes Christiani. Quare cuncti erecti, exercitati, parati, armati animis iam esse debetis: vestra sunt hæc munera, Principes grauissimi, vestræ partes, vestræ hæc dignitatis officia, & quæ sequuntur.

Peroratio.

CVm extrema probatione ita connectenda erit peroratio, vt adhortationem acrem habeat ad studium, atque celeritatē belli. Constabit item earum rerum enumeratione, per quam res dispersæ ac diffusæ dictæ vnum in locū cogātur, & reminiscēdi causa vnū sub aspectū subijciātur.

De exordio.

EXordium quod primum dici solet, postremò Cicero & Marcus Antonius cogitabat, ita elaboratum esse oportet, atque perfectum, ita connexum consequenti orationi, & non tanquam Citharœdi prooemium, affictū aliquod (vtor libenter verbis Ciceronis) sed cohærens cum omni corpore membrum esse videatur Principium igitur non solùm in hac causa, sed in qualibet oratione non extrinsecus aliunde quærendum, sed ex ipsis visceribus causæ sumendū est. Idcirco præcipit M. Tullius in secundo de Oratore, tota causa pertentata, atque perspecta, locis omnibus inuentis, atque instructis considerandum esse quo principio sit vtendum, sic & facilè reperiri. Sumetur autem ex ijs rebus, quę erunt vberrimæ, vel in argumētis, vel in ijs partibus, ad quas digredi sæpe oportebit: ita momenti aliquid afferet, cùm erit penè ex intima causa deprompṫum, & apparebit illud non modo

do esse commune, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quæ tum agatur, defluxisse. Quare in hac causa exordium trahi potest non modo à dignitate, vtilitate, atque facilitate tuendæ religionis, sed ex ijs etiam locis & argumētis, quæ ad confirmandum sunt præcipua, quæ non est necesse hoc loco nominari, cum insint in superiori probatione, & nota cuiuis esse possint, ex tractatu quinto.

Argumentum controuersiæ suasoriæ pro domestica institutione contra publicas scholas.

SEntentia exordij hæc erit, etsi negotijs familiaribus impeditus vix satis operæ Reipublicæ dare possum, tamen cùm res tanta in disceptationem adducatur hoc tempore, quanta multis annis in quæstione versata non est, non potui communem vtilitatem priuatis cōmodis non anteponere. Quapropter cura rei familiaris paulisper deposita in vestrum conuentum honestissimum & grauissimum veni, ne in tàm graui re mea, hæc, quæ nunquā Reipub. defuit, quantacūq; est industria, hoc potissimum tēpore desiderari posset.

Propositio.

AVdio ad vos esse relatū de liberis instituendis, Respro fecto est dignissima, quæ in consultationem proponatur: agitur enim non de stillicidijs, non derutis & cæsis, sed de vestrorū liberorum institutione, hoc est de totius Reipublicæ salute, quocirca non petam loco hoc à vobis, vt me de re tanta dicētem benignè, attentèque audiatis, sed vt sententiam meam, quam accersitus & rogatus à vobis exposuero, æquis animis, & recto iudicio perpendatis.

Ponitur igitur quæstio, Vtrùm vtilius domi, an in scholis pueri erudiantur. Equidem cùm censeam multó satius esse intra priuatos parietes studentes continere liberos, quàm scholarum frequentiæ, & publicis præceptoribus tradere: meam sententiam rationibus & auctoritate probabo.

Prima ratio, in schola faciliùs corrumpuntur pueri propter turbam hominum eius ætatis, quæ ad vitia est suapte natura procliuior. Vnde causæ turpium factorum sæpenumero extiterunt, & existunt quotidie. Confirmatur hæc ratio, collatione, seu à simili. Nam sicut grex totus in agris vnius scabie inficitur ac perditur, vt egregiè dictum est à Poeta Satyrico, sic vniuersus adolescentium cętus, vnius vitiosi pueri contactu, ac consuetudine corrumpitur ac deprauatur, propterea

quòd illa ætas quæcunque viderit, vel audierit, imitari gestit. Augeatur ratio per Epicherema cum expositionibus ex tractatu octauo, capite primo & sexto.

Secunda, vnus præceptor, quisquis ille futurus est, magis vacabit vni, quàm multis, & liberaliùs tempora sua impensurus est vni, quàm si eadem partiatur in plures. Confirmatur hæc secunda ratio, quid causæ putamus esse, cur tam parùa in scholis fiāt literarum operæpretia, tàm exigui in eruditione progressus, tā tenues denique doctrinæ fructus colligantur? Quare etiam si studijs scholæ prodessent, cùm tamen moribus noceant, potior ratio honestè viuendi, quàm vel optimè dicendi videri debet, & anteponenda est probitas eloquentię, cùm pręstabilius sit, atque optabilius bonū esse, quàm doctum.

Tertio loco agendum est auctoritate eorū, qui malunt suos liberos domi institui, quâm publicis Doctoribus committere. Quotus quisque enim ex locupletibus & nobilibus patribus familias est, qui suis liberis idoneū pædagogum atque institutorem comparare atque adhibere non studeat.

Quartò, doctisimus ac sapientissimus quisque hanc sententiam probat, tuetur, confirmat.

Postremò, si conferatur vtrorumque profectus, reperietur domestica institutio, longè vtilitate atque emolumento publicis scholis præstare.

Peroratio.

PEroratio contineat cohortationem parentum, quos obtestabimur, vt si suos liberos bene moratos, beneq; institutos; si patriæ optimos & sapientes ciues efficere: si rebus domesticis, si priuato commodo atque honori, si communi vtilitati, si denique vtilitati atque ornamento consulere velint, eos intra priuatos parietes, optimis magistris erudiendos, informandosque committant.

Pro publica schola contra domesticam institutionem exordij sententia.

NVnquam ego de illorū, qui ante me dixerunt, vel probitate, vel in Rempublicam studio & charitate dubitaui: iudiciū etiam atque consilium, prudentiam, sapientiam tantam illis concedo, quantam illorum ætas, vsus exercitatio, diligentia, industria, ingenij denique bonitas atque præstantia postulat. Licet autem eos mihi in his rebus omnibus anteponam, fieri tamen potest, vt melior & ciuitati nostræ vtilior sententia à me proficiscatur; in hac dumtaxat re, quæ hodierna die in deliberationem adducitur; neque

tamen id mihi arrogo; neque á vobis peto, vt in meam potius, quàm in aliorum sententiam veniatis. Esset enim hoc insignis arrogantiæ atque impudentiæ, cuius etiam suspicionem à me longissimè abesse cupio. Sed faciam id solùm, quod est boni ciuis, & modesti hominis, vt primum meam de tota re sententiam breuiter exponam, atque confirmem, deinde eorum, qui contra sentiunt rationes refellã: vestrum erit iudicium perpendere, quis melius consilium afferat.

Confirmationis loci, quorum nonnulli ex Quintiliano.

PRimus, ante omnia futurus orator, aut Iurisconsultus, aut Medicus, aut Theologus, quorũ vnicuique in maxima celebritate, & in media Reipublicæ luce viuendum est, assuescere debet iam inde à teneris annis non reformidare frequentiam hominũ neque illa solitaria, & velut vmbratili vita pallescere.

Secundus, secretis studijs mẽs quæ semper excitanda & attollenda est, languescit, & quendã velut in opaco situm ducit, aut contra tumescit inani persuasione. Necesse est enim sibi nimiũ tribuat, qui se nemini comparat. Hoc cùm posteà in medium, atque in publicum prodierit, verissimum esse perspicitur: proptereà quod quodam modo caligant in Sole, & omnia noua offendunt, quippè qui in solitudine didicerunt, quod in cœtu faciendum est.

Tertius, longum est publicæ huius institutionis cõmoda persequi, quot enim amicitiæ contrahuntur in scholis ad extremã vsque senectutem perduraturæ, religiosa quadam necessitudine imbutæ.

Quartus, sensum ipsum, qui cõmunis dicitur, vbi puer, seu adolescens discet, cùm se à congressu, qui non hominibus solùm, sed multis quoque animalibus est à natura tributus, segregauerit? Vbi prudentiam humanæ vitæ magistram percipiet? Cum se ab hominum consuetudine, conuentuque seiunxerit.

Quintus, domi ea tantùm discere potest, quæ ipsi præcipientur, in schola etiam quæ alijs præscribuntur, audit multa quidem probari, multa corrigi ex omnibus emolumentum ad suam rem deriuabit.

Sextus, proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria, laude excitabitur æmulatio, turpe erit cedere pari, pulchrum superasse maiores; etenim tales publica schola pueros requirit, vt ait Quintilianus, huiusmodi tyrones sapientia postulat quos laus excitet, quos gloria iuuet, qui victi fleant: hi demùm ambitu erunt alendi, hos mordebit obiurgatio, hos honor vrgebit, in his non erit metuenda de-

ſidia. Accendunt omnia hæc animos, & licèt ambitio ipſa ſit vitium, frequenter tamen cauſa virtutum eſt. Refert idem Quintil. vtiliſsimũ à ſuis præceptoribus ſeruatum eſſe morem, qui cùm pueros in claſſes diſtribuerant, ordinem dicendi ſecundùm vires ingenij dabant: & ita ſuperiori loco quiſque declamabat, vt profectu procedere videbatur. Huius rei iudicia præbebantur, ea diſcipulis ingens palmę contentio, ducere verò claſſem, hoc eſt principẽ eſſe ſui ordinis multò pulcherrimum. Neque verò de hoc in perpetuum decretum erat. Triceſimus dies reddebat victo certaminis poteſtatem. Ita nec ſuperior ſucceſſu curam remittebat, & dolor victum ad depellendum ignominiam concitabat. Id autem adoleſcentibus acriores ad ſtudia faces ſubdere, quàm exhortationes docentium, pædagogorum cuſtodiam, vota parentum quis non intelligit?

Septimus, condiſcipulorum facilitas accommodatior iucundiorem facit imitationem: nam ſicut firmiores in literis profectus alit æmulatio, ſic incipientibus, atque adhuc teneris, condiſcipulorum imitatio, quia facilior eſt quàm præceptoris, iucundior, ſuauiorq; ſentitur.

Octauus, quid verò de ipſo præceptore dicemus? An putemus eum tantùm ſpiritus, mentisque concipere, aut eaſdẽ vires effundere poſſe ſingulis præſentibus, quas in illa celebritate audientium experire, atque exercere conſueuit. ¶Refutatio deinceps adijcienda eſt in hunc modum. Prima ratio aduerſarij ſic infringitur: corrumpi mores in ſcholis putant, & verè vt dicam, corrumpuntur, ſed domi quoq;. Neque deſunt eius rei exempla, quæ tàm læſam, quàm conſeruatam vtrobique opinionem, indolemq; declarant. Tota hæc res natura cuiuſque, curaque diſtat. Nam ſi pueri mens ad deteriora ſit facilis & procliuis, ſi negligẽtia formandi, cuſtodiendique in ætate prima pudoris accedat; profectò non minorem flagitijs occaſionem ſecreta prębebunt: nam & turpis poteſt eſſe domeſticus ille pręceptor atque flagitioſus, nec tutior inter malos famulos, quàm intèr ingenuos, propinquos & domeſticos parùm modeſtos, conſuetudo eſt & familiaritas. At ſi bona ipſius indoles, ſi non cæca & ſopita parentum ſocordia eſt, & præceptorem eligere integerrimum atque optimum quemque, & diſciplinã, quæ maximè ſeuera fuerit; licèt & nihilominùs amicum grauem virum, aut fidelem famulum lateri filij ſui adiungere, cuius aſsiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur. Hic interſeratur parentum reprehenſio, qui cum poſsint

hoc turpium præceptorum metu se liberare, & quidem facili remedio, tamen ipsi liberum suorum mores plerumque perdũt, infantiam statim delicijs soluũt, vnde mollis illa educatio (quã indulgentiam vocant) neruos omnes & mentis & corporis frãgit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris, atque auro repit: nondum prima verba exprimit, & iam cocum intelligit, iam conchilium poscit, iam ensiculum requirit, iam sericum postulat: in lectulis, atque in sinu crescunt: si terram attigerint, è manibus vtrinque subsistentium pendent: si quid licentius dixerint, tùm demùm verè gaudent parentes. Verba ne Alexandræis quidem olim permittenda delicijs, risu & osculo excipiunt; nec mirum parentes docuerunt, à parentibus audierũt, parentum amicas, concubinasq; intuentur, omne conuiuium obscœnis canticis strepit (pudenda dictu) spectantur; fit ex his consuetudo, deinde natura: discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse, inde soluti & liberi non accipiunt. E scholis, sed in scholas afferunt. Prima igitur ratio istorum, seu causa ad scholas non pertinet, & in ipsos potius retorquetur, cùm pueri licentia parentum corrupti domo, malos mores afferant, qui tamen præceptoris probi & grauis vigilantia corrigi queant, qui præceptor vt talis sit, multis vndique stimulis vrgetur. Cùm domesticus ille maiori securitate turpitudinem domi exercere posset. Secunda ratio planè falsa est, cum contra optimus quisque præceptor maiori theatro & frequentia accendi soleat. At verò minores ex conscientia suæ infirmitatis hærere singulis: & officio fungi quodammodo pædagogorum non indignum ducunt. At præstet aliquis vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, vt doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat, num tamen ille totum in vno diem consumpturus est? Aut potest esse vlla tàm perpetua discentis intentio, quæ non vt visus oculorum obtutu perpetuò fatigetur? cùm præsentibus præceptor assistit, quorum vniuscuiusque interuentus impedimento est. Lectio quoque non omnis, nec semper præeunte vel interpretante indiget. Quando enim tot auctorum notitia cõtigeret? Ergo modicum tempus est, quo in totum diem, velut opus ordinetur, ideoq; per plures scire possunt, etiã quæ singulis tradenda sunt. Pleraque verò hanc conditionẽ habent, vt eadẽ voce ad omnes simul perferantur. Taceo de declamationibus, quibus certè quantus quisq; numerus adhibeatur, tamen vnusquisq; totũ feret. Nõ enim vox illa præceptoris,

vt cœna minus pluribus ſufficit, ſed vt Sol vniuerſis idem lucis, caloriſq; largitur. Grãmaticus quoque de ratione loquendi ſi diſſerat, quæſtiones explicet, hiſtorias exponat, poemata enarret, tot illa diſcent, quot audient. ¶ At emendationem, prælectionemq; præceptoris diſcipulorum numerus impedit. Sit incõmodum (nihil enim eſt quod ferè vndique placeat) compara illud, atque compenſa cum multis commodis, quæ antea cõmemorauimus. Nec ego tamen eo mitti puerum ſuadeo, vbi negligatur, ſed neque præceptor bonus maiore ſe turba, quàm vt ſuſtinere eam poſsit, onerauerit. ¶ Tertia ratio refellitur auctoritate eorum, qui malunt ad publicas ſcholas liberos ſuos mittere, quàm domi erudire, ac pędagogis tradere. Et ſi in vtramque partem valet hæc ratio, multò maior hominum pars, qui ſcholas pędagogio præferunt, nobiſcũ facit. Quid quod noſtra ratio, atque ſententia, illorum quoque auctoritate probatur, qui priſcis temporibus in literis, & doctrinarum varietate maximè floruerunt. Hoc idem denique placuit ſummis illis viris, à quibus clariſsimarum ciuitatum mores ſunt inſtituti, vt Licurgo Lacedæmoniorum Principi, & legislatori, qui ſtatuit in ſua Republica pueros in cœtu & frequentia eſſe potiſsimum erudiendos. Quod quidem Xenophon grauiſsimus auctor teſtatum reliquit. Neque verò Pontifices & Reges, cæteroſque diuerſorum populorum, ac gentium Principes exiſtimare debemus, ea tantùm de cauſa ſtudioſorum collegia inſtituiſſe & annuis vectigalibus locupletaſſe, vt multorum egeſtati atq; inopiæ ſubuenirent, ne videlicèt præclaris ingenijs ad eruditionẽ ac ſapientiam aditum rei familiaris anguſtia intercluderet. Sed hoc quoque, & multò maximè illos vidiſſe, ac prouidiſſe neceſſe eſt, vt in conuentu ac cœtu ſtudioſi adoleſcentes honeſta æmulatione ad diſcendum concitarẽtur, eaque omnia emolumenta perciperent, quæ ſcholarum frequentia, cœtuſq; ſuppeditat.

Epilogus.

QVamobrem ſi vobis probata eſt noſtra ſententia, Auditores ſapientiſsimi, ſi & contrà ſentientium rationes iacẽt, & nõſtrę cauſæ argumenta, præſidiaq; ſtant, & quidem firmiſsima, ſi tot ſunt publicæ inſtitutionis commoda, vtilitates, &c. Si quidquã apud vos momenti habent, tot ſapientiſsimorum hominum, illuſtrium virorum, Principũ, populorum, ciuitatum exempla, auctoritates, iudicia, nolite per Deũ immortalem committere, &c. Si tanta eſt bonorum magiſtrorum copia, ſi tanta ex Conciliorum decretis, diſciplina, ſcholarũ ſerua tur,

tatur, si vrbis, vestrorum liberorum existimatio, fama, eruditio, institutio, salus chara est, &c. Cordi est, &c. Date quæso operam, elaborate, contendite, &c.

Sententia Iudicis.

EXordij capita erunt. Primò laudare consuetudinē hanc. Secundò proponere controuersiam. Tertiò explicare contrarias sententias. Quartò exponere rationes vtrarumque partiū. Quintò declarare munus prouinciæ mihi susceptæ, cum explicatione eius officij, vt veritatem definiat, seu cum deprecatione inuidię, superbiæ, arrogantiæ, &c. A quibus omnibus vitijs me obedientia vindicare debet. Sextò demum aggredi, & primò laudare, & probare vtramque sententiam, vt honestam, & vtilem Reipublicæ, si modo ita intelligatur, vt pueri Abecedarij, qui prima videlicèt elementa discunt. Si cōmodum est, hoc est, si res familiaris patitur, seu copia docentis alioquin adsit, domi contineātur, vbi cura, studio, vigilātia, vel nutricis, vel parentum, vel pædagogi, vel aliorum domesticorum tātisper erudiantur, dū idonei sunt ac maturi publicis scholis, quibus tum demum committi debent, vel committendi sunt. Ac præceptor sit, primum vir bonus, atque integer. Deinde peritus ac doctus. Tertiò, docendi gnarus cum quadam dexteritate. Quartò, prudens, consideratus, circū-spectus, qui meritò & ametur, & timeatur à discipulis, quiq; non maiore se turba discipulorū obruat, quàm vt suo officio satisfacere, & discipulorum profectui consulere possit ¶ Hoc loco adhibenda est reprehēsio optimatū, qui sibi parum honestum, vel turpe ducūt ad publicas scholas suos liberos mittere, verentes, ne si id facerent, in auaritiæ, aut tenacitatis suspicionem venirent, quam vt fugiant, malunt domestico vti pædagogo, cuius tamen sæpè, vel turpitudine, vel imperitia fit, vt pueri corrumpantur, & ad scelus & flagitium alantur, & confirmantur, & multorum amorum tyrocinio & institutione nihil ferè, aut parum addiscant, nisi fortè aliquo ex tēpore iussi memoriter carmina recitare, ad speciem atque pompā magni profectus. Hæc enim ferè est istorum pædagogorum institutio ac ratio, vt nullo iudicio temerè ea explicent pueris, eosq; auctores interpretentur, qui vel corrumpunt illorum mores sua obscœnitate, vel difficultate, atque obscuritate tenera ingenia obruunt & retardant, &c.

Pro epilogo hortādi sunt parentes, vel ciues, vt suos liberos, dum tempus atque ætas fert, intra posties erudiāt. Posteà ad scholas traducant, atque ad eas maximè, in quibus discipulorum frequentiæ, ac multitudini & diuer-

sitati,

ſitati; numerus magiſtrorum, diuerſitas claſsium, inſtitutionis ordo reſpondet, vbi etiam inter ſe claſſes committuntur & componuntur ad literarias concertationes, & æmulatione animos dicẽdi ſtudio inflammandos.

Declamatio, in doctrinæ ſtudium vituperatio pro diſſuaſione.

EXordium. Quò maiori in pretio eſt artiũ doctrina, eò magis à prudentibus viris, bonisq; ciuibus eius incõmoda ſunt demonſtranda. Res namq; pretioſæ quò vehementius amãtur, eò maiorem afferunt calamitatem. Sæpè dolebam, P. C. cum inani quadam voluptate, litetarum capta iuuentute Remp. ruere viderem, negligi militarem diſciplinam, contemni ciuium gubernationẽ, non arma exerceri, nõ Magiſtratum peti. Quare ſtatui hac oratione tanto malo mederi, ſi fortè Reſpublica in antiquum poſſet ſtatum reſtitui. Mihi verò eo maiorem fidem habendam eſſe exiſtimo, quòd nihil ſim dictuius, niſi expertus. Hæc per inſinuationem dicenda ex tract. 5. cap. 3.

Confirmatio.

PRimùm confirmanda eſt moleſtia audiendi, legendi, addiſcendi, pernoctandi vſque à prima pueritia, perferẽdi magiſtrorum obiurgationem, plagarũ crepitus, quam ſeruitutẽ non modo miſeram, ſed etiam ciuitati calamitoſam eſſe oſtendas. Dices enim hinc naſci podagras, hinc oculorum diſtillationes, hinc capitis dolores, hinc ſtomachi vitia, & morbos inſanabiles, extenuari corpus, contabeſcere iuuentutem, priuſq; mori pueros, quàm adoleſcant. Adhibeatur cõparatio diſsimilium, veteres Romani legibus ſæpè ciuium paucitati ſuccurrerunt, noſtri verò quos habent liberos, non ad ſpem patriæ, ſed ad iniuriã ipſius produũt.

Dices, gaudere te hanc primã ingreſsionem tuam ſilentio fuiſſe auditam, orareq; vt cætera maiore alacritate audiant, nec dubitare, ſi id fecerint, quin oratio tua ſit patriæ ſalutẽ allatura. Multas enim res magnam adiunctã habere moleſtiam & laborem, vt armorum diſciplinã, & Magiſtratuum functiones, ſed eas tantum fructus in ſe habere, vt omnis ille labor ſit iucundus. Hìc explicandi ſunt diligenter & militaris, & ciuilis vitæ labores, deinde vtilitates, hanc verò peſtẽ, hoc eſt ſtudium, tàntùm habere difficultatis, vt etiam ſi ſuauiſsimos fructus afferret; non tamen magni facienda videatur, imò eandẽ tãta calamitate opprimere ciuitates, vt etiãſi diſci poſſet abſq; labore, fugi tamen, & procul amoueri oporteat. Hic exaggeranda ſunt mala, quæ docti homines Reipublicæ intulerunt, cũ apud Græcos, tùm apud Romanos. In Græcis vtendum eſt exemplis,

Phi-

Philosophorum, quorum dispu tationibus non solum varijs, sed etiã perniciosis, à rebus gerendis ad otium auocata iuuentute, interitus Græciæ cõsecutus est. Hoc enim assecuti sunt Greci, opera philosophorũ, vt qui principes omnium gentiũ fuissent: ijdem postea ad significandam summã leuitatem, perfidiam, & omnes malas artes exempli causa proponerentur. Meritò igitur à Lacedæmonijs omnes magistri istarum eiecti sunt è ciuitate. Quod si quidem fecissent Athenienses, non tàm breuiter illorum esset lumen extinctum. In Romanis vtendum est exemplis Gracchorum, item Sulpicij, Antonij, Ciceronis denique, & similium. Dices vna cum præclarissimis artibus Romanos à Græcis improbos mores, & nefarias vitæ leges accepisse, nec minus illorum exitum esse sortitos. Ex quo ille sapiens M. Cato aliquando ex vrbe philosophos omnes eijcere conatus est. Prudenter L. Crassus dicẽdi magistros ex vrbe sustulit: horum autem instituti si reliqui Romani paruissent, etiam nunc Rempublicam fortasse saluam & incolumem haberent: sed qui Græcorum doctrinas acceperunt: videte quam longè absit à pristina sua gloria. Hic exclamandum est cum admonitione, tantam esse vim & perniciẽ, tantam in hominibus amentiam, vt eas bonas artes vocent, quæ omnes Respublicas florentissimas euerterunt. Eant nunc, ediscant istas artes egregias timendum est, ne quorum sequuntur vestigia, eorum casus experiantur. Dehortabimur ex tractat. 3. cap. 7.

In doctrinæ studium laudatio pro suasione, Exordium.

Existimare te dices miratos esse magis auditores temeritatẽ eorũ, qui doctrinã pulcherrimũ Dei donum vituperarũt, quã damnasse: nam etsi qui dixerunt studio Reipublicæ videntur dixisse, solutiq; sint crimine improbitatis, teneri nihilominus magna culpa erroris humani, ideo bono te animo ad dicendum accedere, cum speres illos ipsos, qui tàm acriter in Reginam humanarũ rerũ sunt inuecti, re cognita sententiam esse mutaturos: iam ante sæpè te perturbatũ fuisse, cũ neminẽ existere videres, qui rẽ vnã ex omnibus præstantissimam, ac de mortalibus optimè meritã debitis laudibus ornaret: nunc verò te gaudere & triumphare, eã tibi occasionẽ esse oblatã, vt tuum sapientiæ studium antea in pectore inclusum in lucẽ proferre, & rerũ publicarũ parentis, atq; Imperatricis Sapientiæ laudes, si minus ornare dicẽdo percẽsere certè numerãdo possis.

Confirmatio.

Primũ sapiẽtiæ antiquitas, quæ nõ à Latinis, nõ à Græcis, nõ ab Ægyp-

Ægyptijs, non à Chaldæis orta est, sed vna cum hominibus nata. Hic dices de Adami omniũ parentis sapientia, non studio comparata, sed diuino munere donata, qua cùm ille factus fuerit, vt omnibus animantibus, cæterisq; rebus præesset, vnicuiq; rei suum nomen imposuit ipsius naturæ accommodatum.

Comparatio instituetur cum arte militari, cum ratione agri colẽdi, cæterisq; rebus generis eiusdem, quę si tot seculis post inuẽtę, magno tamen in pretio habẽtur, quantò pluris facienda est cognitio rerum, qua nec genus quidem hominum sit antiquius. Cõparationem augebis ex tract. 1. cap. 10.

Hîc excitandi sunt animi Auditorum, rectè eos facere, quod doctrinę laudes tam attentè audiant, sed adhuc libentius audituros, vbi cognouerint eius auctorem, non ab aliquo mortali, sed à Deo ipso inuentam esse sapientiam, primumq; principi generis humani, & per eum nobis diuina liberalitate concessam; itaque rectè à Platone Philosophiam esse dictam diuinum donum, quo maius neque datum vnquam hominibus, neque tribuendum ille arbitraretur. Comparetur cum illis artibus, quas constat ab hominibus inuentas, quibus tantò propè dices præstare sapientiã, quantò Deus hominibus antecellit, quod si neque ea esset antiquitas, neque is auctor, tamen sapientia tantum habet in se ipsa splendoris, tantum iucunditatis, vt longè rebus omnibus antecellat.

Secundò demonstranda est dignitas propria ipsius, ex hominis natura: cùm homo natus sit non ad corporis voluptates, sed ad cognoscendum & agendum, ad vtrumq; munus fungendum: ornat & instituit sapientia, cuius altera pars ad cognitionem rerũ, altera refertur ad actionẽ. Rerum, altera refertur ad actionem. Deinde ex eo quod cum in homine nihil sit mente diuinius, huius ipsius mentis lumen & decus est sapientia. Comparatio instituetur cum auro, gemmis, cæterisq; corporis ornamentis; quibus tanto potiorem illam dices, quantò mens sit præstantior corpore.

Tertiò ostendenda iucunditas, quæ capitur ex cognitione rerum, sapientiam enim omnia diuina & humana ponere ante oculos: si quis ex sublimi specula, aut ex illis orbibus cœlestibus omnem hunc ornatum intueri posset, scilicèt terras, & in his maria, fontes, flumina, pisces, gemmas, in aere aues, tonitrua, fulmina in cœlo stellarum tùm errantium, tum fixarum constantes motus, singularumq; rerum causas efficientes, proprietates, quàm iucũdum illud spectaculum futurum esset? Quid si supra cœlestes ciues

ues diuino numini subiectos, mẽtes illas singulares, cœlestiumq; omnium cœtus, & Elysios, atque adeò diuinam illam, supernamq; naturam suspiceret? qua tandem voluptate compleretur? non minor propè iucunditas est sapientiæ, hæc enim sapientes meditantur, hæc cogitant, hæc animo cernunt; omnes prętereà Respub. omnia Regna, omnes ciuitates, omnium temporum varietatem, omnem dissimilitudinem rerum quid in quaque re ius sit, quid iniuria, quid honestum, quid turpe, vno quasi mentis aspectu intuẽtur. Quare quid admirabilius, quid gratius esse potest? Comparabitur hęc voluptas cũ ea, quæ ex ludorum spectaculis percipitur, vbi pauca, nec tamen plura, tanquam perfecta proponuntur & inspiciuntur.

Postremò fructus declarabitur quod sapientia fuerint Respublicæ omnes constitutæ, vt Athenę à Dracone, & Creta à Solone; Lacedæmonia à Licurgo, & Roma à Numa primùm, deinde à Seruilio, tandem à Decem viris legũ ferendarum, qui Atheniensium leges, instituta, & iura Latinè explicarunt, & ad suam ciuitatem paucis additis & detractis accõmodarunt, & in tabulis duodecim populo publicè exposuerunt. Hic tractandus est locus, quanto plus efficiat sapientia in regendis ciuitatibus, quamuis robur & arma ex Ciceron. 1. offic. Hæc illius exemplo illustret in coniuratione Catilinæ opprimẽda: itaque rectè Plato illam Rempublicam ait beatam fore, in qua aut philosophi imperent, aut qui imperant philosophentur. Salomon non à Deo robur, sed sapiẽtiam postulauit, vt benè Regnũ administrare posset, quia sine sapientiæ lumine grauiter delinqueret Princeps. Denique cùm non arma solùm valeant in bello, nullum Reipublicæ gerendæ tẽpus sapientia vacare debet: nam ne in bello quidem vis armorũ, & corporum quidquam iuuat, nisi sapientium consilio gubernetur, ergo omnes ferè pręstantes Imperatores ferè doctissimi apud Græcos. Themistocles, Pericles, Alcibiades, Dion, Alexander Magnus. Apud Romanos, M. Cato Senex, Africanus Minor, Cælius, Cato Maior, Quintus Catulus, Cato Vticensis, Lucius Lucullus, Cæsar Augustus. Itaque sapientia Athenienses ad tantam & bellicam, & ciuilem gloriam peruenisse dices: eadem Thebanos, victis Atheniensibus, opes amplissimas nactos esse, pari ratione Lacedæmones ad Oceanum vsque penetrasse: ijsdem præsidijs Romanos Imperium omnium gentium adeptos esse, neque nunquam eorum populorum gloriam extinguendã fuisse, si qua sapientia fuerunt Imperium consequuti, eadem etiã gubernassent, & nisi ambitione, aua

ritia, libidine, quæ maximè sunt inimicę sapientiæ, tantæ, totq; populorum opes concidissent: idquo magis admirãdum dices, idque non sine exclamatione, sapientia sola sine armis tàm præclara fieri, armis autem sine sapientia nihil: huius autem tutela, pax, publici mores & priuati, leges, instituta, fortunæ, vitaque ciuium omniũ continetur. Hinc iure à maioribus nostris omniũ bonarum artium procreatricem esse appellatam. Hæc varianda sunt figuris interrogationis vim habentibus, & definitionibus, ex tract. 9. par. 2. cap. 2. & 7.

Dices præterea, nullam artem esse vtilem ad vitam, quæ non sapientiæ præsidijs nitatur, præsertim ex his, quibus homines ad humanitatem informantur, ideò meritò hanc liberalem & ingenuam esse dictam, quæ homines esse doceat liberos atque ingenuos. Concludes orationem, collaudans nostrorum hominũ studium, & ardorem in discendo & polliceberis quandiu hæc floreant, nunquam defuturos amantes Reipublicæ ciues. Succedet indignatio in auersarios, ex tractatu 6. cap. 11.

Virtutem præstabiliorem esse scientia, prosuasione. Rationes probandæ quæstionis.

PRima, id omnes esse melius arbitrantur, vbi plura & maiora dona coniuncta sunt, atqui virtuti omnia hæc magna & amplã bona finitima sunt & propinqua otium pax, mentis tranquillitas, placatus animi status, mentis sanitas, virium firmitudo, corporis integritas, vita demùm iucunda, atq; honestissimæ voluptatis plenissima, quæ omnia videntur longius abesse à scientia.

Secunda, quã est id ad virtutis commendationem insigne, quod à summis philosophis sæpissimè verissimèq; semper est disputatũ, qui vnã habet virtutẽ, eũ omnes habituũ: quo quidem necessitudinis vinculo, artium doctrinæ atque disciplinę, nequaquam constrictæ tenentur, cũ genus vnum scientiæ alterius opẽ & præsidia non magnopere requirat.

Tertia, & verò cùm à sapientibus definita sit virtus esse in se perfecta, & ad summũ perducta natura quis dubitet, vtrũ doctrina præstet virtuti, an secùs, cum nulla difficilis esse videatur in cõparatione ratio iudicandi.

Quartò, nemo id vnquã dubitauit, laudis fructũ, atq; mercedẽ gloriæ vni esse virtuti persoluẽdã, & eũ gloria maximè excellere, qui virtute plurimum præstitisset.

Quinta, replicemus annalium memoriã, omniũ ætatũ secula cognoscãtur, plurimos doctrina pręstantes reperiemus, turpissimos, sordidissimos, omnibusq; infamiæ maculis notatissimos fuisse; at honestissimos homines, & frugi,

gi, in gloria semper vixisse, & in omnis posteritatis esse memoria atq; prædicatione versatos.

Sexta, in acerbioribus vitæ casibus, in insolētis fortunæ temeritate, in cōstantia & asperitate, in cæterorū malorū tempestatibus atq; procellis, frustra (mihi crede) sapientiæ nomē implorabis, sed ipsa tamen virtus presto aderit, nec te sæuissimis tēpestatis fluctibus obrui sinet.

Septimò, tolle ex hominū cœtu virtutē, tolles Rerūpublicarū administrationē, quæ iustitia & æquitate iuris regūtur; tolles disciplinæ militaris bellicam laudē, quæ virtute, id est fortitudine alitur & excitatur; tolles vitæ cō munionē atque societatem, quæ sine virtutis commercio nulla ratione constare, sine tanta magnitudine sapientiæ tutissime esse possunt.

Octaua, omnes qui vllā partē mentis tenent, fatebuntur libidinem atque improbitatem multò rem esse fœdiorem, quā mentis tarditatem, atq; inscitiam: ergò virtutis præstantia scientiæ atq; doctrinæ, grauitati longissimè antecellit: illud enim à Philosophis, magna, constantiq; ratione explicatur, id esse melius & optimum, cuius contrarium peius est atque deterrimum.

Nona, quòd si sola virtute quis niti potest, ad æternitatē, atque ad humanam fœlicitatem: quæ quidem nullum mortis fatum, nullam grauiorem interitus conditionem extimescit, viget ad æternitatem: non video quemadmodum non longissimo interuallo scientia virtuti proxima excedat, quæ nec satis præsidij habet ad immortalitatē, nec remanet post mortem, & perexiguo temporis cursu atque memoria terminatur. Alia suppeditabit argumentorum semina, tractatus 1. cap. 10. & tract. 3. cap. 2.

Loci de moderandis affectibus ad exhortationem & suasionem.

EXordium ducetur ab ipsa rei vtilitate, de qua dicendū est. Loci confirmationis erūt hi partim ab honestate, partim ab vtili.

Loci ab honesto.

AB honesto quidē primus locus à natura hominis erit, quæ natura rationē illi attribuit, in eum videlicèt finem, vt appetitum rationi obtemperantē præberet. Est itaque longè turpissimum, si te ita abijcias, vt inter te atque belluam nihil interesse videatur.

Quā indecorū, indignūq; si nobilitate, præstantiaque hominis, cupiditatibus effrenatis præcipitē agi, & huc atq; illuc ferri, rapique; cuiuscunq; nostrū iudiciū, tacitaq; cōscientiæ vis docet: cū eos, qui tā impotētibus, atq; imperiosis dominis cupiditatibus seruiūt, lōgè miserrimos, & teterrime cōditionis seruos iudicemus.

Ponite

Ponite quæso ante oculos iracundi hominis vitam, atque ira exciti actus, & intelligetis eum humanam naturam exuere, & in belluam degenerare. Licet autẽ eodem modo, cæteras etiam animi perturbationes considerare, earumque effecta singula animo intueri, scelera omnia: ex quo fõte quæso, nisi ex his animi affectibus, & permotionibus, & tempestatibus oriuntur. Quo fit, vt quo quisque maioribus perturbationibus, & harum procellis agitatur, eò grauioribus vitijs ferè obnoxius deprehendatur. Quapropter eximia laude virtutis, atque gloria digni sunt, quorum studia, curæ, vigiliæ in eo elaborant, vt rationi appetitus obediat, & indomitarũ cupiditatũ impetus rationis fręno coerceãtur.

Loci vtilitatis.

PRimò, animi trãquillitas, quæ tum demùm contingit, cum oppressis domesticis hostibus pacatam hanc internam Rempublicam virtutibus exornamus, & rationis iugo atque imperio & legibus temperamus, non modo animo, verumetiam corpori, neque singulis tantùm hominibus, verumetiam vniuersis ciuitatibus, Rebuspublicis, Regnis, perquam vtilis est ac salutaris. Quod vt planum fiat, cõtemplare priuata, & publica incommoda, damna, mala, clades, calamitates, intestinas discordias, bella ciuilia, cædes, furta, sacrilegia, cæteraque flagitia. Videbis omnia ex his animi pestibus proficisci. Namquę vis alia Græcos aduersus Troianos armauit, nisi libido Paridis? Quid Rempublicam florentissimam euertit, nisi dominãdi cupiditas?

Censetis nè, hisce cupiditatibus dominantibus posse quemquam aut quietè frui, aut animi libertate? fieri non potest? Si enim æstues odio, tabescas inuidia, ira exardescas, timor, trepidatio, tremor opprimat atque agitet, quo pacto aut quietum, aut liberum te esse arbitraberis?

Hinc materia, atque occasio, perquam opportuna existit, vt vel gloriã, vel ignominiam, laudem, vel dedecus, æternam denique aut beatitudinem, aut supplicium consequamur.

Summos viros, quos vel miramur, vel etiam summis laudibus prosequimur sanctos & admirabiles, profecto hæc vna res efficit: vnde omnis laudationis materia ducitur; eos aut imitemur nostra petit oratio. Quamobrem, &c. Aut ad epilogi sententiam transeatur.

Adhortatio ad Iustitiam.

POst exordium commodè subijcietur tripartita diuisio, vt ostendatur eius honestas, vtilitas necessitas, ac primæ quidem partis probãdæ ratio sumatur ex ijs locis. Quod nulla pars honesti magis naturam attingat humanam,

nam, quã iustitia: præterea quod vel sola, vel præcipua hominum cœtum & societatẽ seruat. Deinde si hæc suum vnicuiq; tribuit, si omnibus prodesse studet, nocet nemini, hoc nimirùm est hominis proprium, hoc ratio ipsa à nobis efflagitat atque contendit. Hanc nobis natura legem imposuit, vt quod fieri nobis nolimus, alteri ne faciamus: & rursus officium, quod nobis præstari volumus, id nos alteri ne denegemus. Quid quæso excogitari potest inter homines pulchrius, aut cõstantius, quàm omnes æquo iure viuere? omnibus æquitatis normam præbere?

Ad confirmationem secundæ partis hi loci argumenta suppeditabunt.

QVis non videt humanæ societatis concordiam, rerũ publicarum incolumitatem, vrbium tranquillitatem, populorũ fœdera, gentium iura, bonarum artium studia, regnorum incrementa, Religionum pietatem, virtutum denique cultum, ex sola iustitia pendere? Quanta hæc & quàm latè patens existimanda est? Huius illa laus propria videtur, vt viri boni innocentes, & sancti, non fortes, non temperantes, nõ prudentes (et si his quoque virtutibus florent & antecellunt) sed iusti à iustitia nominantur. Huius sanè rei causa ea potest videri, quòd cæteræ virtutes iustitiã continentur, vt is demùm verè iustus sit, qui prudens quoque & fortis & temperans fuerit.

Tertiæ partis loci.

QVàm sit necessaria iustitia, docet hæc rerum vniuersitas, cùm omnia intra prçscriptos & præfinitos terminos contineri, & datam sibi à suo conditore legem seruare videamus.

Tolle iustitiam, nulla erit hominum societas, nulla Respublica stare poterit, nulla, nulla erit humana vita, atque vt inter feras vis sola dominabitur.

Postremò, si quç præmia huic virtuti præposita sunt, quis cogitet, fieri vix poterit, quĩn eius amore ac desiderio inflammetur? cùm præsertim tàm diris supplicijs iniustos & iniquos adijci, cõdemnariq; intelligant.

Ad capeßendam omnium bonarum artium doctrinam.

PHilosophiam natam esse vnà cum hominibus, aut potius generis humani parentibus diuino munere donatam ad posteros peruenisse certum est. Itaque à Platone diuinum donum appellatur, & ab antiquis poetis Musa, quo nomine doctrinã omnem comprehendebant: filia Iouis appellabatur, vt sapientiam non humanitus inuentam, sed diuinitus datam declararent. Efficit homines Deo similes doctri-

na, vnde à Platone sic definita est, *Est similitudo hominis cum Deo, quo ad eius fieri potest.* Hanc autem similitudinem tum esse perfectã dicit, si quis omnes philosophiæ partes, quæ tum actiones, tum confirmationes comprehendit, atque eum omni laude æmulatũ esse censuit. Vnde hæc philosophia duas sibi adiũctas ministras habet, Dialecticam & Rhetoricam, illam ad comprehẽdendam cognitionem rerum, hanc vt in lucem cognita proferantur: etenim longè esse aliam & diuersam naturam earum rerum, quæ affectione cernuntur, & earum quæ actione & scientia continẽtur, nec ad has vniuersas vnus & idem accommodatus esse potest, sed aliud requirit agricultura, ingenium, aliud Architectonica. Nam ad singula quæque opera non quilibet natus est, at qui ad diuinæ huius philosophię partem natus est, ad reliquas profectò non magis aptus, quam opportunus erit, nam si sutori nihil cum sartore, aut agricolæ cum nauiculario nulla societate communicant, at omnes philosophię partes naturæ quadam societate ita continentur, vt vna absque altera, nec dignitatẽ, nec præstantiam obtinere valeat.

Peroratio esse poterit, aut sumi ex fructu & vtilitate, quam huiusmodi scientiæ afferre solẽt, vna deinde cum adhortatione ad ipsas.

De cultu ingeniorum per bonarum & politiorum literarum studia, suasio.

Exordiũ ab honestate susceptæ materiæ, in qua afferenda & ornanda, & hominum mentibus infigenda optimus quisq; laborare debeat; vt homines vbi hac ratione cognouerint, in qua exercitatione & cõmẽtatione curã, operã, industriã, & tẽpus collocare conueniat, in eã omnes ingenij vires & neruos intendant, cæteris postpositis & abiectis humanæ naturæ præstantia prorsus indignis vel certè inutilibus studijs.

Propositio.

Nihil equidem æquè decere arbitror, quã optimarum & honestissimarum artium, & literarum cognitione animum & ingenium excolere.

Confirmatio.

Quorsum humanæ naturæ auctor hominibus quædã quasi scientiarum semina ingenerauit, ac cupiditatem cognoscendi inseruit, nisi vt illa labore & ingenio, & studio exculta adolescerent.

Hæc vna res est, quæ si recta ratione gubernetur Resp. tuetur atq; conseruat, ciuibus prodest, rudes ad virtutẽ instituit & informat, improbos & facinorosos ex aliorũ cœtu & societate eijcit & exterminat, errantes in rectã viam reducit: hęc denique nos ad cul-

cultum & admirationem rerum omnium auctoris traducit.

Tot labores, vigiliæ, curę, peregrinationes discendi studio susceptæ à præstantissimis viris, qui priscis seculis floruerunt, & immortalia posteris ingeniorũ suorũ monumenta reliquerunt: vos vehementer ad eadẽ doctrinæ studia excitare & inflãmare debẽt; nec minus accendere possunt tot tantiq; honores publicè & priuatim, vel habiti, vel delati, eruditis & doctis viris.

Quid aliud porrò sibi volunt apud diuersas gentes in tot florentissimis vrbibus, diuersis ætatibus tot extructa, maximeq; celebrata gymnasia: tot in quauis lingua per innumerabilia de mirabilibus Dei optimi maximi operibus & hominum inuentis conscripta, editaque volumina. Hæc omnia eiusmodi sanè sunt, quæ maximè ad cognoscendi studium nos stimulare & impellere debeant.

Peroratio per enumeratione͂, & acrem, & vehementem adhortationem.

Vituperatio eorum, qui fuga laboris abijciunt discendi diligentiam pro suasione & exortatione exordium.

EXordium extract. 4. ducendũ est à purgatione in hunc fermè modum. Reprehẽsurus illos, qui fuga laboris abijciunt discendi diligentiam. Primum à vobis deprecor, ne existimetis me studio maledicendi hoc argumentũ suscepisse, aut quòd existimem, vos esse ex eorũ numero, qui libenter alios vituperare cõsueuerunt. Deinde illud polliceor daturum me operam, vt huiusmodi reprehensio sit adeò cum vestra laude coniuncta, vt laudatio potius quã vituperatio videatur. Erit etiã vobis iucundũ atq; etiã vtile videre, quantum mali a negligentia oriatur: sic enim sciatis quantum boni à vestra diligẽtia existet, quæ ex vtriusque contentione magis elucescet, quod si Spartani ebrietatis turpitudine͂ interius ostendebant filijs, vt illam vitarent, cogitate futurum, vt vos vitetis hoc vitium aliorũ vitio perspecto: ita & cùm res ipsa per se audaciam faciat, vt oneris suscepti causa, meam erga vos arguat beneuolentiam, non vereor, ne rem tam vtilem ac vobis etiam iucundam beneuolè, & attentè audiatis.

Propositio.

PRimus locus ab vtili. Secundus ab insuaui. Tertius ab honesto.

Confirmatio.

PRimus locus ab vtili, quòd natura comparatum est, vt nihil boni sit, quod sine labore acquiri posſit, ita vt labor videatur pretium omnium rerum.

Iam hoc est amplificandum ex tract.7. & præcipuè ab effectis, quia qui otio pascitur, nihil boni sit effecturus, qui quasi sepultus in turpi quiete delitescet: otium sine literis mors est, & hominis viui sepultura. Non accuitur ingenium, & languescit industria. Hùc potes afferre amplificationem alteram ab exemplo gladij, nihil agendo malè agere discimus. Moueatur exemplum agrorum: hinc se otiosi homines in omne vitium præcipites abijciunt. Adijciatur aliud, fabulosum est quod dicã, sed quod sub fabulę integumento veritatem occultat. Cupido ad Musas prorsus non aspirat, cuius causa cùm quæreretur, respondit, quia nunquam eas inuenit vacuas.

Secũdus locus ab insuaui. Probatur hoc à contrario, nihil dulcius est, quàm scire: nihil igitur insuauius, quàm non dare operam vt scias. Pereunt omnes dies hominis inertis, scilicèt nullam verã & solidam gustant suauitatẽ, & quam gustare videntur, ea suauitas non est, quia aut ea maximo dolore condita est, aut eam dolor sequitur, vt voluptas breuis est, dolor ingens æternus. Homines ad agendum nati sunt, & mens agendo alitur: ita cœlũ sua motione semper in actione est: & omnia quæ infra cœlum sunt sunt in sua actione: quod si cœlũ non moueretur, maximo dolore afficeretur, si haberet sensum. Ita qui nihil agat, eum in perpetuo dolore esse necesse est. A cõtrario, à voluptate, qua perfunduntur homines literati, qui cõiungunt dies noctibus, qui moriuntur pene desiderio studendi & sciendi. Archimedes cùm venisset in iucundam rei inuestigationem, & tandem in balneo reperisset, vt erat nudus exilijt, & illud ingeminans inueni, inueni, omnes fecit voluptatis suæ participes.

Tertius locus à turpi & inhonesto. A contrario, nihil est honestius otio literali, nihil inhonestius inertia & socordia: nam qui iners est, homo esse desinit, & induit naturam bestię: quia bestia solùm ad id quod pręsens est se accommodat; hic homo iners tempora præterita negligit, tẽpora futura non prouidet: quia non est sapiens: igitur solùm attẽdit rebus præsentibus, vt haud sciam, an satius sit hunc non viuere, quàm viuere. Vidit hoc Lycurgus, qui legibus Lacedæmoniorum sanxit, vt liceret omnibus inertes accusare. Alterum exemplum. Athenienses fuerũt sapientes, qui conuiuij tempore antequam afferrentur cibi, quærebant à singulis, quid fecissent, qui nihil fecissent, excludebantur. Apostrophe ad hominem inertem, amplificatur eius turpitudo ab effectis, à comparatione cum æqualibus: cùm nihil sit illo peius in toto terrarum orbe,

quia

quia omnes aliquid agunt, tu nihil agis, nisi verò aliquid agere, est male agere. Excitetur verecũdia & pudor, ex tract. 6. de affectib. Et indignatio in negligentem. Epilogus. Peroratio cõcludatur esse vtile, suaue, & honestum laborare causa discendi, & cohortandi sunt, ex tract. 3. c. vltim. aut potius collaudandi, qui in literarũ studio, aut potiùs in laudis cursu, gloriæ cupiditate versantur. Lege tract. 5. cap. vlt.

De cupiditatum moderatione.

EXordium ducetur ab ipsa rei vtilitate, de qua dicendũ est.

Loci confirmationis erunt hi, partim ab honesto, partim ab vtili.

AB honesto primus, à natura hominis, quæ rationem illi attribuit, in eum videlicèt finem, vt appetitum rationi obtẽperãtem præberet. Est itaque longè turpissimum, si te ita abijcias, vt inter te atque belluam nihil inter esse videatur.

Quàm indecorum, indignũq; sit nobilitate, præstantiaq; hominis, effrænatis cupiditatibus præcipitẽ agi, & huc atque illuc ferri, vniuscuiusque nostrum iudicium, tacitaq; vis conscientiæ docet, cùm eos qui tam potentibus atque imperiosis dominis cupiditatibus seruiunt. Longè miserrimos & teterrimæ cõditionis seruos iudicemus.

Ponite quæso ante oculos iracundi hominis, atque ira perciti vultum & actus, intelligetis eum hominis naturam exuere, & in belluam degenerare. Licèt autẽ eodem modo, cæteras animi perturbationes considerare, earũq; effecta singula animo intueri.

Scelera omnia, ex quo fonte, nisi ex his animi permotionibus, ac tempestatibus oriũtur? vt quò quisque maioribus perturbationũ procellis agitatur, eò grauioribus vitijs ferè obnoxius deprehendatur.

Quapropter eximia laude virtutis & gloria digni sunt illi, quorum studia, curæ, vigiliæ in eo elaborant, vt rationi appetitus obediat, & indomitarum cupiditatũ impetus rationis fræno coerceantur.

Loci vtilitatis sunt hi.

PRimus, animi trãquillitas, quę tum demùm contingit, cùm compressis domesticis hostibus, paratam hanc internam Rempublicam virtutibus exornamus, & rationis imperio atque legibus temperamus.

Non solùm animo, verumetiã corpori, neq; singulis tantùm hominibus, verumetiam vniuersis ciuitatibus, Rebuspub. Regnis perquam vtilis est, ac salutaris: quod vt planum fiat, contemplare priuata, publicaq; incommoda, damna, mala, clades, calamitates, intestinas discordias, bella ciuilia, cędes, furta, incestus, sacrilegia, cæteraq; flagitia. Videbis

omnia ab his pestibus proficisci. Nam quæ alia vis Græcos aduersus Troianos armauit, nisi libido Paridis? Quid Rempublicam illam florentissimam Romanorũ euertit, nisi dominandi cupiditas?

Censetis nè istis cupiditatibus dominantibus quemquam posse quietè frui animi libertate? fieri non potest. Si enim æstues odio, tabescas inuidia, ira exardescas, timor, trepidatio, terror opprimat & agitet, quo pacto, aut quietum, aut liberum esse arbitraris.

Hinc materia atque occasio, per quam opportuna existit, vt vel gloriam, vel ignominiam, laudem, vel dedecus, æternam denique aut beatitudinem, aut supplicium consequamur.

Summos viros, quos vel miramur, vel etiam laudibus prosequimur sanctos & admirabiles profecto hæc vna res efficit: vnde omnis laudationis materia ducitur. Eos vt imitetur hæc nostra petit oratio. Quamobrem, &c. vt ad epilogi materiam transeamus.

Suasio Philosophiæ cum laude per vniuersos inuentionis locos.

PRimò à diffinitione, quæ est rerum diuinarum & humanarũ cognitio, fiat syllogismus.

Secundò, à partium enumeratione, nam tria expetenda, prudenter loqui, honestè se gerere, & rerum causas intelligere, quæ omnia philosophia habet.

Tertiò, à notatione; nam significat Philosophia sapiẽtiæ studiũ, disponatur ratio per enthymema.

Quartò, à coniugatis: si quis viuere philosophicè cupit, philosophiæ det operam. Quinto à genere, nã liberalibus artibus incũbendũ est, sed præcipuè his quæ antecellunt. Philosophia est quasi Regina aliarum. Sextò, à forma, si ciuilis scientia est expetenda, cũ sit pars philosophiæ, quòd magnos honores afferat, quanto magis tota philosophia, quę alias artes continet. Septimò, à similitudine; si quæ corpus adiuuant, & ornant studiosè quærimus: ita philosophiam, quæ animum exornat. Octauò, à differentia, non vt diuitiarum, sic etiam philosophiæ possessio est: illas fortuna eripit, huius stabilis est & firma possessio. Nonò; à contrario: insipientia totis viribus fugienda; quare philosophiæ danda opera quæ sapiẽtiam præstat. Decimò, à coniunctis: tranquillè viuere; nemini nocere, prodesse pluribus præclarum est, quę omnia philosophia donat. Vndecimò, si est philosophia magnum animi ornamentũ & perfectio, est expetenda: est autẽ summa perfectio, &c. Duodecimò, à consequentibus; quia nec damnum affert, nec est inutilis. Decimotertiò, à repugnantibus, quia repugnat aliquid esse honestum & vtile, & nõ esse

expe-

expetendũ: sed philosophia est honesta & vtilis, &c. Decimo quartò, à causis efficiente, & fine; nam homines naturæ instinctu beatè viuere cupiunt, & fœlicitatem consequi, quod philosophia præstat. Decimoquintò, ab effectis, est enim vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum. Decimosextò, à comparatione; si diuitias, quæ nos meliores non faciunt, tanto studio accumulamus, quare non philosophiã, quæ beatos efficit? Decimo septimò, ab exẽplo, nam Pythagoras, Democritus & Plato cum vitę discrimine peregrinati sunt vt philosophiam discerent, nos domi nostræ quieti idem non conabimur. Decimooctauò, à diuino testimonio, quia Socrates ob moralem philosophiam Apollinis oraculo, sapientissimus declaratus. Decimononò à testimonio humano, Plato namque ait, nil esse optabilius philosophia.

Suasio eruditionis.

EXordium ducetur ab aduersarijs & hostibus bonarum literarum & doctrinarum, tùm à persona nostra, quos tanta rei indignitas commoueret, vt improborum cupiditates compescamus, audaciam reprimamus, impetus, conatusq; ? In Rempublicam retardemus, & communi bono atque vtilitati consulamus', quod est officium boni viri & ciuis. Sic conciliatur beneuolentia, ostendendo mores amabiles: postremò à persona auditorum, nè in errorem inducantur; nec cõmoueantur, atque à studijs præclarissimis deterreantur.

Propositio.

PRopositio tripartita erit: dicendum enim est primùm de honestate & dignitate eruditionis, deinde de multiplici vtilitate, postremò de suauitate & voluptate.

Loci confirmationis ad confirmandam partem honestatis.

PRimum præclarissimum inter cætera munus est, quòd homines sciendi cupiditate inflammati, indagando vitam suam traducant, & naturæ munus ab ineunte ætate tueantur; non sine causa homini sciẽdi cupiditatẽ natura ingenerauit, & semina scientiarum inseruit: quæ quidem semina, vt adolescant, & fructus vberrimos edant, cultus adhibendus est, hoc est cura & studium: non est admittendum, vt hæc discendi, cognoscendique instrumenta quæ diuinitus nobis tributa sunt, negligamus otiosè. Quàm id honestum sit, & homine dignum, omnes penè gentes testantur, apud quas summus eruditioni honor est habitus, cùm iuuentutis moderatores publico sumptu conduxerint, & nunc etiã cõducant, tũ amplissima præmia & honores doctrinæ detulerint.

¶Legimus maximo pretio & honore fuisse habitos apud Græcos, Philosophos, præcipuèq; septem illos Sapientes, qui omnes præter Thaletem vno tempore suis ciuitatibus præfuerũt. Apud Persas, Magos, apud Ægyptos, Prophetas, apud Indos, Gymnosophistas, & Brachmanes: apud Gallos, Druidas: apud omnes gẽtes oratores & eloquẽtes: his Magistratus; his rerum publicarum gubernacula credebantur, his status perturbatus, his denique maxima quæque tribuebantur.

Loci ad confirmandam partem vtilitatis.

PRimùm, est enim doctrina vtilis, & fructuosa his, in quibus est: conciliat enim beneuolentiã & studium, & gratiam non modo popularium, verumetiam potentiorum ac Principum: qui enim nisi amens, insanus, barbarus non amet, non obseruet, colat viros doctos & sapientes? Affer ea, quæ ab imperitis tãtopere expetuntur, fortunæ bona, vir doctus dùm cõtendit, assequitur. Docet hoc exemplum Aristotelis, qui fuit charus Alexandro & Philippo Regibus: numerentur exempla Regum, & illustrium virorũ, proferantur exempla Aristotelis & Isocratis, Gorgiæ, Demosthenis, Ciceronis, Virgilij & aliorum illustrium Magistrorum, maximorum Regum, Ducum, Imperatorum, &c. Quæ exempla proximè pertinebunt ad informandas opes, & diuitias, partim ad demonstrandam gloriam, honorem & gratiam. Est vtilis amicus vir doctus, declarat hoc Ciceronis eloquentia, quæ multis salutem attulit: vtilis est vniuersæ Reipublicæ, & præcipuè in consilio dando, cohortando ad honestatem, suadendo vtilia, dissuadendo turpia & noxia.

Loci suauitatis & voluptatis.

NOnnè magna voluptas est, posse colloqui cũ mortuis, lustrare animo memoriã tot annorum, ætatum, & seculorum? Hinc constat libros scriptos à doctissimis & sapientissimis viris, in aduersa fortuna diminuendo dolorem. De consolatione Philosophica Boetius Seuerinus. Nouit enim vir doctus & sapiens, quomodo sint ferenda aduersa, quæ sint partes fortis ac constantis viri. Denique nunquam est minùs otiosus, quàm cum est in otio, nullo non tempore est grata, aut iucunda doctrina. Ad confirmandam hanc partem & reliquas etiam, legatur oratio pro Archia Poeta, & 7. lib. Plinij de naturali historia. Valerius Maximus de studio & industria.

Peroratio.

QVæ cum ita sint, incumbite in studia doctrinarum & sapientiæ, cùm præsertim proposita sint nobis exempla tot summorũ

morum virorum, qui tot labores vigilando, peregrinando, contẽplando, discendi studijs suscepe-runt, vt Pythagoras, Plato, Demosthenes, Cicero, lege Valeriũ Max. de studio & industria.

Sententia orationis, honos alit artes.

EXordium ducetur ab officio boni viri; cuius eæ partes esse debent, vt quæ Reipublicæ vtilia fore arbitratur, ea in medium proferat, quale est hoc, quod hodierno die, diu multumq; meditatus affers. Neque verò de illorũ qui audiunt, & apud quos dicturus sis, vel sapientia, vel probitate dubitare oportere: quo magis sperandum sit, eos æquo animo accepturos, quod à nobis fiat, & consilium nostrum ita probaturos, vt sibi exequendum, primo quoque tempore statuant, neque id nobis vitio, aut impudentiæ, aut temeritati vertendum, quod ipsis auditoribus, viris, & optimis, & doctissimis, & sapientissimis administrandæ Reipublicæ rationem præscribere velimus, & vt dicitur, sus Mineruam, docere conemur: nobis enim otiũ ad id & meditandum & deliberãdum pro nostro arbitrio sumpsimus: illis verò alijs grauioribus negotijs impeditis, & maioribus studijs occupatis, minùs licuit ea de re cogitare.

Confirmatio.

COnfirmationis loci eruntpetendi ab honestate, tùm ab vtilitate, tum à voluptate.

Loci ab honestate.

PRimum argumentum naturæ vis, plurimum apud omnes valere debet, ea nos ad laudẽ & honestatem, gloriamq; impellit.

Secundum argumentum ab exemplo. Exempla maiorum vobis idem persuadere debẽt, apud quos proposita erant pręmia victoribus in publicis ludis, tùm apud Græcos, tùm apud Latinos. Apud Græcos maximo in honore habebãtur, & amplissimis pręmijs donabãtur, qui vel in Olympijs, vel in Isthmis, vel in Pythijs, vel Nemęis vicissent. Quid de militibus, & bello victoribus Ducibus loquar? Ad hos enim pertinebant coronæ, tã multiplices, ouationes, triumphi, supplicationes, statuæ, trophęa, cæteraque huiusmodi monimenta. Quod si bonarum literarum studia nõ minus honesta, probataq; sunt, quàm disciplina militaris, quàm pugilum, cursorumque & aliorum gymnicorum ars, curnõ itidem præmia literis constituantur?

Tertium, si tantus est eruditionis, atque eloquentiæ percipiendæ labor, quantum doctissimus, atque optimus quisque experitur & confitetur, debet profectò præmio non minore donari.

Vtilitatis loci, & voluptatis.

Primus, nolo ego vtilitatem ipsius

ipsius muneris, & præmij æstima tione metiri, sed longe aliter, & alia ratione, quæ tandem ista est? Primum, quòd ea res excitet animos adolescentium, atque erigat & spe laudis ad laborem stimulet, & studiorum molestias æquo animo deuorare compellat.

Secundus hac proposita laude, quis est adolescens tàm degener, tàmq; abiecto animo, qui nõ ita contendat, vt in tam honesto. gloriosoq; certamine superare socios, atque eruditionis palmam referre posit.

Non est dubitandum, quin in huiusmodi ludis spectatorum etiam animi capiantur, & auersi à bonarum literarum studijs, deinceps mutata voluntate faueant, & sic æquiores iudices erga studiosos præbeant.

Quid, quod illi etiam, ad quos aliqu pars eius laudis pertinet, vt cognati, amici, cæteriq; necessarij ac noti, tanta voluptate, lętitiaque perfunduntur, afficiunturque, vt vel eo ipso se quodãmodo fœlices iudicent, quòd suis rem literariam prospere, fœliciterque cessisse animaduertunt.

Epilogus fit per enumerationem omnium eorum, quæ dicta sunt, cum adhortatione ad studia literarum.

Partim in demonstratiuo, partim in deliberatiuo genere declamatio.

Externa bona contemnenda sunt, cùm propriè bona non sint.

EXordium in hanc sententiam instituetur. Cùm plerique mortalium in eo videantur errore versari, vt res externas tantopere appetant, in ijsque comparandis tantùm operæ, studijque consumant, vt vel sola, vel præcipua bona esse existimare videãtur; mei officij esse putaui, quo cos ab errore vindicem, pauca de diuitiarum contemptu in præsentia dicere. Quod siquis est qui recta ratione ducatur, quique veritatis studio teneatur, pro sua mansuetudine verba mea attentè audire ne grauetur.

Propositio.

OStendam diuitias, opes, pecunias, possessiones, cæteraque omnia, quę imperitum vulgus tanquam bona expetenda cẽset, neque in bonis, neque in rebus expetendis esse numeranda.

Confirmationis loci hi erunt.

PRimò, à definitione boni. Illa bona sunt, quæ nos bonos efficiunt, diuitijs autem affluentes ferè deteriores esse, quàm paupe res, quis ignorat? Hic cõmemorandum, quot flagitiorum causa sit rerum externarum abundantia, & quot vitiorum procreatrix quæ longissimè abesse ab egestate & inopia consueuerunt.

Secun-

Secundò, bona semper bono sunt, opes autẽ non ei modo, qui possidet, verumetiam alijs incõmodo sunt, metum, inuidiam, sæpè etiam perniciem, mortemque pepererunt. Hic ostendendum erit, quantis curis opulenti ac potentes torqueantur, quantoq; timore, aut insidiarũ, aut ferri, aut veneni crucientur.

Tertiò, qui fieri potest, vt hæc bona sint, quæ nunquam explere insatiabilem cupiditatem possunt? nam quò quis plura habet, hòc plura cõcupiscit, nec potest sitim extinguere, ne suis contentus inhiat alienis. Hic describenda erit inhumanitas atque crudelitas diuitum in pauperes, quorum bona, fortunasq; occupare, ac diripere non erubescunt. Ex quibus omnibus colligere licet, si ab vsu nomina sint rebus imponenda, mala hæc potius, quàm bona esse appellãda. Meritò igitur hæc omnia Christus Deus noster contemnenda esse docuit & mãdauit, quæ nos ad cælestem patriam festinantes retardant.

Peroratio fiat per enumerationem cum adhortatione auditorum ad contemnenda bona externa.

Argumentum orationis de victoria sui ipsius.

QVàm præclarum sit, & hominis proprium impotentes animi impetus reprimere, & effrænatas cupiditates domare, vehementes perturbationes sedare, motus indomitos continere, & appetitum rationi obtemperantem præbere, & denique in omni re seruare constantiam, etsi omnes intelligunt, qui se homines esse profitentur, & agnoscunt. Patiamini tamen ita me ea de re in præsentia disputare, perinde ac si dubia & obscura esset.

Confirmationis loci.

CVr Deus rationem homini largitus est? Nonnè vt eius imperio inferiores animi partes obtemperarent? Ita videtur, cũ appetitus in homine dominatur à naturæ præscripto disceditur, & præstantissimus ordo à diuina prouidentia ingenitus peruertitur, & indignissimè violatur.

Porrò autẽ hoc pulcherrimo statu in hominis Regno, seu Republica perturbato & auerso: quid superest amplius, quo homo appelletur, cum rationis vsu, imperioq; sublato inter pecudes censendus sit, quæ vt rationis expertes cupiditatibus sibi à natura inditis inseruiunt, & solo appetitu, sensuq; ducuntur.

Quid vos argumentis longe petitis moror? An non vnusquisque vestrũ hoc idem ex suo sensu arbitratur, & iudicat, cùm temperantes, & constantes viros, nescio quo pacto etiam ignotos, & quos nunquam vidit, probet, diligat, suspiciat, admiretur? intemperan-

temperantes verò & effœminatos, etiamsi noti & familiares fuerint, tamen nisi & ipse planè desipiat, contra vituperet, oderit, aduersetur? Id nimirùm eo fit, quod natura virtutum semina, & quosdam honesti igniculos, & probitatis & temperantiæ amorem, odiumq; vitiorum & turpitudinis ingenerauerit?

Hic superuacaneum est, veteres philosophos & sapientes producere, quorum cura & studium hoc vnum fuisse videtur, vt animum à perturbationibus vacuũ & tranquillum (quod tamen diuino auxilio, velignorarunt, vel neglexerunt destituti assequi nõ potuerunt) & ipsi haberẽt, & cæteris vt haberent, pluribus rationibus suaderent, tum domesticis exemplis abundemus, quorum copiam & facultatem Ecclesiasticæ nobis Historiæ subministrãt. Qu d enim aliud illæ declarant, nisi nostrorum maiorum & sanctorum Patrum curas, cogitationes, labores, studiaq; vniuersa ad compescendos motus animi, & perturbationum procellas sedãdas, & cupiditates donandas susceptas? Hic commemoranda insignia, & egregia aliquorum facta circa corporis castigationem.

Quò difficilior victoria sui, eò gloriosior. Nam domare barbaras gentes, sub iugum mittere bellicosissimos populos, superare potentissimos Reges, expugnare munitissimas vrbes, imperare postremò innumerabilibus nationibus, præclarum est, sed lõge præclarius se ipsum vincere, sibi ipsi imperare, sui iuris esse, nullis non dico hominibus, sed cupiditatibus seruire. Hæc enim vera & solida laus est & gloria: alioqui dominus, quo iure Imperator, quo pacto is Rex appellabitur, qui alijs imperat, sibi imperare nescit, hominibus dominatur, & in dignissimorum, turpissimorũq; dominorum ipse vilissimus, abiectissimusq; seruus est?

Postremus ab vtilitate & præmio, triumphoq; eius, qui hanc victoriam sequitur. Nam scriptum comperimus: *Vincentibus dabo mãna, & non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Voluit enim Deus esse nobis perpetuum cum vitijs bellum, & hominis vitam perpetuam militiam super terram, vt esset, vnde coronaretur.

(:.:)



PARS

PARS QVINTA CENTVRIÆ, CIRCA genus iudiciale.

Vix vnum, aliudvè circa iudiciale genus addendum argumentum, cum Seneca & Quintilianus innumeris exemplis illustrauerint, ea nos solùm ad artis normam præscribimus exercitamenta, in quibus parùm antiquiores laborabant.

Argumentum generis iudicialis ex libro Act. Apostolorum cap. 24.



ACCVSATVR S. Paulus apud Fœlicem Præsidem à Tertullo.

Exordium, erũt gratiæ agendæ de Iustitia & Prudentia in administranda prouincia, dicendum vnum hoc desiderari ad perfectam laudem, vt ortum malum tollat, ne corroboretur, promittenda breuitas.

Narratio, narrandum fuisse cõprehensum tanquam seditiosum, & erint ducenda ex Actis Apostolorum capita accusationis.

Accusandus est tanquam vir pestifer, quippe qui nouos ritus inducat, nouas cęremoniasq́; disputandum contra ritus nouos, & eorum inuentores. Semper enim vetera meliora sunt nouis, & veteres sapientiores recentibus, insuper violator est legum sacrarum. Hæc per coniecturã probentur ex tract. 4. cap. 2. 3. & 4.

Secundum caput, accusandus est vt seditiosus. Docendum quid sit esse seditiosum, & disputandum de malo seditionis.

Tertiò, vt violator templi. Amplificandum hoc crimen, quòd qui violat res diuinas, non abstinebit se à rebus humanis, neque parcet homini, qui non pepercit Deo.

Amplificando hæc omnia à futuro metu seu formidine, & à communi omnium opinione & iudicio. In peroratione erit con-

citandus iudex contra eum. Ex his quæ tract.6.docuimus.

S. Paulus se defendit.

EXordium, captanda beneuolentia à iustitia & sapiētia Felicis iam diù cognita, ita vt neq; velit iudicare iniustè, neque possit decipi, quia ipse nouit mores prouinciæ, & expertus est. Deinde dicendum, magnam se habere spem in benefactorum conscientia sua. Narratio, narrandus est aduentus in vrbem, & causa eius.

Primùm dicat, se non fuisse seditiosum, neque concitasse turbam, nihil esse eorum quæ Tertullus obiecit, more potius accusatorio, quàm vero crimine.

Dicat à se non violatum esse tēplum, quod purè & castè ingressus est, in quo vota soluit, & munera obtulit, vt veneraretur Deū.

Postremò induxit nouos ritus, neget hoc quoque. Ego enim veneror Deū, quē vetera literarum monumenta docuerūt, & secutus sum literarum veterem sententiam, quæ me deduxerunt ad cognitionē, in quibus dicebant venturū Prophetæ filium Dei Christum. Inferat disputationem de Christo Deo esse verū Deū Christum, ita vt vellet conuertere animos ad Christum. Longo ordine inijciat sermonē de extremo die, quo erit Iudiciū, quo omnes omniū animi receptis corporibus, suorū factorū reddent rationē; ita vt boni benefactorū præmia, mali supplicia laturi sint, atque hoc vnum esse, quod maximè offendit Iudæos.

Peroratio breuis, dicat se esse innocentem, nullius mali consciū Deo suo seruire, roget Presidem vt videat rectum, & iudicet, & se paratum mori pro Christo. Lege tractatum 4. par. 2. cap. 1. & tract. 6. cap. 11.

Damnandus Martinus Lutherus, & hanc pœnam damnatū sequi oportet, vt viuus igni cremetur.

Probandæ quæstionis loci & argumenta.

PRimus, quòd ter Deo fidē datam fefellit, cum bis S. Augustini, semel S. Dominici disciplinam, & susceptam vitæ rationē repudiaret. Accedet exprobratio ex tract. 4. par 2. cap. 6.

Deinde, quòd se à cōmuni causa religionis, & Christianorū cōmunione atque societate abstraxit. Est hoc amplificādum per figuras tract. 9. part. 2. capit. 2. 3. & 4.

Quod nouas & inexpiabiles religiones in Germaniam induxit. Fiat gradatio. Capitale est, vel religionem vnam falsam inuehere; quid duas? quid innumeras?

Quòd templa, atque delubra, quæ in florentissima prouincia, antiquissima, & religiosissima fuerunt depeculatus est, diripuit, atque vexauit. Fiat descriptio altarium,

rium; & vestium sacrarum, &c. Excitetur ira cum exclamatione: ex tract. 6. cap 11.

Quòd diuinum cultum extinxit, sacrorum ceremonias à veteribus acceptas, solemnesq; ritus contempsit, sanctorum, sanctarumq; imagines omnes è templo sustulit.

Quòd in sacrarum virginum castas & religiosas domos turpiter, intemperanter, atque libidinose bacchatus sit.

Quòd sanctissimorum Pontificum, antiquissimorum Patrum, grauissimorum Conciliorum auctoritatem verbis, sententijs, & perpetuis voluminibus afflixit, atque concidit. Per prosopopœiam depingatur Pontificum & Conciliorũ fremitus in Lutherũ.

Quòd illa sua impia ac nefaria dogmata tanquam diuinitus edita oracula omnibus Germaniæ ciuitatibus & populis prosequẽda esse suaserit.

Postremò, quòd nullum ei tẽpus ab intemperãtia, libidine, luxu, ebrietatibus, helluationibus omnibus flagitijs atq; sceleribus vacuũ fuerit. Hæc omnia figuris argumentationibus, affectibus sunt amplificanda.

Peroratio

NAscetur epilogus ex his omnibus rebus, quem cũ acerbissimo odio, inuidia, & indignatione, & omnibus vehementioribus motibus, ad quos iudicum animi contorquendi erunt, pertractare oportebit. Lego tract. 6.

Exordium.

PEnè nullam habebit à peroratione dissimilitudinẽ, nisi quod omnia in dicẽdi principio leniora esse debent: ita tamen iudices mouẽdi erũt, atq; flectendi inprima oratione, vt iã inclinatis, facilius reliqua incũbat oratio.

Inuectiua in Lutherum, Hæreticorum Principem.

ETsi perditissimi huius hominis, ac portẽti potius dementia est maior, quã vt possit oratione explicari, non erit tamen ea in causa tacendum omninò, sed conandũ potius, vt ex impietatis detestatione pietatem colere religionem seruare integrã, morem Ecclesiæ incontaminatũ discant, quicunq; nobiscũ vitam degunt. Ex quo studiosissimè optimus quisque ad ipsum hominem pro meritis exagitandum, omnes neruos intendere, vt latissimè inter hominũ cœtus, furias hæresium serpentes, quocunque modo potest, reprimat. Hæc igitur res hodie me compulit ad hæresium inuentum maledictis lacessendum, & vt animum meũ appellerem & promouerem, ne quis nostrum in illius perniciosissimos laqueos sedaret, quibus sus ille lutulentus multos iam inuoluit, supplicijs post vitam hãc mactandos. Hæc igitur cum facio, quæso, &c.

Confirmatio.

QVoniam hodie mihi tecum sermo futurus est, hodie scelerum artifex, ecclesiæ proditor, pietatisq; desertor Luthere, age, quid est quæso, aliud noua dogmata excogitare, nouas leges sancire, nouos ritus instituere, contemptis decretis maiorum, quã more gigantum Deo bellum indicere, eius imperium contemnere, eius institutis obstrepere? O monstrosum impietatis genus, velle, atque ideò tentare, de medio ea tollere, quæ tot seculorũ cursu probata, tot scriptorũ splẽdore illustrata; tot exemplorum vigore confirmata fuere. Sed nõ sine causa hæc tentauit vir religiosissimus atque adeò tandẽ est ista causa sus lutulẽte (quo enim nomine appellẽ magis propriore nullum occurrit) quæ vnquã ista est causa, vt noua coleres dogmnata, contemneres vetera, tãta Christianorum strage? An nõ ea est, quam tu tamen, nescioqua honestatis facie palliare niteris, vt effrenatis cupiditatibus, vt indomitis libidinibus, & fœdissimis voluptatibus fræna permittas liberius? At quo iure, quavè auctoritate, vt istam tuam cupiditatum Charybdim Oceanum, inquam expleres, religionem euertere moliris? Nescis insane, nescis quantas vires religio habeat. Hanc tu impia tua opinione, non diuina auctoritate metiris. An tibi forsan diuinus Spiritus veram Scripturarũm sententiam tot seculis absconditam aperuit? O incredibilem audaciam! ob quæ tua merita tibi Deus hoc est largitus, quod integerrimis, sanctissimisq; viris adhuc negauit?

Et quæ tandem sunt ista iura à te innouata, diuini iuris corruptor, nonnè vt Satanæ Synagogam foueres, religiosorum templa violares, Pontificum auctoritatem irrideres? Hæccinè te fons veritatis Christus edocuit? At simulabas aliquando singularem quandam pietatem, sed latebat in visceribus impietas, quę tandẽ erumpens, heu quot hominum millia perdidit.

Postquam verò in istum te hæresum hiatũ ingurgitasti, quod est à te gestum, quod pietatem pręseferat? Vexatio Ecclesiæ? An Germaniæ corruptio? An cœnobiorum depopulatio? An religiosorum cædes? An libidinum gurges? Hiccinè pietatis est fructus? Si ista pietas, quæ igitur impietas? Quæ tyrannis, quæ immanitas appellatur? O monstrum ex infernorum cauernis emissum.

Sed ad te nunc venio, infelix Germania, quibusnã laqueis implicata es Religionis nutrix in te vt in sentinam quandam errorũ omnium sordes confluxerunt. In te tanta perditorum hominum colluuies resedit, quæ te omnium scelerum genere ita cõtaminauit, vt omnium ferè malorum

lorum, quę pateris, sensus amiseris. Proh dolor, qui hæc sine lachrymis memorare posset? Heu me dolor debilitat, vocemq; intercludit.

(-:-)

PARS SEXTA

PARTIM AD SECVNDVM, & tertium tractatum spectans, partim ad sextum de affectuum commotione.

Scopus nostri amoris Christus est.



XORDIVM in hanc sententiā instituetur. Cùm mihi hodierno die apud vos dicendum sit, viri Christiani, gaudeo talē materiam oblatam esse, quæ vestris auribus dignissima, meæ personæ, & huius temporis aptissima esse videtur, vt ea res, de qua verba facturus sum, vobis futura sit gratissima, omnibus vtilissima, & huic tempori pernecessaria. Quare, &c.

Confirmationis loci.

CVM omnia nostra consilia, studia, actiones, cogitationes ad Christi gloriam referenda sunt, dubitamus, an hæc nobis facere expediat, an id sit omnino necessariū, & ratio & natura nos facere compellat.

Secundò, siquidem non nostri sed Christi sumus. Quid ita? quid nos creauit, in hanc lucem perduxit: deinde infinita sapientia, potentia, clementia, misericordia, cum nostra culpa perijssemus, nos ad vitam reuocauit. Ergò cū eius liberalitate, clementiaq; viuamus, illi nostram vitam debemus.

Tertiò, ille nos incredibili rerum copi ac varietate sustentat, alit, fouet, tuetur, conseruat.

Quartò, nec illius beneficientiam huius breuissimæ vitæ spatijs contineri putemus, immortalitatem & beatitudinem sempiternam nobis obtemperantibus, morigeris, officioq; nostro perfunctis promittit.

Ad quam expetendam, vt nos accenderet, multa nobis sanctissimorum virorum, & fidelissimorum hominum exempla proposuit, in quibus declarauit, quā-

tis ope & studio adniti oporteat, vt summo bono potiri aliquando possint, quibus & nos testimonijs edocti, ediscamus contẽnere omnia, & arbitrari, vt stercora, vt Christum lucrifaciamus. Lege tract. 6. cap. 2.

De cœlestis patriæ desiderio.

AD docendum atque ostendendum, quanto animo & studio ad illam beatam vitam, quam in cœlo acturi sumus, contendere debeamus, hæc argumẽta adhiberi poterunt.

Primum labores, incommoda, mala, miseriæ, molestiæ, ærumnæ, calamitates huius exilij.

Secundò, iam multa, variaq; pericula, & incerti exitus nostræ huius miserrimæ vitæ.

Tertiò, animæ nostræ præstãtia ac dignitas, quæ nulla in re alia, nisi in Deo conquiescere potest, cui tanquam suo principio ac fini adhærere cupit.

Quartò pulchritudo, nobilitas, æternitas illius patriæ, ad quã fruendam nati, factiq; sumus.

Quintò, spes, quam Christi ascensio & promissio nobis dat, debet hoc in animis nostris desiderium augere.

Sextò, beatorum spirituũ expectatio magis nos accendere & inflammare debet, exempla sanctorum nos corrigant & excitent, qui perpetuò illius patriæ desiderio & amore, in hac vita flagrarunt: vnde illæ voces erũpent, Cupio dissolui & esse cum Christo, Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei, &c.

Septimò, quid agit aliud Ecclesia anniuersarijs sacris, cæremonijs, ritibus & institutis, nisi vt vos cupiditate cœlestis patriæ accedat?

Octauo, postremum hoc vnũ nos, si Christiani sumus, à cæteris gentibus, populisque distinguit, quos quia Deum ignorant, nulla potest spes consolari. Lege si placet tractatum sextum, cap. 2. & 8.

De studio proficiendi in Religione, diuinoque cultu & obsequio.

EXordium ducatur à rei vtilitate, & ab auditorum persona, qui etsi non egeant calcaribus, liceat tamen, vt dicitur, currentes incitare.

Ad probandum, assumentur hi loci. Primò, magnitudo, dignitas, & maiestas eius, cui seruimus nam si turpe ducimus imperiũ, negligenter obire, aut à mortalibus dominis precepta segniter curare, quàm indignum putandum est in sacro, diuinoq; ministerio, officioq; dormitare.

Secundò munus ipsum, quod profitemur, nomẽq; religionis, diligentiæ, vigilantiæ, officijq; nostri in diuino cultu admonere nos debet.

Tertiò hoc vitæ genus, quod diuino instinctu arripuimus, perpetua militia est: atque idcirco paratos nos, expeditos, accinctos, erectos, suspensosque in acie ad pugnam stare iubet, vt posimus hostiles impetus & incursus eludere, quod si in ipso conflictu, & imminenti hosti, dissoluti, segnesque fuerimus, actum de nobis sit.

Quartò, ac si nihil aliud, certè diuinæ voces & minæ excitare nos debent: *Maledictus* (inquit) *qui facit opus Dei negligenter*, & *vtinam calidus, aut frigidus eßes*, aliæq; permultæ.

Quintò, eam viam ingressi sumus, in qua multa sanctorum patrum, maiorumque nostrorũ extant impressa vestigia, ea obseruemus & sequamur, & ab illis Domino seruire discamus.

Postremò, moueat nos magnitudo premiorum, quæ scimus fidelibus illis, industrijsque & solertibus seruis proposita, quibus singulis dictum est, *Euge serue bone & fidelis*. Terreat contra otiosi & segnis illius serui supplicium, cui dominus dixit, *Serue nequam*.

De amando Deo argumentum.

EXordium ducetur ex comparatione diuini Amoris, & cultus cum cæteris rebus expetendis, quod nihil videlicet, sit rerum omnium, in cuius studiũ tanta contentione animi incumbere debeant homines, quàm Dei amor: & cum res sit eiusmodi, sine qua salui esse non possumus, ipsa sibi citra oratoris operam, & dicentis laborem auditorum animos, & attentionem, & intelligentiam excitabit Denique per Apostrophen Spiritussancti, qui diuini huius Amoris fons & caput est, opem implorabis, imitatione orationis pro Rabino.

Propositio.

PRopositio tripartita erit, vt demonstretur, scilcèt necessitas, honestas, voluptas diuini amoris.

Loci confirmationis primæ partis.

PRimus locus petitur ex testimonio sacrarum literarum: *Qui non diligit, manet in morte*. & *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Hæc verò seruare non potest, qui non amat, & qui non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema sit. Fiat expositio horum verborum. Primò ab authore à quo prolata. Secundò à verbis proprijssimis, quibus prolata. Tertiò, à fine quo prolata. Quartò à medijs, quibus reuerentiã, pietatẽ; obseruantiã eorum habere posimus.

Secundus, quẽ Fidei & Religionis expertem non mouentminę sempiterni supplicij, moueat saltem vt hominem Epicurum,

qui voluptatis dumtaxat sensu ducitur, eaq; tantùm videt, quæ ante pedes sunt, diuina ira, quæ tam grauiter in viros sui amantes potius, quàm Dei exarsit, ac sæuijt. Ergò ne pœna contundat, amor inflammetur. Fiat comparatio ex tract. 1. amoris diuini cũ proprio.

Loci secundæ partis.

NAtura nos item hortatur, quæ in nostris mentibus clamat illum inprimis à nobis diligi oportere, cui nos totos debemus. Si filius patrem, à quo corpus dumtaxat accepit, amare debet, quid Deum, qui corpus & animam dedit?. Ad quale corpus, & qualem animam quanto artificio, nobilitate, &c. Exclamatio subiungenda cum apostrophe ad Deum, & exaggeratione beneficij, qualis in 1. lib. Accus.

Vnde sequitur secundus locus de beneficijs diuinis, tot, ac tantis, quibus homo est exornatus, quot enim sunt in corpore membra, quot animæ vires, quot in hoc cœli ambitu res creatæ, tot sunt Dei erga nos beneficia, nostri sunt cœli, nostra sunt elementa: hominis enim causa facta sunt omnia, & homo propter Deum, quod si vel membrum aliquod corporis vel animæ facultatem, vel denique rem tibi charissimã amisisses, quantum deberes ei, qui tibi illam restitueret: & Deo qui hæc omnia tàm liberaliter, tàm benignè sua voluntate, cùm tua opera non indigeret, est largitus quantum debes? Amare igitur debes, vt beneficum & benemeritum. Singula ex tract. 4. Cõsideratis capitibus gratiarũ actionis perstringentur.

Tertiò, cùm hæc nobis communia sint cum cęteris hominibus, beneficium certè redemptionis Christianorum, hoc est nostrum, hoc est proprium, & quidem longè maximum & diuinissimum.

Quartò; quemadmodum exitiosum est, Deum non amare, sic est salutare diligere, nam nonsolum vt parens & cõseruator, vel beneficus & liberalis, sed vt amicus amandus est? cuius & amicitię fructus, sicut & aliorum amicorum in necessitate percipitur, vt in ægritudine ac morte, quibus homines te, etiamsi maximè cupiant, liberare non possunt, Deus potest.

Quid de fidelitate huius amici dicam, quantus ea stimulus ad amandum debet esse? Cæteri enim amici ab officio sæpe discedunt, & fidem deserunt, cùm vel in amore non respondent, & amati ipsi non reclamant, vel sæuiente aduersa fortuna discedũt, vel viuos dumtaxat amant, immemores mortuorum, atque adeò inimici in eorum bona sese ingurgitant: vel amici Patris, inimici filiorum fiunt. Deus autem diligẽtes se diligit verus amicus, & nõ

minus

minùs mortuos, quàm viuos amat, & denique propter Patrē filios amat, & quidem interdū (vt sacra testantur volumina) vsque ad decimā generationem.

Quid promissa nobis beatitudo, fœlicitas, immortalitas, parū nè momenti aut ponderis apud vos habebit, vt Deū amemus?

At simili vel comparatione. Si canes beneficium hominis agnoscunt, quantò debet homo gratiorem animum erga Deum ostendere?

Si nulla nos causa impelleret, illa vel maximè nos promouere deberet, quod Deus est, quò nihil maius aut melius excogitari potest, quod philosophi etiā intellexerunt, non igitur amanda, colenda, veneranda, suscipienda, per se tanta maiestas, perfectio, bonitas, amplitudo, sapientia, sanctitas.

Loci tertiæ partis.

QVæ maior potest voluptas existere, quā in eius amore cōquiescere, quæ omnibus diuitijs circunfluit? & in eius dextera, vt Vates pronunciat, delectationes sunt vsque in finem.

Natura docet hoc, ratio confirmat, vsus atque experiētia demonstrat hominis animum diuina insignitum imagine, cuius finis & summum bonum est ipse Deus, nulla in re alia penitus cōquiescere, nisi in eius suauissimo amore, cuius deliciæ sunt, cum filijs hominum continenter versari.

Tertius locus continebit Sanctorum hominū testimonia, qui quidem immortalitatis & beatitudinis studio incensi, flagrantes & illo diuino amore succēsi, quē Christus misit in terras, rebus humanis nuncium remiserunt, seq; diuinis commentationibus ita dediderunt, vt nihil obscurè declarent, sibi nihil esse charius, nihil optabilius, nihil iucundius, quā cum Deo versari, eiusque frui colloquio.

Postremo loco illorum Christianorū incensa studia explicari poterunt, quæ extrema quæq; perpeti, grauissimos labores suscipere, ac sustinere, durissimis vitæ periculis se se obijcere, cruciatus omnes, & inaudita tormenta experiri, vitam denique cum summo cruciatu profundere maluerunt, quàm vel latum, siue trāsuersum vnguē (vt dicitur) à Dei amore, pietate, ac religione discedere, cùm illam prǣclarissimā Pauli vocem, re magis, quàm verbis vsurparent: *Quis nos separabit à charitate Christi, an fames? &c.*

Epilogus.

SVbijcietur per enumerationem, hoc est, cùm igitur tanta sit eius rei, quam nostra demōstrauit oratio, si minus pro dignitate, pro nostra certè facultatis mediocritate. Si tanta est inquam amoris, qui Deo debetur

necessitas, vt &c. Si tanta honestas, vt &c.: Si tanta denique voluptas, &c. Quid agimus auditores? Quid cessamus, viri Christiani? Quid cogitamus optimi adolescentes, &c.

De Amando Deo.

QVoniam amoris erga Deũ, quanta sit honestas, necessitas, voluptas, satis apertè & copiosè pro nostræ facultatis mediocritate, superiori oratione docuimus: res iam expostulare videtur, vt deinceps quo modo, quaque ratione sit Deus amandus, demõstremus. Video enim vos tantę rei consequendæ studio & cupiditate (quod quidem maximè optandum erat, & nobis in dicendo propositum) tacitis vocibus requirentes, quinam id faciendum sit, vel qualem, & quantum hunc amorem, quem Deo debemus esse oporteat. Deinde quot sint eius genera, postremò, quibus argumentis deprehēdi possit, an id ipsum quod tantopere expetimus, fuerimus consecuti?

Propositio.

QVare in tribus his rebus explicandis hodierna consumetur oratio.

Loci confirmandæ primæ partis.

QVoniam amoris materia bonũ est (nihil enim aliud amare solemus, nisi quod bonũ est) tantũ cuiq; rei amoris debemus, quantum in se retinet bonitatis, cũ in rebus omnibus finita sit, in Deo autem infinita: sequitur vt Deo infinitus amor debeatur, cęteris rebus finitus. Quonã igitur modo Deum amare oportet? nẽpe sine modo.

Hoc nimirũ est, quod sacrosancti Codices disertis verbis exponunt & tradunt, cũ sic loquũtur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quid est autem toto corde amare, nisi sapienter? Quid tota anima, nisi suauiter? quid tota virtute, nisi constanter? Ne vel blandæ voluptatis illecebris deliniti, atq; illecti, aut cacodæmonis fraudibus circunscripti, vel rebus aduersis, & iniurijs atque difficultatibus fracti, à diuino amore abstrahamur. Quapropter ille profectò toto corde Deum amat, qui gloriam fictam & inanem contemnens, in Deo tantummodo cũ diuo Paulo gloriatur. Tota mente, qui in Domino dumtaxat, vt idẽ Apostolus monet, gaudere nouit, in illo gaudiũ, lętitiamq; omnẽ suã positã habet, nec vlla re alia præter Deum exhilaratur. Tota denique mente, qui quemadmodũ diuus Paulus nihil nouit nisi Christum, & hunc crucifixum, qui est Dei sapientia, in illum cogitationes omnes defigit, ille omnes vires suas in Dei Charitate experitur, neruosq; omnes intendit, qui Deũ tantũ inquirit, qui illũ

in

in rebus creatis agnoscit, qui ei studiosè obtemperat, nec ab eius imperio, vel minis, vel pollicitationibus, vel metu incommodi, vel spe commodi potest abduci. Qui, & quæ Deo quocũq; modo grata esse intelligit, memoriæ thesauro recondit ac seruat, & qua inuisa repudiat, & obliuioni tradit, & acceptus iniuria non prosequitur, sed potius obliuiscitur.

Totus homo amare debet Deũ qui totus factus est ab eo. Adhęc amor hic, de quo dicimus, rectus fortis, lætus & flagrans sit, necesse est. Rectus quidem, vt Deus propter se, non propter beneficia ametur, & expectatur: est enim indignissimũ, si diuini amoris finem in rerum externarum consecutione ponamus. Fortis autem, quia vt rectè quidem, sed non directo amore dictum est à Poeta,

Amor odit inertes, &

Militiæ species amor est, discedite segnes,

Non sunt hæc timidis signa ferenda viri, &

Audacem faciebat Amor.

Ita profectò se res habet, nõ potest hic amor otiosus esse, res magnas meditatur, laboriosa atq; ardua cogitat, pręclara appetit, difficultates omnes vincit & superat. Adhibeantur exẽpla sanctorũ hominũ. Lætus præterea esse debet, vt perlibenti animo, alacriterq; grauia & aspera perferã tur, eius causa qui amatur. Argumento sunt Apostoli, qui gaudẽtes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Postremò flagrans sit oportet, & faciendi & patiẽdi multa per cupidus, qualis in Daniele extitit, quem virũ desideriorũ diuinitus appellatum sacris literis proditũ est. Qui sic amat, sui ipsius obliuiscitur, corporis dolores nõ sentit, omnia perfert, ac superat, de Deo triumphat.

Secundæ partis loci.

QVadruplex est amor Dei. Primus est naturalis communis bonis & malis: omnes enim ita sunt à natura edocti, vt Deũ ament. Alter est amoris gradus, cũ eius opem nobis necessariam esse sentimus. Tertius, cùm Deus propter delicias, quæ ab ipso manant, amatur. Quartus demùm diuini amoris gradus numeratur, ad quã ascendũt illi, à quibus Deus propter se amatur, atque ad hunc postremũ gradum Christianos homines aspirare maximè decet, qui maximè omniũ mortalium ita sunt diuinis præceptis & constitutionibus informati atq; edocti, vt Deũ propter se amandum esse intelligant.

Tertiæ partis loci.

DEcem possunt esse argumẽta atq; signa huius amoris in homine. Primum est, si quis libẽter de Deo cogit[illegible]. Secundum,

libenter in domo Dei versari, vt Anna vidua faciebat. Et Christus dominus noster, qui duodecim natus annos in templo inuentus est, & grandior vbi vrbem ingrediebatur, templum adibat. Hæretici, quòd se ipsos non Deum ament, templa depopulantur, spoliant, incendunt, euertunt. Popinas verò, ganeas, cauponas, & lustra libenter frequentant. Homines (si homines appellandi sunt, & non potiùs teterrimæ belluæ) ventri, atque abdomini nati. Tertium, de rebus diuinis libenter loqui, vel cum Deo agere, exemplo Magdalenæ. Quartum sæpè & studiosè Deum audire, & quę audimus memoriæ commendare, vt Dei Matrē imitemur, quæ conseruabat omnia hæc verba, conferens in corde suo, & illam, quæ sedens secús pedes Domini audiebat verbū illius. Quintum non grauatè, sed libenter atque alacri animo proximorū ægestatem subleuare, & liberalitatem erga omnes quoad eius fieri poterit, propter Deum exercere. Sextum, religionis, ac pietatis retinendæ causa, ac nomine res aduersas perpeti, pericula audire, labores suscipere. Septimū Dei imperata facere, eique in rebus omnibus dicto audientē esse. Hæc enim (inquit diuus Ioannes) est charitas Dei, vt mandata illius custodiamus, & si quis diligit me, inquit Christus, sermonē meum seruabit, amare ac prosequi, quæ Deus iubet, & grata habet, odisse ac fugere, quæ Deus fugit, vetat, & damnat. Nonum, humana omnia despicere, & pro nihilo putare. Decimum, Dei ministros vereri, obserua e, colere, quos qui spernit, Deum spernit, qui audit Deum audit.

Epilogus, numerabit diuina beneficia. Primò, communia, ex 2: de natura deorum non longe à fine. Deinde priuata ex fortunæ bonis, lege Ciceronem 1. Accus. contra Verrem. Excitabis gratitudinem.

De diligendo Deo argumentum.

ORdieris, si videtur à ficto, vt picas: Si Dei natura oculis cerni possit, futurum, vt ad eum diligendum omnes inflammato studio raperentur, ita vt ab eo diuelli nulla ratione possint. Sed quoniam Deus, neque oculis, neque vllo sensu percipi potest, & in Dei charitate posita est nostra fœlicitas, faciendum esse hominibus, vt se inter se, ex ijs, quæ reliquit vestigijs, & amplissimis eius in genus hominum beneficijs ad eum cognoscendum & diligendum inflamment: tum facta modestiæ significatione beneuolentiam conciliabis, & re de qua dicturus es proposita, dociles esse, & eius necessitate exposita, attentos facies auditores: denique per apostrophē Spiritus sancti, qui diuini huius amoris fons & caput est, opem im-

implorabis imitatione orationis pro Rab. perduellionis reo.

Confirmationis primũ caput erit, Quòd ex omnibus animantibus solus homo quippè intelligentię, ac volũtatis particeps ad cumulum dignitatis procreatus est ad diligendum Deum, eamq; ob causam nobis scientię quasi igniculi & incredibilis boni cupiditas est ingenerata diuinitus, quibus præsidijs, Deo benè iuuante ad pręstantissimam illius, & bonis omnibus affluentem naturã, cognitionem & charitatem aspiremus. Reliquit enim in hac rerum vniuersitate nõ obscura suæ bonitatis impressa vestigia, quibus eam persequi & tenere aliquãdo possemus. Hic breuis creaturarum enumeratio intexi poterit: ex qua quantum tandẽ bonum sit Deus, liceat suspicari. Ac ne fortè homines posthabito rerum effectore, effectas res amplecterentur : voluit Dominus innatum illum amorem beatitudinis tam latè patere, nullis vt possent homines creatis rebus expleri. Tum exclamatio subiungenda cum apostrophe ad Deum coniuncta: quæ conficiat admirationem: & hoc diuinũ beneficium exaggeret, qualis est illa in 1. lib. Accus. Tantæne Verres, &c. Deinde docebis cætera bona futilia, breuia, caduca, vnum Deum solidum, æternum, summum bonum esse, nec mirũ Est enim fons bonorum omnium, vitæ, scientiæ, virtutis, opum, gloriæ, gaudij sempiterni, in quo imitari licebit locũ ex Maniliana non longe à medio.

Adiunges quasi appendicẽ hac ratione. Mortales cœlestibus ipsi pares esse quodãmodo, siquidem illorũ beatitudo est in Dei cognitione atque amore cõquiescere, idque exaggeretur ex comparatione homunciorum cum cœlestibus illis Principibus. Denique hunc locũ præmio, quod est Dei amatoribus propositũ, & pœna eius contemptoribus cõstituta concludes. Hinc transitione qualis est in 1. lib. Accus. Vis autem & magnitudo horum beneficiorum ex his qui carent, & ex ficto demõstrabis per transitionem similem Ciceronianæ in 1. lib. Accus. Nolite quęso iudices. Ad tertium caput venies quà Dei in nos amor continetur, qui cum multis rebus ante declaratus erat, tùm non planè perspectus, tùm cum nos ita dilexit vt Filium suum vnicum daret. Ea res ex adiunctis exaggerãda. Insistendum in eximia Christi in nos charitate, certissimis amoris argumentis, in quo imitaberis concessionem illam, quæ est in primo libr. Accusat. His ego auditoribus, &c. Denique illi accedat tanquam cumulus amplificationis nostram in Christũ charitatẽ maiorem, quàm in Reges, benemeritos, conseruatores parentes esse debere, in quo imita

ri licebit orationē post reditum ad Quir. Ad extremum per enumerationem perorabis.

Delaberis ad alterum caput de beneficijs diuinis, ac primum de communibus dices. Mundus ad vsum hominis instructus est, ex 2. de natur. deor. & non longe à fine. Deinde de priuatis, idest de fortunæ, corporis, & animi bonis quem locū præmunies more Ciceronis in 1. lib. accusat.

Argumentum orationis de timore Dei, Exordium.

IDcircò pauci ad sapientiæ laudem peruenerunt, quod plerique Dei timore careāt, qui est initium sapientiæ. Deinde vt exordiū totius rei significationem habeat, timoris diuini vim, dignitatem, & commoda breuiter, cursimq; perstringes. Dices enim Dei timorem nihil aliud esse, nisi à diuina maiestate profectū metum lædendi numinis, qui nos ab omni scelere & flagitio deterreat & ad diuinas leges accuratissimè seruandas impellat. Posteà attentionem ex significatione modestiæ, & beneuolentiam tibi conciliabis: denique tripartita distributione vtaris, ductæ ex honestate, vtilitate, necessitate timoris diuini, ex tract. 5.

Confirmatio.

PRimus locus ab honestate, ceu præmunitio præponenda, quod per angustias temporis multa prætermittenda sunt. Honestas autem in eo cernitur: primum, quòd hic motus ad religionem, virtutem nobilissimā pertineat, quod vt Deo & parenti amor, vt domino timor habeatur, atq; vt perpetuo hic metus esset numinis formidinem in animis nostris, ingenerauit Deus. Deinde quod sanctissimus quisque in sacris literis hoc potissimū nomine non sine Dei nutu aut voluntate laudetur, idq; exēplis Abrahami, Iosephi, Dauidis, Tobiæ, Simeonis, & aliorū illustrabis, atque adeò Deus ipse passim Vatū vocibus nos ad hunc timoremretinendū hortatur: *Seruite Domino in timore.* Exultate ei cum tremore: quæ verba sanè interpretanda & exaggeranda sunt. Idq; ex comparatione maiorum amplificandum. Ad extremum per anteoccupationem respondebis ijs, qui existimant turpe, atque nihil esse perpetuò numen timere: dices non tàm eum, à te numinis metum laudari, quò Deum tā quam seuerum dominum formidamus: sed eum, quo tanquam filij parentem vereamur.

Alter locus ab vtilitate, quod nos in officio continet, ab omni scelere, flagitioq; deterret à periculis, vel animæ, vel corporis vindicat; sæpè etiam maximis præmijs cumulat, id quod exēplis illustrabis, Iosephiq; cum dominæ libidini restitisset, à maximis est periculis liberatus, & in

in altissimo honoris gradu collocatus. Dauidis, qui cùm Saulem inimicum acerbissimum interficere posset; noluit, atque ita & se ab hostium insidijs vindicabit, & ad Regnum (Deo bene iuuante) peruenit. Iosaphati, qui cum grauissimo bello a Moabitis & Syris premeretur, placato numine consecutus est, vt solo tubarum signo hostem profligaret: atque his exẽplis veteribus euolutis, recentia pones, Caroli Magni, qui cum Sarracenos in Gallia atque Hispania deleuisset, Longobardos Pontificiæ ditioni imminẽtes deuicisset, creatus est Imperator Romanorum, tùm primum Imperium à Græcis ad Germanos translato. Huc accedit, quòd vitæ necessaria copiose suppeditat, *Timete Dominũ omnes sãncti eius, quia nihil deest timentibus Deum.* Quæ vox oratoria tractanda est, idemq; solùm est ac fundamentum sapientiæ, quod ex Vatis voce, & appositis illustrabis exemplis, nonmodo Salomonis, qui sapientiã hausit diuinitùs, verumetiam Danielis, & sociorum, itemq; Apostolorum, Doctorum Ecclesiæ, atq; in primis Thomæ Aquinatis. Quid quod sedatis perturbationum fluctibus animum tranquillat, mentis oculos ad diuina vidẽda pungat & acuat? Quod Danielis maximè exemplo comprobabis. Ad extremum Deo optimo maximo noscharos reddit in hac vita, & post mortem beatos. Id declarabis vno Ludouici Gallorum Regis exemplo, & sacrarum literarum vocibus, quę passim eos qui timent Dominũ, appellant beatos.

Tertius locus à necessitate, quòd infamię legũ, & pœnarum metus non satis habeat virium ad prohibendas hominũ cupiditates, eosq; in officio continendos, idq; exemplo Lucretiæ cõfirmabis: seu ex altera parte oppones Susannæ, atq; ostẽdes metũ numinis hãc vim habere, vt remotis etiã legibus ac pœnis homines cõtineat. Ad quẽ locũ assumes annulũ Gigis, deinde osten des ex effectibus per amplificationẽ, qui leges perturbat, pœnasq; cõtẽnit, nõ nisi cum diuini metus consideratione coerceri, quod denique qui ex illis euaserint, arctioribus apud Deũ vinculis teneãtur. Hùc accedit, quod metu, vel maximè salus nostra cõtinetur: alit enim demissionẽ animi, cũ vtrũ odio, an amore digni simus, ignoramus: cautos nos efficit, vt lapsus vitemus, cũ tã multos ex sanctitatis penè fastigio excidisse videamus. armatos nos assiduè esse debet, & paratos ad prçliũ, ne quãdo humani generis hostis nos opprimat imparatos. Hoc verò maximè optat ille hostis hominũ sempiternus, vt nos hoc metu vacui simus. Denique Christus loquens indúcetur, & hunc timorẽ illis verbis suadẽs:

Nolite

Nolite timere eos, qui corpus occidunt, timete eum qui poſtquam occiderit poteſtatem habet mittendi in gehēnam ignis. Quod augebis ex ficto, quod vim habeat ex minori. Ad extremū conuerſa ad Deū oratione, hunc metum petes omnium ſtudioſorum nomine, atq; ita perorabis. Capita petitionis ex tract. 4. deſumes.

Omnia contemnenda ſunt, vt Dei gratiam promereamur.

PRimùm oſtendendū eſt, quā ſint omnia caduca, fragilia, leuia, incerta, breuia, quod perſpicitur in ſcientiarū leuitate, in rerū naturaliū viciſsitudine & interitu, in corporis morbis & ægritudinibus ac miſerijs, varijs quā plurimis, in rerū externarū, ac diuitiarū vſu fallaci, & incerta poſſeſsione, in animi cura & ſollicitudine, in ijſdem vel comparandis, vel conſeruandis, vel augendis, poſtremò in voluptatū fugacitate, in fortunæ, pulchritudinis roborisq; fragilitate, in potentię bonorum, dignitatumq; lubricitate, quæ omnia vt talia ſunt, nec animum explent, appetēda, qui cenſet, ignorat, quod nā illud ſit bonū, vbi animus requieſcit.

Secundò, deinde demonſtranda eſt illius ſummi boni, hoc eſt diuinę naturæ, ſiue ipſius Dei magnitudo, præſtantia, excellētia, dignitas, vt id vnū cognitū expetamus, & ad id ſolùm ſtudia cogitationēs, labores, actuſque noſtros vniuerſos referamus, profitentes id vnum eſſe hominis finē & beatitudinem eius quærendæ cauſa; nihil difficile, aut arduum exiſtimare debemus. Epilogus per enumerationem.

Adhortatio æmulationis.

EXordium ducendum eſt à tēpore, quod modo inſtaurata ſtudia hoc ipſum orationis argumentū poſtulant, vnde Cice. de prouincijs Conſularib.

Primus locus à definitione, quid eſt ęmulatio. Æmulamur ijs qui habent, quod nos habere cupimus, ſic fit vt pares paribus, æquales æqualibus æmulentur, æmulationem eſſe communē omnibus artificibus, omnibus ſtudioſis quarumcunque artium.

Si hoc poteſt in alijs artibus, multò magis in his præclaris, argumento à minori: nā in alijs artibus habet natura, fortunæq; locum, hoc nos totum habemus.

Secundus locus: æmulatio nō obtrectationē alienarum laudū parere debet: eſt enim ea ad admirationem, vel laudationē, non inuidiā, ſed imitationem: non odiū, ſed beneuolentiam, ſed amorem: curſus enim curſu vincitur, vt Cicer. 14. Philip.

Tertius locus ab vtilitate, quia æmulatio alit ingenia, quæ cauſa eſt, vt periti vnius artis, multi eodem tempore fuerint, Euripides, & Sapho, Plato, & Ariſtot. Legito Cicer. in Bruto.

Quar-

Quartus locus à damno & incommodo, non enim enituerũt artes, vbi earum non fuerunt studiosi aduersarij, Cicero de diuinatione.

Quintus locus à gloria, quia gloriosorũ est habere, quo cum de gloria, & ingenij laude, & honore certes. Exemplum gladij, qui hebescit nisi vtaris. Exemplũ Athenarum, quæ multa præclara gesserunt, vbi habuerunt Lacedęmones aduersarios, quibus victis dederunt se se inertiæ & desidiæ, &c.

Sextus locus à contrario. Lege Iustinum lib. 6. extremo, vbi agitur de æmulatione Atheniensium & Lacedæmoniorum. Vide etiam Liuium lib. 3.

Peroratio ad amplificationem dictorum excitandi adolescentes ab ingenio, ab ætate, ab hoc tempore, à loco. Improbabis à turpitudine, quòd turpe sit vinci: ab æquali, priorem superasse præclarum est. Lege orationem pro Sextio.

(-:-)

VLTIMA CENTVRIÆ PRIMÆ PARS, QVA CHRISTI optimi maximi, & immaculatæ semper Virginis mysteria, Rhetoricis exercitamentis comprehenduntur.

Ne in hoc etiam genere exemplaria deessent, quibus iuuentus ad Dei Matrem, simul etiam ad Filium aspiraret, visum est vltimam nostræ centuriæ primæ partem exemplis subiectis consignare, quæ Redemptoris nostri Iesu, & nullo temporis momento, vel instanti maculatæ Virginis mysteria complectantur.

De Aduentu Domini nostri Iesu Christi.

EXordium duci poterit à sapientissimo Ecclesiæ Catholicæ Consilio, quæ vt Domini nostri Iesu Christi memoriam frequen-

quentissime nobis obijciat, dies esse statuit, in quibus singulare aliquod salutis nostræ opus perfectum & absolutum traderet, quos etiam in assiduis supplicationibus consumere solet, quod si paulò diligentius rationem huius inuestigabimus, intelligemus profectò rem hanc cum amplissimis Religionis Christianæ emolumentis esse coniunctam.

Propositio.

QVA in re ne negligentes, aut remissi videamur, illud quod constanter à nobis fuit receptum; declarabimus. Nos modo quantum hinc fructum facilè colligere possumus, intelligemus.

Demõstremus igitur, quomodo Liberatorem nostrum suscipere debemus, deinde quosnam fructus suscipere valeamus. Nemo est, qui si diligenter secum reputet, non facilè intelligat, quo modo sit suscipiendus, qui & omniũ optimus est, & ad scelerum nostrorum sordes diluendas aduenit.

Si vsquam Dei optimi maximi summa bonitas, & clementia nobis comparata est, nunc maximè apparet, cùm Deus nos quodammodo, & vera affinitate & cognatione contingit. Deus enim homo homini coniunctus est, Creator creaturæ, Cœlestis denique terrestri coniungitur. Si quondam rudis illa & imperita Hierosolymitarum turba tanto applausu, animorum gratulatione Christum asinæ insidentẽ excepit, quanto magis animis nostris sese nouo quodã genere muneris immittentem, illũ & venerari, & colere, & complecti debemus. Cõponit se ægrotus, vt medicũ excipiat, seruus vt dominũ, miles vt ducem suum. Cæterũ vt id in primis intelligamus, vitia eruenda esse: venit enim Christus non quidẽ ad eos, qui vitijs, sed ad eos qui virtutibus ornati sunt. Tu igitur diues, quo vultu pauperẽ Christũ aduentantẽ excipies. Tu nè superbe, humilẽ Christũ audebis compellare? quod si ille submissis & purgatis animis excipitur, quantis nos beneficijs cumulabit? Nam si mortuos excitat, si surdis audiẽdi facultatem reddit, si multorũ linguas disertas facit, si denique mutilata corpora ad suam integritatẽ, ac incolumitatem restituit: nonnè nunc animis nostris in pristinam innocentiam restitutis, eius aduentus summos atq; certissimos fructus percipiemus?

Oratio verò nostra concludetur; ita vt omnes ad spem excitemus: plerique enim Christum sibi ob oculos in Cruce affixum proponere reformidant, aliqui à mortuis excitato terrentur; sunt qui concionantem pertimescũt: at verò puerum in cunis vagientem quis pertimescet? Quis potius

tius ab eo impetraturum non cō fidat? Quam flebilis illa vox, lachrymæ illæ non commouebūt? Quis denique puerum pastores rusticos admittentem, adire, ac salutare non audeat? Denique accedat tanquam cumulus amplificationis nostram in Christū charitatem maiorē esse debere, quā in Reges benemeritos, conseruatores & parentes. Lege orationem post reditum ad Quir. Quorsum igitur hæc disputatio, vt in 4. Accus.

De Natali Domini.

PRimò consideretur quis nascitur.

Secundò, quomodo nascitur, id est ex Virgine Matre sine patre, in terris oritur, is qui ex patre sine matre in cœlis sine principio genitus est. Id probetur à simili, & maiori. Primò ex mundi creatione. Deinde ex Adami productione. Tertiò ex Euæ fabricatione. Postremò ex eiusdē Christi factis, qui & cœlos penetrauit, & clauso tumulo exijt.

Tertiò, quare natus. Primò nostra causa, quod ad ipsius infinitam pertinebat charitatem.

Quartò, quo tempore nascatur media hyeme, in summa pace & tranquillitate orbis, &c.

Quinto cōsiderentur adiuncta, vt paupertas, loci vbi natus est qualitas, Angelorum concentus, pastorū officiū & adoratio. Adde, si placet, vatum oracula, Sybillarum vaticinia, &c.

Epilogus conferetur ad gratiarum actionē, ad cultū & venerationē nati pueri, & ad imitationē castimoniæ, submissionis, charitatis, benignitatis, &c.

De Circuncisione.

EXordium ducetur à fausta & fœlici ineuntis anni precatione, qui annus quantò fœlicioribus auspicijs nobis Christianis, quā Ethnicis olim inchoetur, declarat hoc Christi beneficiū hodierno die in nos collatū, quod quantum sit, diligenter considerandum videtur.

Propositio.

QVam igitur gratiā, quæ dona, quæ munera, vt mos fert Christus modo natus largitur sanguinem, lachrymas, virtutum exempla, æternæ salutis ac beatitudinis spem.

Loci confirmationis.

PRimū explicetur causa, quāobrem circumcidatur, quæ causa est multiplex. Prima, vt legi quā ipse tulerat, pareret. Hic tractentur per digressionem laudes obedientiæ desumantur ex tractatu 2. de genere exornatiuo.

Secunda, vt modestiæ ac submissionis nobis exēplū preberet,

dum

dum eius legis, qua non tenebatur iugo se subiecit. Hic fiat exhortatio, cuius capita dabit tractatus de genere deliberatiuo, capi. vltim.

Tertia, vt sanguinem suũ pro nobis iam inde ab infantia quoque profunderet. Excitetur affectus amoris ex tractatu de affectibus cap. 2.

Quarta, vt doceret nos etiam alio tamen modo esse, ac ratione circuncidendos. Fiat gratiarum actio ex tract. 4. par. 2. cap. 9.

Quinta, vt illorum errorem & audaciam coargueret, qui eum verum corpus induisse negaturi erant: inuectiua in illos, desumptis nonnullis capitibus ex tractat. 4. par. 2. cap. 7.

Sexta, vt Iudæis satisfaceret, quos, si hunc ritum, moremq; neglexisset, grauiter offendisset.

Septima, vt antiquam legem, cuius interitus mox sequebatur comprobaret. Ante ipsius enim aduentum lex illa cæremoniarũ sacrosancta habenda fuerat, post verò penitus abolenda.

Secundus locus, quomodo nos circuncidi oporteat? Tripliciter, per iustitiam à vitijs: per memoriam mortis à superuacaneis & non necessarijs: per charitatem ab humanis curis & negotijs: sic fiet, vt tandem à mortuis excitati circuncidamur, & liberemur ab omni ærumna, miserijsq; salutem & fœlicitatem perpetuã consequamur, quàm nobis sanctissimum Iesu nomen hodierno die diuinitùs impositum pollicetur, de cuius nominis magnitudine ac potestate deinceps dicendum videtur.

Magnitudo probatur ex multis. Primò, quia id nomen Deus consecrauit & indidit veteres Patres expectarunt, sancti Patres prædixerunt, Angelus nunciauit, Apostoli prædicauerũt, Martyres profitendo propagarunt, Confessores cõmendarunt, Virgines in eo exultarunt, sancti denique omnes venerati sunt.

Potestas declaratur, quòd hoc nomine cacodæmones exhorrescunt, eijciuntur, fugantur, exterminantur, morbi pelluntur, mortui ad vitam reuocantur. Alij nominis effectus ex Theologis inquirendi subministrat, nonnulla Gretserus suis de Cruce voluminibus. Orator se se ex aliorum Doctorum prçsidio muniat.

Peroratio cum adhortatione ad eius nominis cultum, & religionem per vitæ integritatem & virtutum exercitationem, sed enumeratio fiat per singularia earum virtutum, ad quas nos vrget & impellit.

De Epiphania Domini argumentum.

EXordij sententia. Etsi difficillimũ est de rebus diuinis verba facere, atque hoc munus non nisi sapientissimo, atque ad dicendum paratissimo concedendum

dum, tamen ego, qui neque doctrina, neque orationis facultate multum valeo, nolim mihi vitio dari, quod ad dicendum de re tãta, quantam hodiernum munus suppeditat accedo; nam & ipsius diei sanctitas, atque religio, & eorum imperium, à quorũ voluntate discedere, mihi turpe sit, & diuini spiritus bonitas, quæ ora mutorum soluit, & diserta facit, ad hanc me prouinciam suscipiẽdam, non hortatur modò, verũetiam vehementer inflammat, atque impellit, &c.

Propositio.

ITaque dicendum est, primum de diuina erga homines benignitate, ac prouidentia singulari, quam hodiernus dies declarat, tũ de Magorum virtutibus: postremò de nostro officio pauca pro temporis ratione dicemus.

Loci confirmationis primæ partis.

DEi optimi maximi bonitas, non dicam in hosce tres Magos, sed in omnes gentes, quas error, ignorantia, impietas, superstitio, multis iam retrò actis seculis tenebat se se maximè ostendit, cùm hos Magos Balam vaticinio admonuit, nouæ ac prodigiosæ stellæ miraculo excitauit, excitatos perduxit: ad Iudæam perductos confirmauit sapientium testimonio, suo aspectu recreauit, fidei lumine illustrauit, diuini amoris igne inflammauit, cœlesti denique nuntio in patriã recta via reduxit. Amplificetur beneficium, quia magnum, vnicum sponte collatum, &c. ex tractatu 4. par. 2. c. 9.

Loci confirmationis secundæ Partis.

MAgorum laudãda & admiranda sapiẽtia in interpretando, intelligendoq; cœlesti signo: diligentia & studium in itinere tam longo, tam difficili & periculoso ingrediendo, constantia in prosequendo, Religio & Fides in Puero adorando, amor & pietas in munere dando, obedientia in redeundo, vt diuinitus per quietem admoniti fuerant, alia quàm venerant via. Interseratur trium munerum interpretatio, quam tritum illud distichon complectitur.

Thus, aurum, myrrham, Regiq; homi-
nique, Deoq;.
Myrrham homo, Rex aurum, sus-
cipe thura Deus.

Loci confirmationis tertiæ partis.

DIcendum est primò quomodo nos Magos esse oporteat, hoc est sapientes, ac Reges, vt illorum facta imitari possimus. Reges erimus, si nobis ipsis imperemus, si in nostra ac interna Rep. ratio regnet, religio imperet, iustitia dominetur, quæ cupidita-

tes compescat, appetitus coerceat, motus animi effrænatos reprimat, vt nihil cupiamus, quæramus, cogitemus, nisi quod honestum sit atque diuinum: caduca, incerta, humana omnia contemnentes, & nostræ naturæ dignitati interiora ducentes. Sapiẽtes tum demũ erimus, cùm Deũ cognoscemus, & multis signis & oraculis excitati, inuitati, vocati ad illum accedemus, vt beneficum colemus, vt iudicem metuemus, vt denique rerum omnium opificem moderatorem, conseruatorẽ venerabimur: audiamus cœlestis sideris vocem, cuius lumen sequuti, Christum quæramus non in rebus externis, opibus, delicijs, non in forensi strepitu, aut populari tumultu, non in Regijs ædibus, aut ædificiorũ structura, aut humanarum rerũ affluentia, sed in Iudæa, in Bethlehem, in stabulo, in præsepi, in summa inopia & egestate, &c. Et sic demum in nobis inuẽto tria munera offeramus, hoc est, Fidem, Spem & Charitatem aurum charitatis, thus spei, myrrham fidei, vel ea, quæ ex disticho continentur.

Aurum mens pura est, thus est affe-
ctio, flagrat
Myrrha simul casti corporis in-
tegritas.

Vel bona corporis, vel animi, vel externa, vel dicta, cogitata, facta, vel piã precationẽ, corporis vexationẽ, rerũ diuinarũ studium & amorem, vt hoc demum modo per aliam viam in nostrã redeamus regionem, hoc est virtutum via, cœlumq; petamus, quæ nostra est patria. Peroratio non erit alia, quàm huius tertiæ partis tractatio.

De nece Domini.

EXordij locus primus, etsi vt D. Paulus monet, Nos in Cruce Domini nostri gloriari, & recordatione tanti beneficij, nostræq; redemptionis memoria in primis lætari oportet, sunt tamen quædã æquè nõ leuia, quæ hoc gaudium & lætitiam vehementer perturbent, & ad mærorẽ & dolorem traducant. Primũ, causa propter quam Deus filiũ sibi æqualem, innocentẽ, immortalem morti pro nobis addixit; neque enim ita gaudere debere mus ob singularẽ Patris iubẽtis benignitatẽ, & Filij obtẽperantis ac morientis charitatem, vt nõ etiam maximè doleamus, quod tanto Domino nos vilissima, abiectissimaq; mãcipia tot tormẽtorũ & crucia tuũ causa extiterimus, siquidem non gaudere, ingrati est animi, & nõ dolere, crudelis.

Secundus locus exordij, etsi Christi, qui caput est nostrũ, viua mẽbra sumus, capitis nostri dolorẽ non sentire omninò nõ possumus, si eius doloris socij sumus, erimus enim voluptatis.

Tertius locus exordij. Hodiernus

nus dies, quẽadmodũ Iudæis lætitiã, sed perniciosam attulit, sic nobis luctũ, & quidẽ salutarem afferre debet, vt cũ Virgine Maria, & Discipulis vnà collachrymemur, quando etiam moriente Domino lapides & saxa frangũtur, tẽpli testudo, seu velum scinditur, sepulchra patefiunt, &c. Si ergò muta, & ea, ad quę mors Christi non pertinet, mortẽ Christi lugeat, quo nos animo esse decet, pro quorum salute Christus sanguinem, vitamq; profudit.

Propositio.

ERit cõmodissimum, si rẽ vniuersam non eo quo gesta est ordine, sed ex plurimis pauca quædam pręcipua seligentes ad certa hæc capita redigamus, vt primũ infinitã Christi erga nos charitatẽ, deinde singularẽ submissionẽ, tũ incredibilẽ patientiã, postremò harũ institutum, & tamdiræ necis emolumenta.

Narratio.

EXordienda est narratio idoneis amplificationibus, exclamationibusq;, reliquisq; omnibus ornamentis admotus animorum accommodatis.

Confirmatio primæ partis de Charitate.

CHaritas demonstratur. Primò, si cõsideremus, quis sit qui patitur, ex tract. 2. de exornatione. Secundò, pro quibus patitur, pro vilissimis seruis. Tertiò quid patitur, inediam, sitim, algorem, ęstum, rerum omnium indigentiã, cõtumelias, maledicta, verbera, reliquaq; quæ ad patientiã pertinent.

Deinde charitatẽ hãc declarauit, antequã mortẽ oppeteret. Primò erga proditorẽ iã pudore, iã verò terrore, denique summi amoris signis in ablutione pedũ, corporis & sanguinis cõmunione. Deinde erga negantẽ Petrũ. Tertiò, erga Discipulos, dũ mæstos cõsolatur. Quartò, in aduersarios & testes & carnifices, etiã Malcho aurẽ reddit, interfectores excusat, latronẽ cõfirmat. Quintò in Matrẽ, dũ eã Discipulo cõmendat. Sextò, in nos omnes, dũ sanguinẽ pro potu, corpus pro cibo donat, dũ vitã pro nobis amittit, dum omnia denique causa nostra facit. Ex hac tãta charitate singularis illa & inaudita manauit submissio, quã homo factus ostendit in suo ortu, in circuncisione, in fuga, in baptismo, in tentatione, in perpetua omnium rerum indigentia, &c.

Confirmatio secundæ partis de Patientia.

PRimò, inuicto animo tulit se à discipulo, de quo tamẽ erat benemeritus, prodi, vẽdiq; vilissimè. Secundò ad mortẽ rapitur innocens iuuenis. Tertiò, patientiæ magnitudo declaratur ex vi doloris, quem pauor & sudor sanguinis ostendebat in horto. Quartò comprehenditur, constringitur, deseritur à suis, rapitur ad iudices iniquissimos.

Quintò accusatur à calumniatoribus, vrgetur à ministris, spinis transfigitur, rapitur, impellitur, pugnis & calcibus traditur, conspuitur, irridetur, cæditur. Sextò Crux imponitur humeris, vt plagis & verberibus cõfectus portet. Septimò à nullo defenditur in tantis malorũ angustijs, ab omnibus destituitur, vt nec in tanta hominum, quos tot modis ipse iuuerat, multitudine, vllus sit inuentus, qui vel vnũ pro ipso verbulum fecerit. Octauò, damnatur in dicta causa, & populari furori ac temeritati traditur. Nonò, tandem in Crucem tollitur, ex omnibus corporis partibus sanguis profluit. Decimò, in loco infami atq; deformi, & squallore horrido, vniuersa spectante multitudine, & morienti insultãte Cruci suffigitur. Vndecimò, nudus pendet, vt ipsius paupertas, & humanarum rerum contemptio demonstraretur. Duodecimò, in tantis supplicijs qua potione recreatur; aceto & felle: vide inhumanitatem & feritatẽ Iudæorum, vide patientiam Liberatoris. Decimotertiò, Matris aspectus dici non potest quanto pere morientis vrgeret dolorem. Decimoquartò, quibus circunstãtium verbis, vt cęteri penè moribundi subleuantur, conuicijs, cõtumelijs, maledictis. Decimo quintò, sæuitur in mortuum, pectus lancea transuerberatur, corpus precibus redimitur, vt sepulturæ mandetur.

Confirmatio tertiæ partis vtilitatis.

PRimò sublatæ sunt per Christum inimicitiæ nostræ. Secundò erepti sumus à misera seruitute, & asserti in libertatem filiorum Dei. Tertiò, fregit impetus dæmonum. Quartò, inferos spoliat. Quintò, nos informat ad obedientiam, charitatẽ, mansuetudinem, patientiam. Sexto, Angelicam naturam instaurat. Septimò, mortem illustrat. Octauò, septem vitia capitalia tollit: inclinato capite sustulit superbiam, apertis ad amplexum brachijs, inuidiam euertit: erogatis omnibus quæ habebat, auaritiam extinxit: festinatione & celeritate ad mortem, pigritiam: miti respõsione, iracundiam: aceti fellisq; potione, intemperantiam: transfixo pectore libidinem perdomuit. Denique dedit nobis carnem pro cibo, sanguinẽ pro potione, animam in pretium, aquã pectoris in lauacrum: dedit vestẽ tortoribus, corpus discipulis, Matrem Ioanni, spiritum Patri.

Epilogus.

HI sunt Christi domini cruciatus, hi dolores, hęc charitas, &c. Fiat exhortatio ad imitãdum, reprehensio pro ingratitudine, solatium pro spe, &c.

De admirabili & gloriosa Christi anastasi, vel de Christi ab inferis exsurgentis gloria.

EXordium duci potest ab officio, & grati animi memoria & beneuolentia, quam Christo debemus, vt cuius acerbissimā mortem, luctu, dolore, gemitu, lachrymis, paulò ante prosequuti sumus, nunc eius vitam tā magnificè, glorioséq; reuocatā, omni studio, religione, honore, gaudio excipiamus, atq; ad hāc lætitiam, pietatē, alacritatē, annua nos consuetudo sacrorū cæremoniæ, ritus hortantur. Quid enim aliud sibi volunt tam leta, & gloriosa cantica? Quid tēplorū apparatus atq; ornatus? Quid populi Christiani tacita quædā hilaritas, & exultatio? Quā quidem vt in se experiri posset, atque sentire, quis non se expiatis criminibus comparauit? Eo enim hæc vetus & salutaris sacrosanctæ Ecclesiæ consuetudo, cura, studium, cogitatio spectat, vt cōpressis, domitisq; cupiditatibus, omnes qui Christianis sacris initiati sunt, sine vlla animi labe, vitiorumq; contagione, sic vitam instituant, vt pulcherrimū & amplissimum illud, & bonis omnibus cōmune præmiū, gloriā, & immortalitatem consequantur. Quo circa eos omnes dies posteritati sacros, solemnesq; esse maiores nostri voluerunt, quibus aliquod salutis nostræ mysterium contineretur, vt proposita ob oculos Christi seruatoris exēpla diligentissimè prosequeremur. Cùm verò multi dies nobis quotannis suo ordine permulta diuinitùs concessa beneficia repræsentant: tùm certè nullus illuxit, qui gratior, & sanctior nobis esse debeat, quàm ille, quo fusis, fugatisq; immanissimis humani generis hostibus, Christus optimus maximus pulcherrimū præclarissimumq; salutis, vitæq; sempiternæ trophæum erexit. De quo cùm sit mihi hodierno die dicendū, quęso à vobis, &c.

Propositio.

NE autem in tanta rerum copia, atque in tam amplo, latoq; campo incerta & vaga feratur oratio, ad tria illam capita reuocabo. Et primum tàm gloriosi facti veritatem exponam. Tū necessitatem demonstrem. Postremò, gloriam, magnitudinēq; confirmem.

Præceptum Rhetoricum.

HVic exercitamento nō omnes loci argumenta subministrant: vt enim in omni terra non generantur omnia, sed res diuersæ in diuersis locis: ita non quoduis argumentum vndique venit.

Loci ad confirmandam primam partem.

PRincipio igitur Christi seruatoris facta non humanæ ratio

nis examine perpẽdere, aut pon-
derare, neq; naturę iudicio, aut vi
ribus metiri debemus. Est e-
nim stultissimũ his naturæ angu
stissimis limitibus, aut rationis le
gibus immensitatẽ, atq; infinita-
tẽ & incõprehensibilem illã poten-
tiã immortalis Dei definire, qua-
si nihil facere, aut potuerit ac de
buerit, quod vel nostrã intelligẽ
tiã superet, vel naturæ fines egre
diatur, atq; transcendat. Itaq; ea
dem potentia Christus hodierno
die, stupente natura reuixit, & à
mortuis victor mortis ac trium-
phator extitit, quæ olim hanc re
rũ vniuersitatẽ ex nihilo finxit,
qua idẽ sine viri opera, ex Virgi
nis vtero mortalis homo in lucẽ
prodijt, qua denique ipse verè
Deus & homo tot mortuos ab in
feris nuper excitauerat, seq; Deũ
esse, & naturæ parentẽ, atq; hu-
manæ mentis & rationis opificẽ
tot signis, prodigijs, miraculisq;
declarauerat. Quãobrẽ vt hãc suã
Anastasim, qua spes omnis no-
stræ salutis & beatitudinis cõti-
nebatur, illustrem posteris relin
queret, voluit eã multis argumẽ
tis cõprobare & cõfirmare, atq;
ita confirmare, vt omnẽ penitus
dubitationẽ ex animis tolleret.
Primũ igitur res hæc tanta per
Angelos probata est, in quos mẽ
daciũ cadere non potest. Hi mu
lieribus Christum in sepulchro
quærentibus, ibi esse negarunt,
& reuixisse confirmarunt. Dein
de huiusce rei sunt locupletissi-
mi testes ipsi inimici, à quibus ap
positi custodes ad obseruandum
tumulũ repẽtè conterriti, atq;
vrbem ingressi, Principibus fa-
ctũ renuntiarunt. Tertiò, Chri-
stus verè se reuixisse ostendit,
dũ in oculis Discipulorũ come-
dit, dum se eisdẽ tractandũ præ-
buit, cicatrices ostentans. Quar-
tò, quidquòd toties visus est suis?
Quòd Mariam mœrore, luctu,
squalore confectam, incredibili
amore & desiderio Magistri fla-
grantem & languentẽ vltro affa
tur & consolatur. Quod itẽ san-
ctis mulieribus à sepulchro re-
deuntibus palàm se se ostendit?
Quòd Petro separatim, quod itẽ
duobus Discipulis iter facienti-
bus, quod aliás cunctis domi se
continentibus, & Iudæorum fu
rori cedentibus, obseratis fori-
bus visus est? Quod ijs idem nũc
ad mare Tiberiadis piscantibus,
nunc in monte Thabor, consistẽ
tibus, nũc in vrbe Hierosolyma
commorantibus se rursus osten-
dit? Quæ autem certiora, firmio-
raq; argumenta eius facti profer
ri possunt aut inueniri, quam si
post mortẽ viuus oculis hominũ
cernatur, si Angelorum vocibus
& testimonijs viuus prædicetur,
si denique ad omnẽ dubitationẽ
tollendã ipsemet Christus, & se
verè ab inferis extitisse & reui-
xisse demõstret, & cicatrices ad-
uersas ostẽdat, & discipulorũ ma
nibus se tractãdũ prębeat, & illis
inspectãtibus mortali cibo vesca
tur?

Loci secundæ partis.

NEcessitas probatur ex causis propter quas Christus reuixit, quarũ prima est, vt vaticinia cõficerẽtur atq; cõprobarẽtur. Tunc enim per anastasis gloriã renouata est vt aquilę iuuẽtus Christi: tunc leo suũ catulũ suscitauit, tunc phoenix reuixit, tunc Ionas ex ventre cete incolumis extitit: tũc cãdelabrũ opertũ est auro, tunc quod collapsum erat Dauid restitutũ est candelabrũ, tũc Sol qui nubilus erat obiectus depulsa caligine statim refulsit. Tunc Samson portas cũ postibus euulsas asportauit, tũc Iosephus è carcere eductus capillũ totondit, totiq; Ægypto præpositus est. Secũda causa est, vt quẽ nostrę salutis auctorẽ, vitæq; parẽtẽ agnouimus, in quo nostræ incolumitatis pręsidiũ collocamus illũ immortalẽ quoq; sciremus, vt quẽ mors paulò ante hominẽ demõstrauerat, eũ hodierno die anastasis Deũ nobis, mortisq; victorẽ ostẽderet. Qui enim superata morte ad vitã sua vi redit, nõ potest esse mortalis, sed vniuersæ naturæ opifex, dñs, moderator, ac Deus sit, necesse est. Tertio, vt nos hoc exẽplo cõmoti ad virtutẽ & ad bene, beatèq; viuẽdũ ex cõscelerata, mortiferaq; vita emergeremus, atq; excitaremur, & vitijs mortui, virtutibus deinceps viueremus. Quarta, vt futurã mortuorũ anastasim designaret: sic enim inquit D. Pau. si Christus nõ resurrexit, inanis est fides vestra, inanis prædicatio nostra: & si mortui nõ resurgũt, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quinta, vt potẽtiã suæ diuinitatis ostẽderet. Etenim ad vitã mortuos reuocare nõ est humanæ naturę, sed diuinæ potestatis. Sexta, vt nos ad rerũ humanarũ contẽptionẽ, & ad æternæ gloriæ atq; beatitudinis studiũ excitaret, vt cũ Christo tanquã è mortuis suscitati, ne posthac pecudũ more terrã spectemus, neuè humi repamus, aut rebus caducis incubemus, sed ingenitę nobilitatis memores, erecto animo æterna cogitemus, cœlũ suspiciamus, ad diuina remis velisq; (vt dicitur) contendamus. Septima, finge Christũ nõ reuixisse, tunc ipse per vatẽ interrogauit: Quæ vtilitas in sanguine meo, dũ descẽdero in corruptionẽ? sic enim multis nominibus ipsa mors Christi esset inutilis: tũ quia facilè cõtẽneretur, sicut aliæ, quæ naturæ mortalis necessitate sanctis hominibus acciderũt, tum quia nemo inueniretur, qui eã imitari auderet, cũ ipsum filiũ in morte à patre destitutũ, desertũq; conspiceret. Nũc verò cũ Christus ad vitam redijt, Dei iustitia in laboribus pro eius nomine susceptis remunerãdis enituit, omniaq; aduersa quæq; difficilia, laboriosa, arduaq; existimãtur, pro Dei gloria & religione perpeti ac superare facillimũ iã & suauissimum est. Testes sunt sancti martyres, quibus cruciatus & tormẽta iucũ

difsimos fuisse nõ dubitamus, dũ illorũ alacritatẽ, animi magnitudinẽ, constantiã atq; hilaritatem inter ipsa verbera, & virgarum crepitus, inter flammarum globos, inter micantes gladios, inter bestiarum dentes, inter dolores denique atque mortẽ, hac Christi anastasi, & spe futuræ beatitudinis videmus.

Loci tertiæ partis.

GLoria spectatur in modo atque potentia. Modus is fuit qui admirationẽ, stuporẽq; afferat: breui enim reuixit, tertio nimirũ die, deinde amoto tumulo. Tertiò perfectè. Quartò magno stipatus comitatu sanctorũ hominũ, qui eius iussu ab inferis exiuerunt, ad vitãq; redierũt. Postremò, ita demũ reuixit, vt nũquã postea sicut cęteri moreretur. Potentiã declarat, magnitudò victoriæ. Vicit enim multos, atq; atrocissimos, atq; immanissimos hostes Iudæos, cacodæmones, mortẽ, dolorẽ, erumnas. Iudæos quidẽ perculsos intelligimus, dũ vigiles, custodesq; territi sunt, gens tota patrijs sedibus expulsa, & per orbẽ vaga atque profuga misera seruitute oppressa est. Cacodæmonũ porrò princeps cũ satellitibus Regnũ quod per vim, seu potius per tyrannicã fraudẽ occupauerat exactus, id quod illo Christi oraculo futurũ sperabatur. Iam Princeps huius mũdi eijcietur foras, ad quod nonsolũ quos tenebat captiuos coactus est redderę, verũetiam debilitatis viribus, afflictisq; copijs, attritis opibus, invincula ipse coniectus, acceptã cladẽ deplorat. Tũ mortẽ, quę antea nobis miserè, atq; indignè dominabatur, idẽ Christus moriendo pertulit, vt vitã resurgendo repararet. Postremò dolores & ærũnas, quas tantopere fugiebamus, ipse fortiter & alacriter perferendo, suaues & optabiles fecit.

Peroratio.

QVę cum ita sint, quis dies est tam religiosus, tã illustris, tã faustus, tam sanctus, vt sit cũ hodierno beneficiorum magnitudine, ac numero cõparandus? Horum verò beneficiorũ, quibus hic dies nos cumulauit, partim ad animũ, partim ad corpus, partim ad salutẽ atque æternitatem pertinent. Subijciatur enumeratio horũ beneficiorum succincta & breuis, quæ auditorum animos permoueat, vt cum beatitudine & immortalitate nihil præstantius, atque optabilius esse intellexerint, nullo labore frangi, nulla inani spe decipi, nullo periculo deterreri, nullo denique metu reuocari posint, quominùs ad eã persequendam, atque adeò consequendam omnem operam, industriam, cogitationem denique conferant.

De reuersione Christi ad cœlũ.

EXordium vel à tempore, vel à re. Narratio continere debet facti expositionem, locum, tempus, modum. Locus fuit mõtis Oliueti. Tempus, quadragesimo

mo die. Hic de numero quadragesimo dicenda nonnulla. Modus significatur in Euãgelio. Legatur & perpendatur sacer textus. Deinde subijciendę causæ reuersionis. Prima, vt sanctus ille & diuinus Spiritus in terras mitteretur. Secunda, vt discipuloũ immoderatus amor erga humanam Christi naturam ad eiusdem diuinitatem attentiùs contemplandam traduceretur. Tertia, vt maiori desiderio eius absentis tenerentur Apostoli. Quarta, vt à Deo Patre debitam sibi confecti certaminis coronam Christus acciperet. Quinta, vt in nobis excitaret cõfidentiã, &c. Sexta, vt veteris instrumẽti verbis res gestæ responderent, quemadmodũ Eliseus igneo curru in cœlum ex hominum oculis sublatus, & Enochus à Domino raptus: exornatus atq; honoratus in Ægypto Iosephus.

Deinde describetur Christi ingressus in cœlum, quo comitatu ascenderit, quanta lætitia, gratulatione, admiratione, pl.usuq; omnium beatorum.

Demonstremus quibus verbis causam humani generis Christus egerit apud Patrem: ostendens cicatrices corpore exceptas, & cætera commemorans, quæ hominũ causa pertulit, &c. Succedet eiusdem interpellatio pro nobis, quo Spiritusancto ditemur. Subijciatur liberalis responsio Patris.

Conuertatur ad morũ conformationẽ, vt quemadmodũ ascendit, sic nos à rebus terrenis & humanis ad cœlestia & diuina mentẽ, cogitationẽ & studia conuertamus. Non licet nobis ab Apostolorũ imitatione discedere, &c.

De Aduentu Spiritus sancti.

EXordiũ duci potest ab eius inuocatione. Narratio statuetur, quæ contineat rei gestæ expositionem.

Tum causæ facti adijciantur.

Prima est hominũ salus, Dei cultus atq; religio, quã diuini Spiritus munere atque ope accepimus. Secunda in terras Spiritus ille descendit, vt eorũ qui sapiẽtes habebantur, stultitia conuinceretur, comprimeretur insolẽtia, vt philosophorum arrogantiam & superbiã coerceret, vt insolentiam & vanitatem coargueret, & denique vt piscatores, homines rudes atque idiotæ totius orbis Doctores, & philosophorum Magistri efficerentur. Addidit linguarum cognitionem, vim signorũ, potestatemq; prodigiorum, &c. Tertia, venit itẽ hic Spiritus, vt Dei opt. max. munificentia atque beneuolentia in humanum genus tanto, tam nouo, tamq; inusitato munere ostenderet.

Quarta, vt eius infinita vis & sapientia nobis pateret, qui tam repente Apostolos tales, tãque sanctos reddere, & sciuit, & potuit,.

tuit, ne deessent nobis Duces, & pastores, &c.

Posthæc dicetur de tempore, quo Spiritus sanctus aduenit, & de illius aduentus circunstãtijs.

De admirabili Eucharistiæ Sacramento.

EXordiũ sumetur à tempore, quo huius Sacramenti institutio, anniuersario cultu, & supplicationibus, sacrisq; & agitur, & celebratur.

Post exordiũ proponatur huius sacramenti dignitas Eucharistiæ, & laus quæ ducetur ab eiusdem cum reliquis sacramẽtis collatione, deinde à mysticis veteris Testamenti testimonijs, qualia sunt arbor vitæ, agnus Paschalis Manna, Panis mysticus Melchisedech, panis subcinericius Eliæ A fructibus, & eius effectibus, quę sunt duodecim.

Primò hominem cum Christo quam arctissimè coniungit. Secundò, Angelorũ conuiuio condignum facit. Tertiò, animũ reficit ac recreat. Quartò mentẽ illustrat. Quintò peccata condonat. Sextò in virtutibus eundẽ confirmat ac roborat. Septimò, Fidem communit. Octauò pietatem, cultum Dei, religionẽq; auget. Nonò, animi perturbationes sedat ac temperat. Decimò, spiritum erigit. Vndecimò, Charitatem animis excitat, & excitatam tuetur. Duodecimò, contra denique humani generis hostem instruit atque armat. Quibus omnibus explicatis subijcietur epilogus cum adhortatione ad huius tanti Sacramenti vsum, vt ex tract. 3. cap. 7.

Aliud eiusdem argumentum.

EXordiũ à lætitia tanti diei, vbi sanctæ Matris Ecclesiæ ordinem demirabimur.

Propositio.

DE huius Sacramenti magnitudine ac dignitate, tum de effectis verba faciam.

Narratio subijcietur, Quonã tempore, ante supplicium. Quo vè modo in cœna institutum fuerit. Quod significabat manna filiorum Israel in illis deuijs montibus, cùm nihil aliud sibi velit nomen hoc, ac Quid est hoc? Est prodigium profectò, vt qui toto mundo non capitur, pane & vino circumscribatur.

Secundò, est cœlestis panis, qui de cœlo delapsus fuerit, ac quo de cœlo, &c. Fiat comparatio cum primo manna, nostrum quidem à Cœlo Empyreo delapsum, panis Angelorum, &c.

Tertiò circũstantias cõsidera.

Quartò, personæ in Sacramẽto contentæ attributa.

Quintò, quæ nobis inde beneficia.

Sexto, quæ nobis rependenda gratia.

Tandem alia plura ex 2. & 6. tract. considera.

Ter-

Tertium eiusdem argumentum.

ORdiri licebit per anticipationē huius mysterij, quod hoc in primis mysterium sacro sit dignum silentio. Dices te adductum esse, ne grati desit animi significatio, &c. Deinde attentione conciliata, ingredieris ad dicendum.

Ingressio ducetur à dubitatione propter rerum quæ occurrũt multitudinem, Imitatione pro Roscio Amerino, Tamen ne vagetur oratio, ostensurũ te à Christo vna opera sacrificium atque epulum omnium post hominum memoriam præstantissimum institutum, atq; huius sacrificij pręstantia amplificando ostendenda est ex vsu sacrificij: cùm enim soli Deo debearur atq; adhibeatur, & ad cultum quippe summo Domino, & ad gratias agendas, bonorum scilicèt omnium largitori, & ad veniã, beneficiaq; impetranda, nimium à supremo rectore ac moderatore orbis terrarum in hoc, & incredibilis quidã cultus Deo tribuitur, cùm cœlestis ille agnus immolatur, & gratiæ cumulatissimæ aguntur, siquidē id offertur, quo nihil Deo esse gratius potest.

Secundò, fiat comparatio huius sacrificij cum alijs Ethnicorum & Iudæorum ita: commemorent Ethnici, mirentur, efferant, dignum afferant sacrificium, &c. Proferant Iudæi holocausta, oblationes, &c. Iactent vaccarum sacrificium, glorientur plus viginti millia bobum & ouium esse immolata: siquidem illic pecudes, hic diuinus ille Agnus immolatur, illa singulos suos vsus habebant: hoc vnum omnes omnium vsus complectitur: illa vno tantùm in loco, nec ita sæpè: hoc propemodum infinitis & quidem quotidie celebratur: illa cruenta, & visu fœda & ignibus imposita, nidore & fœtore templa complebant: at hoc incruentum, &c. Hìc exclamatio subijcienda plena admirationis. Tum adhortatio, vt attētè & libenter tam diuino sacrificio intersint.

Deinde venies ad alteram orationis partem, in qua docebis nō sacrificium modo nobis relictũ, sed etiam epulum datum planè singulare atque diuinum, quod exaggerabis comparando cum magnificentissimis, atque exquisitissimis epulis Regum atq; Imperatorum, cum Regis Assueri epulo, &c. Christus enim omnes suas opes in hoc contulit, & id voluit, quàm maximè esse diuturnum.

Hinc eius cibi, qui in hoc epulo apponitur, declaranda est præstantia comparatione vitalis arboris, panis propositionis, agni Paschalis, imitatione loci in 6. libro accusat. in Verrem. Tum ad hibita præmunitione, quæ est in Maniliana.

Tertio; de summo erga nos Christi amore dicendum, qui cũ nostra causa esset discessurus è vita, nec vellet à nobis, quos eximiè diligebat, discedere, rem nouam & ante eum diem inauditã iniit rationem, vt abiret pariter, & maneret. Deinde sustentatione exaggeranda ex 7. in Verr. hoc modo expectare mihi videmini, &c. Sed fingite vos nescire, &c. Cuius hæc erit conditio, vt non modo nobiscum, verumetiam in nobis singulis esse posset, se cibi specie reliquisse, &c. Subiungenda exclamatio plena amoris & admirationis, & per ironiam hominum indignitas demonstranda, vt magis appareat tanti amoris ac beneficij magnitudo. Lege orationem pro Quintio. Deinde succedet Apostrophe ad Christum.

Quarto descendes ad miracula quæ in hoc sacrosancto mysterio cernũtur. Primò manet odor color, sapor panis, non manente substantantia. Secundò, simul in cœlo & terris inuenitur. Tertio, editur à Christianis, verùm non absumitur. Quarto, fracta specie, non frangitur. Hic exclamatio plena admirationis per hypotyposin ex 7. in Verr. Deinde hortare, vt amori respõdeant, & per licentiam rem augebis ex oratione pro Fonteio. Adde Ecclesiã tanti esse beneficij memorẽ. Denique fiat Prosopopœia Angelorũ cum Apostrophe ad Christũ, qui nostris nõ deterretur offẽsis. Hinc epilogus, vt in Miloniana.

De Natali Beatæ Virginis.

Exordiũ duces à cõparatione, siue exẽplo à minori ad maius. Nonnulli antiqui summa cura & hilaritate celebrauerũt dies natales suorũ Regũ & Imperatorũ, quanto maiori cũ lætitia & animorũ gaudio, viri Christiani celebrare debent natalem Virginis Matris, quæ hominũ est Domina, Angelorũ Regina, & summi Dei mater. Hoc exẽplũ amplifica, tũ positis Regũ & Imperatorũ exemplis, tũ ornamentis verborũ & sententiarũ. Post propositionẽ & attentionis comparationẽ sequatur confirmatio, cuius loci hi erunt.

Primus igitur à vaticinijs, præsignificationibus, adũbrationibus Prophetarũ, Regũ, Patriarcharum, quæ quidem vaticinationes declarant summã huius Virginis sanctitatẽ, ab omni etiam originali macula semper liberã, atq; hæc vaticinia ad hunc ferè modũ expones. Hodierno die Aud. exoritur illa augusta cęli, terræq; Regina, quæ nobis summi Dei filiũ peperit: hodie nascitur illa præpotens Domina rerũ, quæ sola fœlicissimum istud nomen inter mortales meruit, vt Virgo & Mater appellaretur. Et enim prægnans Mariæ virginitas, eundẽ nobis cõdidit de homine hominẽ citra corruptionẽ,

qui

qui sine corpore de Deo Patre, Deus absque initio nascitur, sine fine nasciturus. Consideretur, quorum effectuum futura sit cau sa ex tractatu primo cap.9. Fiat effectuum amplificatio ex tractatu 7.

Secundus, hunc locum vatici nijs varijs illustra, & verborum sententiarumq; ornamentis. A genere, nam à Regibus & Prophetis duxit originem, à quibus etiam hæc Virgo fuit prædicata.

Tertius, à parentibus Ioachino & Anna, qui fuerunt virtute & pietate præstantes: atque in hoc loco breuiter narrabis, tum parentum mores & virtutes, tũ Virginis Conceptionem & ortum. Lege tractatum secundum cap.1.& 11.

Quartus, à Natiuitate, nã prius illius vtilitates & fructus maximos, qui ex illa prouenerunt, commemorabis: deinde pulchris sententijs; Apophthegmatibus Doctorum Ecclesiæ amplificabis natalem hunc Beatę Virginis. Nam Virgo hæc vt Eua ad peccatum maritum alliciens, causa fuit mortis, sic ipsa Genito Christo redemptionis salutaris. In hunc locum transferas multa ex sermone Diui Augustini. Fiat comparatio vtilitatum, quas B. Virgo inuexit in orbem terrarum, cum ijs quas cætera quæ supra & infra coeli ambitum sunt, inuexerunt. Loci comparationis de sumentur ex tract.1.cap. 10. Genera vtilitatum ex tract. 3.cap.3.& 6.

Quintus, ab educatione, nam sanctè & piè fuit educata, & inter virgines in templo fuit constituta, vt commodius Dei & Angelorum frueretur familiaritate, & à prophanarum mulierum societate esset separata; nam talem Matris Dei decebat esse institutionem, & educationẽ, quæ etiam Regina & magistra virginum erat futura, & omnino ad Apostoli institutionem formabatur. Erit hic igitur locus com munis de recta institutione.

Sextus à studijs pueritiæ, nã literas diuinas à pueritia diligenter relegebat, in Prophetis & vaticinijs venturi Saluatoris gau debat. Amplificentur affectus, qui essent in Virgine, tùm erga Deum, tum erga homines, ex tractatu septimo.

Septimus, à castitatis studijs, quòd tanto tenebatur castitatis desiderio, vt prima omnium sine exemplo virginitatis votum nuncupauerit. Vnde tandem superueniens Spiritus sanctus virgineum illius corpus consecrauit templum diuinæ Trinitati, & eiusdem illi beatum vterum, officinam, & tabernaculum fecit admirandi partus, quæ nobis prodidit omnibus spectaculum seruatorem Iesum Christum.

Tandem venies ad perorationẽ, in qua cohortaberis auditores ad

qua-

quatuor potissimùm, nimirũ ad laudes, honores, innocationẽ, & imitationẽ Diuę Mariæ Virginis in quibus potissimùm consistit summus illius cultus.

De beatissimæ Virginis Matris Dei in cœlum Ascensu exordij sententia.

Dolor an lętitia debeat occurrere dubitet quispiã? Illius si quidem Virginis sanctissimæ, castissimæ, & humani generis conseruatricis discessus commemoratur, cuius salutari, diuinaq; pręsentia hic inferior orbis recreari, atque exhilarari solebat. Quæ igitur in eius profectione potest esse nobis causa lætitiæ? Lugendum potius videtur, quàm plaudendum. Gaudeant, lætentur, exultent ipsi cœlites, & beatorũ animorũ cœtus, qui nunc illius, præsentia, aspectuq; iucundissimo perfruuntur. Si enim salutaris Mariæ vox ipsos etiam exultare & gaudere fecit, qui maternis adhuc visceribus claudũtur, quanta demùm voluptate illas cœlestes animas & sempiternos spiritus perfusos putabimus, qui eius & vocem audire, & diuinũ os videre, & conspectu oblectari cœperunt? Nonne igitur consequens est, vt cuius præsentia cœlum exultat, eius nunc absentia terra deploret? Cesset tamen (inquit vir sanctus) cesset quærela nostra, quia nec nobis est hic perpetua habitatio, aut permanẽs ciuitas, sed eã inquirimus, ad quã hodierno die Maria Virgo peruenit, in qua si ascripti ciues sumus, æquũ profectò est etiã in exilio, etiã super flumina Babylonis nos eius tenere memoriã, eius aliqua ex parte sentire lętitiã, eius refici gaudijs, eãq; potissimũ, quæ tã copioso impetu hodie lætificat ciuitatẽ Dei, huius diei sanctitas & religio, tãto reliquis omnibus præstat diebus, quãto Dei Mater, beatis omnibus antecelluit, tanto etiã studiosiùs, ac religiosiùs eã colere, venerariq; debemus, quanto plura huius diuinæ Virginis, & maiora in nos existunt promerita, & beneficia. Adde, quòd secũdũ Deũ in cæteris, beatisq; cœlestibus aliquã, in Dei verò Matre totã spẽ nostræ salutis & beatitudinis collocare nos decet. Cui quidẽ spei & sanctissimis optatis populi Christiani longè faciliùs, & cumulatiùs respondebit, in cœlũ sublata, vbi tanquã iudicij mater & misericordiæ, & ad supplicandũ, & ad conficiendũ nostræ salutis negotiũ, vim necessariam adhibebit. Ascendens enim in altũ beatissima Virgo, ipsa quoq; sicut Filius dona hominibus largietur, siquidẽ nec facultas et de esse poterit nec volũtas. Regina cœlorũ est, misericors est, benigna, liberalis, benefica, denique immortalis & præpotentis est Mater, cui nihil negare filius potest. Quapropter etsi eius meritis & digni-

dignitati parẽ orationem afferre nullo modo possumus, vt tamen eã pro nostræ facultatis tenuita te laudibus hodierno die prose-quamur, & ratio, officiũq; grati animi, & dies denique festus ac solẽnis postulant, contendunt, efflagitantq; Quare, &c.

Propositio.

PRimũ de felicissimo Matris obitu dicendũ, deinde de profe ctione in cœlũ, magnificoq; triũ pho, tũ de singulari honore, glo ria, beatitudine. Postremò, de sũ ma erga nos benignitate, amore, patrocinio.

Loci primæ partis.

Christi Mater, post filij disces sum promiscuè cũ Apostolis in schola virtutũ, & meditatur legẽ diuinã, vt ipsa sit forma Christia næ disciplinæ, & virginibus exẽ plũ integritatis & sanctitatis: ver satur cũ testibus actorũ & miraculorũ Christi, quorũ & ipsa est locupletissima testis. Versatur cũ cœli Senatoribus sub sancti Spiritus disciplina. Etsi enim dignissi ma erat, quę filiũ in cœlũ ascen-dentẽ prosequeretur, tamen nascentis Ecclesiæ causa, ad certũ tẽ pus inter mortales relicta est. Primũ propter Discipulorũ reliquorũq; Christianorũ solatiũ, deinde vt Christi res gestas doceret scripturos, & adiuuaret. Postremò, vt Christi religione imbuti, cõstantiores essent in perferendis iniurijs, ærumnisque, in obeundis periculis, in superandis difficultatibus & rebus ad uersis, quibus etiã ipsam Dei matrem obnoxiã, expositamq; intuerentur. Dici enim non potest quantopere illius fortitudine, constantia, robore animi Christiani confirmarentur, & ad imitandam incenderentur: studio & ardore incredibili experiendi & perpetiendi quæcunque Christus Dominus illis euentura præ dixerat. Quapropter cum annis pluribus à Christi discessu beata Mater superstes in terris fuisset, vt in cœlum migraret, mortem experta est. Quid ita? mors siquidem pro pœna peccati homini inflicta est: quod quidem peccatum in Dei Matrem nullum omninò cecidisse certum est neque diuinæ iustitiæ consentaneum est, vt ibi sit pœna, vbi culpa non fuit. Cur ergò cæterorum hominum more voluit Deus suã Matrẽ mortẽ sentire? Nemo enim dubitat, quin hodierno die ex hac vita migrauerit, & eius anima mortalitatis vinculis soluta, & liberata euolauerit. Mortẽ obijt Virgo multis de causis, quarũ prima est, decebat eã mortalem hanc vitã communi morte concludere, vt filio suo mater similis esset. Si enim Christus verus Deus & homo mortuus est, æquum non erat, vt mater, quæ homo tantùm nata erat, mortẽ effugeret. Secũda, indignũ erat hanc gloriæ amplificãdę

ma-

materiam Virgini adimere, quę vel maxima est rerum, aduersariorum pro iustitia & religione tolerantia, & difficillimarum rerum perpessio, quæ Deum nobis mirandum in modum deuincit, atque conciliat: & quia mors est maximum omnium terribilium, efficitur, vt eius voluntaria & libera perpessio, summum sit fortitudinis & patientiæ genus, & in beata Virgine eo maiore præmio & gloria cumulandum, quominùs mortem est ipsa Virgo commerita.

Postrema, quamquam mortis timor, quã omnes homines perhorrescunt, per Christi mortem, doctrinamq; apud Christianos non mediocriter est temperatus: tamen quia quam acceperat animam, & deponere, & iterum sumere poterat: voluit etiam suæ Matris obitum nobis esse solatio, vt cum suprema dies, & mortalis necessitas impendebit, ipsius Virginis exemplo, quæ & culpæ omnis expers fuit, ipsi nos conformemur & consolemur; neque miserè nobiscum agi putemus, cùm mortem obire cogimur, quã nec Dei Filius, nec Mater eius sentire, atque excipere nostri causa recusauit.

Cæterùm, cùm Christus Dominus pijs & sanctis hominibus morientibus multa afferre soleat adiumenta & solatia ad leuandũ dolorem, ad confirmandam Fidem, ad conterendas aduersarij machinas, fraudesq; vitandas, ad corroborandam denique spem futurę vitæ & immortalitatis. Quid existimamus illum moribundæ Matri fecisse? Quo circa vt de cæteris taceamus, neque in eius morientis conspectum ille antiquus hostis humanę salutis, & princeps tenebrarum, & versutissimus serpens, cuius caput illa contriuerat, prodire ausus est, suamq; terribilem speciem obijcere, & ex hoc mundo discedenti, sanctissimũ illum Apostolorum cœtum affuisse: & singulos ex disiunctissimis regionibus repente diuino iussu, nutuq; eum in locum compulsos & congregatos, Christum Dominum, & ipsam Matrem vita functam pro concione laudasse. auctor est beatissimus Christi Martyr Dionysius Areopagita lib.3.de diuin. nomin. capit.3. Hos ergò diuinos homines habuit beata Virgo suarum exequiarum ministros, & funeris curatores.

Ad hęc etsi mortua est, non tamen communi nomine cæterorum hominum mortua est. Neque enim fas est credere, aut cogitare cum aliquo laboris sensu illam fœlicissimam animam ex corpore demigrasse, tum quia doloris sensum in morte experiri non debuit, cuius animã doloris glaudius in Filij morte semel iam pertransierat. Omnium enim suppliciorum & tormentorum

torum & cruciatuum, quos filius perpessus est sensus, matrem etiam acerbissimè perculit, tum quia incredibili studio dissolui & esse cum filio cupiebat, vel in gēti filij desiderio tenebatur, & quam primum corporis custodia liberari, & ad cœlum euolare cupiebat, ex quo illa mortē non pertimescere, sed in extrema, quam diuina prouidentia definierat, mortalis vitæ meta decessit, nec animo, nec sensu, nec natura repugnante; sed per inde ac si maturum pomum à ramo suæ arboris sponte decidat, aut flos eueniente fructu marcescat. Fas est, æquum est, necesse est existimare illum infinita frequentia Angelorum septum; cœlestiumque spiritum, & beatorum animorum agminibus stipantum morienti affuisse, eamque ornatissimis verbis compellasse. *Veni de Libano, veni coronaberis, & quę adhuc mundum tua præsentia decorasti, deinceps cęlum tuo conspectu exhilarabis. Veni acceptura obsequiorum mercedem, & maternæ curæ officijquè vicissitudinē relatura*. At illa, quæ verba dixerit; quis digno cōcipiat eloquio; inter suauissima colloquia facilius felicem illam matris animā expurissimo corporis tabernaculo suauiter educens cum incredibili gloria lætitiaque suscepit. Quem verò arbitramur fuisse illorum spirituum, & beatorum sensum? quem cultum erga Reginā suam? legimus ad funera & sepulturas sanctorū Angelos cō uenisse, & in eorum exequijs officium præstitisse; & anima vsque ad cœlum hymnis & canticis detulisse, vbi & vtriusque sexus chori frequenter auditi laudes cecinisse commemorantur; sæpe etiam eosdem sanctos in ipsa morte miro quodam lumine refulsisse, & ex ipsis cadaueribus sanctissimum odorem extitisse. Quod si ad recreādam spē, fidemque corroborandam eorū, qui circunstant, & superstites relinquuntur, sæpe Dominus noster, & suorum merita mortalibus indicet, tam multa tam insignia suæ liberalitatis & beneuolentiæ argumenta per cœlestes ministros erga defunctos ostendit: quanto verosimilius est hodierna die vniuersum Angelorum cœtum, & cuncta illa Angelorum agmina cum incredibili gaudio, alacritate, plausu obuiā Dei matri longissimè prodijsse, illamq; ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad regium solium, illi iam ante mundi primordia paratum, cum lætissimis canticis, iucundissimoque concetu deduxisse. Porro sancti Apostoli sacrosanctum illud, & venerandum corpus, quod nequaquam erat visurum corruptionem, honorificè, atque religiosè sepelierunt in media valle Iosaphat inter montes Sion & Olueti: vbi ā Christianis postea magnificen-

tiſsimum templum mirabili arte ędificatum eſt, ſed paulo poſt vacuum ſepulchrum repente apparuit.

Loci ſecundæ partis.

IAm verò quoniam non defuerunt olim, qui Dei matrem ad vitam diuina potẽtia reuocatam, & in cœlum ſublatam fuiſſe, dubitauerunt; quod nullo videlicet ſacrorum librorũ teſtimonio id planum fieri poſſe videatur, ordo præpoſitæ à nobis diuiſionis poſtulat, vt id ipſum non temere à nobis credi, & pro certo haberi demonſtremus. Decuiſſe etiam Virginem matrem etiã ipſo corpore in cœlum tolli multis rationibus probatur.

Prima pars ducitur à Dei potẽtia. Potuit Chriſtus, in cuius manu eſt, ne de ſanctorum capite capillus pereat, ſuam matrem anima & corpore integram conſeruare, & nemo dubitat; & illum voluiſſe quiſquam dubitabit? Ionã in ventre ceti præter naturæ vſum triduo viuum ſeruauit Dei miſericordia, Mariam incorruptã non ſeruabit? Gratia liberatus eſt Daniel, & ereptus ex leonum faucibus, non liberabitur, non eripietur Maria, quam diuini conceptus gratia intantum extulit dignitatis?

Secunda ratio à diuina iuſtitia filij, diuino præcepto parentes honorare iubẽtur, huius præcepti author Deus tántum honorem matri non habebit?

Tertia ratio à cultu crucis, ipſum etiam ſacroſanctæ crucis lignum, quia Chriſtum Dominum pauciſsimis horis ſuſtinuit, digna colitur religione, cur non maiore honore & cultu dignum cenſebitur illud intactę Virginis corpus, in quo Dei filius nouem menſibus requieuit, quod Chriſti domicilium, & totum ſacroſanctæ Trinitatis gratiſsimum tricliniũ fuit?

Quarta ratio à cultu ſanctorũ, quot præterea ſanctorũ hominũ corpora tot ſæculis integra, & inuiolata conſeruat; quot crebra, & pene quotidiana Chriſtianorũ viſentiũ, & ſalutãtiũ frequẽtiã, cultuſq; nobilitantur. Quot deniq; ſepulchra auro & gẽmis exornãtur? Si ergo ſacrum beatæ Virginis corpus, vſquam gentiũ, aut terrarum cõderetur, ſummo procul dubio in honore haberetur. Cum verò nuſquã coli cernatur, ſequitur, vt conſtanter credamus eam perfecta corporis & animæ beatitudine in cœlo potiri: multo enim melius & dignius talis ac tantus theſaurus in cœlo quàm in terris ſeruatus.

Quinta ratio ducitur à quorundam ſanctorum anaſtaſi. Complures enim ſanctos reuixiſſe ſacræ literæ perhibent, & Chriſto ab inferis redeunte, ad vitam priſtinam reuocatos, quos eum & Dominum in cœlo comitatos fuiſſe maiorũ fides perſuadet, atq; hoc po-

po-

potissimum argumento, quod si animę illorum iam beatæ in sua corpora redierunt graui suo damno rursus mortui reuixerunt. Ioãnem quoque Apostolum tumulus susceptum claudere potuit, custodire aut continere non potuit, sacrũ ac salutarẽ liquorẽ pro deposito reddit. Quid de vate ac Rege Dauide dicemus, cuius sepulchrũ extare D. Petrus infrequentissima populi concione pronunciauit? quasi non sit ausus dicere ipsum Dauidẽ aut eius corpus apud Iudæos esse, sed tantũ sepulchrũ, quo cõditus fuerat. Ex quo multi illũ à mortuis suscitatũ cum cæteris sanctis affirmãt, & id circo vacuũ remansisse Mausoleũ. Si tot ergo sancti surrexerunt, Dei matrem perpetuò iacuisse, aut iacere nullo modo suspicari possumus.

Sexta à Virginei corporis sanctitate, siquidem caro Christi, & caro matris, vna sunt caro. Cùm verò cadauerum fœtor, & interitus dedecus sit humanæ conditionis, non cadit hæc nota & ignominia in Christi corpus, nec etiam ipsius matris membra, ex quibus illæsum corpus diuina vi duxit.

Septima humani corporis dissolutio atque in cineres conuersio pœna fuit eius peccati, quo se primus parens, suamque posteritatẽ obstrinxit, id verò singulari Dei beneficio Virginem Mariam non attigit, quam nec labes originalis culpæ causa est polluere.

Octaua, qui noxæ alicuius aut delicti affines non fuerunt, exilio multari, aut Paradisi delicijs ac bonis spoliari non debuerunt.

Nona, in vtroq; sexu natura humana debuit honorari; quapropter Christũ Dei & Virginis filiũ prori loco in cœlos ascẽdẽtẽ Virgo mater rectè ac meritò pau o post cõsecuta est, vt sicut vterq; sexus Paradiso expulsus fuerat, vt humani generis perfecta condemnatio probaretur: ita vterque sexus debuit in cœlum penetrare, vt perfecta absolutio & redemptio declararetur.

Decima à Christi in matrẽ fidelitate. In summa enim rerum inopia, & egestate natus, id quod panni probant, atque præsepe, matri tamẽ hoc inauditum & singulare concessit, vt non modo sine dolore, sed etiam cum ingenti lætitia filium ederet, eidem matri filius Dei subditus erat; eumdem moriens non deseruit, sed charissimo discipulo commendauit, rursus ab inferis officiosissime inuisit, & à diuturno & acerbissimo mærore, dolore ac luctu mirificè recreauit Cũ igitur eam sic honorauerit in aduersis ac prosperis rebus, & iam immortalis effectus omnem in cœlo & interra potestatem acceperit, nõ eãdẽ multo amplius honorabit? Et cum suũ corpus suæ diuinitatis vi ab interitu vindicauerit,

ſinet ſuæ matris membra corruptionem ſentire? quare neceſſario ſequitur Dei matrem à morte paulò poſt extitiſſe, & in cœlū ſuper dilectum ſuum innixā comitante vniuerſa cœleſti Curia, beatis omnibus acclamantibus, exultantibus, plaudentibus, aſcēdiſſe.

Loci terciæ partis, de honore gloria, beatitudine.

QVæ tanta tributa eſt Dei matri, quanta nulli alij beatorum, & merito, vt multis argumentis probari poteſt. Primum debuit beata Virgo honore & præmio omnibus anteponi, quę rerum aduerſarum tolerantia & patientia omnes ſuperauit; vberior illi merces debetur, quę multo amplius quam quiſquam alius laborauit. Debet eſſe illius maior lætitia, cuius maior & acerbior extitit dolor atque moleſtia. Mariæ ſiquidē anima atque præcordia doloris gladius ſæpius pertranſiuit.

Secundò modeſtia, ſummiſsione, humilitate tanta fuit, vt nullius poſsit eloquentia enarrari. Vnde cum Dei (vt ſacræ litteræ loquuntur) proprium ſit humiles exaltare, & humilia reſpicere, & ſuper humilem requieſcere, & humilibus dare gratiam; quibus oculis ſuam matrem reſpicere debuit, cuius precioſa humilitas, cum ſingulari integritate, & innocentia, cum omniū denique diuinorum munerum varietate, ac copia cōiūcta fuit? Digniſsima ergo extitit, quam reſpiceret Dominus, cuius decorem concupiſceret Rex, cuius ſuauiſsimo odore Chriſtus ab ęterno illo patris ſinu attraheretur accubitu.

Tertiò, ſicut igitur gratia omnibus qui Deo iam inde ab initio placuerūt, ſic antecelluit, vt per eam digna eſſet, quę Dei mater efficeretur, conſequens eſt vt ſecundum Deum neminem beatorum honore ac gloria parem habeat. Itaque poſt Angelicæ ſalutationis officium, quidquid in Maria agitur diuinum eſt, quippe cum (teſte eodem Angelo) Spiritu Sancto ac virtute altiſsimi obumbretur, ideoque cunctis animi virtutibus exornetur; vt nec munditia defuerit Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec ſpes Prophetarum, nec charitas Apoſtolorum nec patientia Martyrum, nec ſobrietas Confeſſorum, nec caſtitas & integritas Virginum. Quocirca quidquid humanis poteſt dici verbis, minus eſt ipſius gloria, quæ diuinis eſt & Angelicis vocibus magnificentius prędicata, & laudata præconijs, à Prophetis nunciata, à Patriarchis figuris, & ænigmatibus ſignificata, ab Euangeliſtis demonſtrata, ab Angelo honorifice atque officioſe ſalutata. Vnum deni-

denique est, in quo vt Christianus & religiosus Poeta pronunciauit.

Nec primam similem visa est nec habere sequentem.
Gaudia matris habens, cum virginitatis honore.

Optimam partem elegit sibi Maria, optimam sane, propterea quod bona est fœcunditas coniugalis, melior castitas virginalis, optima vero virginalis fœcunditas, seu fœcunda virginitas. Hoc Mariæ priuilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea.

Quod si & illud adijcias, cuius mater, quæ iam poterit lingua, etiam Angelica dignis efferre laudibus virginem matrem; matrem vero nō cuiuslibet, sed Dei, duplex nouitas, duplex prærogatiua, sed dignissimè tamē, aptissimeque conueniens. Neque enim Virgo alium parere debuit, quàm Deum, neque Deum aliter hominem nasci, quàm ex Virgine decuit. Præterea, quæ vel Angelica puritas virginitati huic comparari possit, quæ Spiritus sancti sacrarium, & filij Dei domicilium seu diuersorium, vt existeret digna fuit. Si rerum pretia raritate pensamus: Virgo quæ prima in terris vitam Angelicam agere constituit, omnes sine controuersia vincit. Quam obrem, cum hæc ita sint, quibus iam triumphis fuerit Maria Virgo in cœleste Regnum inuecta sua oratione exprimere nemo potest, vt eam tamen pijs laudibus, & præconijs, quoad licet, in cœlum ascendentem prosequamur, gratulemur illam hodie abeo susceptam, quem huius mundi castellum ingredientem prior ipsa receperat: Quæ fuit igitur illa, & quanta superum exultatio, qui plausus, qui concentus. Quantus virginis honos, gloria, maiestas. Hæc non solum verbis exprimere, aut exæquare, sed ne cogitatione quidem planè complecti omnino possumus.

Ponite vobis ante oculos illum comitatum, illa agmina, illam pōpam, qua hodierno die terræ, cælique Regina cœlestem illam Hierusalem ingressa est. Cogitate occursus mirabilium legionum, & quibus ad regale solium canticis deducta sit. Quam blando vultu, quam læto ore, quam serena fronte, quam optatis amplexibus, a filio accepta, & supra omnes Angelorum ordines sublata, atque in sella Regia iuxta Filium collocata sit eo honore, quo tanta mater digna fuit, ea gloria quæ tantum decuit filium.

Hęc illa est arca fœderis, quod cum hominibus Deus percussit. Hæc (inquam) diuini testamenti est arca, quę vt omnium vasorum sacrorum sanctitatem superabat, sic cęteros beatos tam

Angelos quàm homines diuina Virgo, non tantum diuinis muneribus, & beneficijs, sed etiam gloria beatitudinis antecelluit. Atque vt arcam illam pijs officijs, atque omni religione, & honore tam ipse Rex Dauid, quam populus vniuersus prosequebatur, & sanctè venerabatur: ita tam ipse Christus Dominus, quam cũctus beatorum senatus, & cœlestium Ciuium infinita multitudo honorificè, magnificè, gloriose, supra quam cogitari posit cœli Reginam ingredientem acceperunt.

Loci quartæ partis de Virginis erga nos beneuolentia & patrocinio.

SI tan o honore prœdita esthęc Virgo Sanctissima, si tanta potestate pollet, si mater est Dei (vt vno verbo cuncta complectar) si præterea benigna, & clemens, liberalis, misericors; si denique arca est fœderis, dignissima etiam est quam Patronam nobis adoptemus. Hæc est enim vnica veri & perpetui fœderis inter Deum & hominem per filium conciliatrix, vt per eum infima summis, terrena cœlestibus, humana diuinis copulentur. Quando autem, aut cur aut quomodo ad eam confugiendum sit. Hæbrei, quondam illius imaginariæ arcæ cultores satis docent. Illi enim Deum offenderant per arcam iratum placabant, cum bellum suscipiendum erat, aut prælium ineundum cum hostibus pugnaturi, arcam in mediam aciem deferebant; cum denique beneficium aliquod à Deo impetrare cupiebant, & vehementius contendebant, precibus ante arcã supplices manus ad Deum tendebant, ingenua cadentes precabãtur, quibus exemplis & moribus monemur, vt per hanc Virginẽ patronam cum Deo redire in gratiam studeamus, ad Deum si vere mur accedere, nostrorum scelerum conscientia deterriti, eius mater nobis est vnicum, & singulare perfugium, ipsa est apud filiũ optima internuntia, & deprecatrix. Nihil in ea asperum, nihil durum, nihil terribile, tota suauis est, tota clemens, tota misericors & benigna. Replica si placet diligenter, attentè historiam Euangelicam Ecclesiasticam, ita esse comperies, vt nihil omnino verearis accedere, est etiam misericordiæ Mater, quæ misericordiam Dei concepit, & peperit, vt misericordiam implorantibus negare non posit. Merito eius Virginitatem laudamus, iure humilitatẽ admiramur, sed misericordia dulcior est, & suauior miseris ac reis hominibus, sæpius cogitatur, frequentius expetitur, commemoratur iucundius, per hanc siquidem restaurata est curia Cœlestis, infernæ sedes direptæ, perditis, & extinctis vita reddita. Hæc illa est mulier, quam sole amictã Ioannes à se visam profitetur, ipsa enim est quæ velut alterum solem


induit,

nduit, & quemadmodum sol super bonos & malos oriri dicitur; sic Virgo omnibus exorabilem, omnibus clementem, & misericordem sese præstare perhibetur, quandoquidem ab ea singuli læti & voti compotes abeunt, & captiuus redemptionem, æger sanitatem, tristis solatium, reus veniam, bonus & innocens gratiam, homo salutem, Angelus lætitiam, tota denique Trinitas gloriam filijs humanū corpus reportat, vt prorsus non sit qui se à calore eius abscondat. Quam ob rem quæcumque nos egestas premat, quæcū que calamitas percellat, quod cū que periculum vrgeat, quæcumque postremo vis, quæcumque cura solicitet, ad hanc Virginem confugiamus, quæ nostri hostis olim vires fregit, & caput antiqui serpentis inuicta contriuit. Hanc arcam nobiscum semper ad domestica & intestina bella deferamus, quæ nostris aduersarijs, vt castrorum acies ordinata terribilis est. Per hanc arcam cum Deo redire in gratiam studeamus, ante hanc arcem supplices a Deo beneficia postulemus, hodierna presertim luce qua eius capiti Regium Diadema duodecim insignitum stellis, eius vnicus, & charissimus filius Deus, & homo Christus imposuit hodierno, in quā Deo die quo super omnes Angelorū choros elata prędicatur, ipsius clementiam imploremus, ipsam pijs præcibus solicitemus, quā gratia plenam Angelus salutauit, & ex tanta eius copia & affluentia ad mentes nostras irrigandas munerum stillicidia capiamus.

Verum illud a nobis diligenter curandum est, si hanc Dei matrem beneuolam erga nos propitiam misericordem talem denique semper, qualem cupimus, & res postulat, experiri volumus, illud est à nobis imprimis præstandum, in hoc denique est diligenter elaborandum, vt eius virtutes, quarum gradibus ascendit in cœlum, non solū admiremur, suspiciamus, meditemur, prædicemus, ac celebremus; verum etiam quantum in nobis est, & per Christi, eiusque opē licebit, imitari, & in omnibus vitæ partibus, & actionibus, moribusque conemur, nā tum de mūnos seruos, clientes, filios deniq; suos agnoscet atque respiciet, cū sui non dissimiles cernet. Atque hæc erit perorationis sententia, quam dilatare & amplificare non erit difficile, vt orationis clausula sit, vel huiusmodi adhortatio ad pium cultum, & imitationem sanctissimæ Virginis, vel ad ipsam Virginem apostrophe cum affectu pietatis ac religionis, & cum petitione auxilij, &c.

(❦)

FINIS.



TABVLA PRIMI LIBRI RHETORIC. P. DOCT. CYPRIANI SVAREZ

breuem singulorum Cap. summam continens, Scholasticis ediscendam. Numeri capita indicant.

RHetorica est ars .l. doctrina dicendi Ars est, quę dat rationes certas, & præcepta faciendi aliquid, quæ habent ordinem, & quasdam errare in faciendo non patiẽtes vias.

Officium Rhetoricæ est dicere appositè ad persuasionem. Finis persuadere dictione.

Huius autem vis quò maior est, hoc est magis cum probitate summaque prudentia iungenda.

Materia oratori ad dicendum subiecta, quæstio est.

Quæstionum duo sunt genera, alterum infinitum, quod Græci thesim, Cic. propositum vocat: alterum certum, & definitum, quod hypothesim Latini .l. causam .l. controuersiam appellare solent, illud est in quo aliquid generatim queritur, vt, Expetenda ne sit eloquentia? causa est quæ certis personis, locis tẽperibus, actionibꝰ negotijsq; cernitur, vt, An Socrates iure fuerit ab Ateniẽsibus dãnatus?

Causarũ tria sunt genera, Exornãtionis, Deliberationis, & Iudicij.

5 Exornationis partes duę sunt laus, & vituperatio, tempus tum præsens, tum præteritum: spectat autem orator honestatem præcipue cum laudat: turpitudinem cum vituperat, mouetq; auditores ad delectationem.

Deliberationis partes duæ, suasio, & dissuasio, tempus futurum finis, quem sibi proponit orator, dignitas in suadendo: mouetq; deliberantem ad spẽ max. In dissuadendo cõtrà, indignitatẽ spectat, & in reformidationẽ pertrahit.

In iudicij partes accusatio, & defensio, eius finis iustorum, & iniustorũ quæstione continetur, & ad sęuitiam aut clementiam iudex est incitandus. Cap. VI.

Hypothesis ad thesim reuocabitur, si à proprijs personis, & temporibus auocata, ad vniuersi generis ordinem traducatur.

Rhetoricæ partes, & quasi mẽbra eloquentię, Inuentio, dispositio, Eloquutio, Memoria, pronun-

nunciatio. Inuentio est rerum ve rarum, aut verisimilium excogitatio, quæstionem probabilem reddant. Dispositio rerum inuentarum in ordinem distributio. Elo quutio est idem eorum verborũ & sententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria est firma orationis perceptio.

Pronuntiatio est corporis, & vocis ex rerum, & verborum dig nitate moderatio.

Eloquentia, quæ quinque supra dictis partibus constat, natura arte, & exercitatione comparatur. Natura atque ingenium ad dicen dum vim affert maximam.

Notatio naturæ peperit artẽ: habet autem ars, vt quæ sunt orta iam in nobis, & procreata, educet, atque confirmet.

In præstanti natura, quam ars expoliuit, exercitatio absolutionẽ perfectionemque dicendi con summa.

De inuentione.

QVoniam primum oratoris munus est inuenire, dabit operam, vt inueniat, quemadmo dum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, & quemadmodũ motum eorum animis afferat. Fi dem facit orator argumentis, mo uet incitando, aut ad voluptatem aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem, Lætitia, & cupiditas ex opinione boni, ęgri tudo, & metus ex malorum opinione nascuntur.

12 Argumentum est probile inuentum ad faciendam fidẽ. i. ratio rei dubiæ faciens fidem. Fides est firma opinio. Argumentatio, argumẽti explicatio. Locus, sedes argumenti.

13 Argumenta partim in eo ipso, de quo agitur, hærent; quo circa insita dicuntur, partim extrinsecus assumuntur, quæ remota vo cantur: Cap. 14.

15 Loci vnde documenta sumũtur, numero sunt sedecim. Diffini tio, quę id, quod definitur, explicat, quid sit. Vt. Rhetorica est doctrina dicendi, vtilis ergo.

16 Partium distributio, qua sic est vtendum, nullam vt partẽ relinquamus, vt si velis probare, cal liditatem non esse virtutem à virtutis partibus, quæ quatuor sunt, Prudentia, Fortitudo, Iustitia, Temperantia, probabis: ex nulla enim illarum est calliditas.

17 Notatio, Græcis etymologia, quę verborum originem inquirit. Cicer. in Piso. Si Consul est, qui consulit patriæ: non igitur Piso Cousul, qui eam euertit.

18 Coniugata quę sunt ex verbis generis eiusdẽ, vt, Aurea nũc verè sunt secula, plurimus auro venit honos.

19 Genus, quod duas. i. plures partes sui ipsius cõmunione similes amplectitur, quæ formæ dicũtur Virtutis laus in actione consistit Prudentiæ igitur laus omnis in actione consistit. Forma pars est generi subiecta, quod Iustitia est, vtique virtus est.

20 Similitudo, quæ traducit ad rẽ quãpiam aliquid, ex re dispari si-

ri simile, Cic. Vt quidam morbo, & sensus stupore suauitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi, & auari veræ laudis gustus non habent

Dissimilitudo, seu diff. si barbarorum est in diem viuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.

Cõtrariorum genera quatuor, Aduersa, vt virtus vitium, sapientia stultitia. Si stultitiam fugimus sapientiam sequamur. Priuantia, sunt habitus & eius priuatio. Cicer. Eius mortis sedetis vltores, cuius vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis. Que inter se conferuntur. Cic. Ex quo profecto intelligi debet, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Negantia, vt si hoc est, illud non est.

22 Adiuncta, quæ cum re sunt coniuncta, vt locus, tempus, vt ea quæ rem circunstans. Latissimè patent adiuncta, nam quę homi nis sunt, l. animo. l. corpore, comprehendunt.

23 Antecedentia, quæ sic antecedunt consequentia, vt cum ipsis necessario cohæreant, vt sol lucet, ergo dies est. Consequentia, quæ rem necessario consequuntur, vt dies est: sol igitur lucet.

24 Repugnãtia neque certa lege neque numero inter se distent: vt amat illum, non igitur insectatur conuitijs.

25 Causarum genera quatuor. Finis cuius gratia sit aliquid vt belli finis pax, hominis, beata vita. Efficiens, a qua aliquid est, Cic. de Senectute, Carẽt epulis, extructis que mensis, & frequentibus poculis, caret ergo vinolentia, cruditate, insomnijs. Forma ratio rei, & nota, per quam res est id quod est, & a rebus alijs distinguitur. Animi hominũ sunt immortales ad immortalitatem, ergo beatę vitæ aspirare debẽt. Materia, ex qua & in qua res sunt. Corpus hominis mortale est, ab eius ergo contagione animus seuocãdus est. Ex hoc loco Regia Solis apud Ouid. & arma Aeneæ apud Virgilium laudantur.

26 Effecta, quæ sunt orta de causis, virtus facit laudem: sequenda igitur. Voluptas infamiam: fugienda ergo.

27 Locus a cõparatione maiorũ. Virg. O passi grauiora, dabit Deus his quoq; finẽ, Minorũ, Ouid. Vt corpus redimas, ferrũ patieris & ignes: Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis? Parium. Si cõsilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendũ est, pari gloria esse debent ij qui consulunt, & qui defendunt.

28 Argumenta, siue remota, siue assumpta non parit oratoris ars: sed ad se foris delata, arte tamen tractat: hæc. Cic. in Top. Testimonij nomine cõplectitur. Sed facilius si cũ Quintil. in præiudicium rumorem, & famã tormẽta, tabulas, iusiurandũ, & testes ea diuidamus. Ex his locis, & ad faciendã fidem, & ad afferendũ motum auditorum animis, materia petitur.

29. 30. 31.

30 In affectibus mouendis maxima vis existit oratoris: quod amplificatione consequitur. Amplificatione grauior quędam est argumentatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem, Ea, & verborum genere conficitur, de qua in eloquutione, & eorum, quæ ex eisdem locis sumitur, quibus illa quæ dicta sunt ad fidem. Valent ergo maxime diffinitiones conglobatæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium & inter se pugnantium rerum conflictio, & causæ, & ea quę sunt orta de causis: maximeque similitudines, & exempla: fictæ etiam personę, muta denique loquantur. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39.

40 Adhibenda autem sunt ad amplificandum quæ magna habentur: quorum duplex genus; alia sunt magna natura, alia vsu. Natura, vt cœlestia, vt diuina, vt ea, quorum obscuræ causæ in terris, mundoq; admirabilia. Vsu, quæ videntur hominibus aut prodesse aut obesse vehementius.

41 In exornationis amplificatione ij loci tractandi sunt, qui mouere possunt expectationem, admirationem, & voluptatem.

In cohortationibus, bonorum ac malorum enumerationes & exempla valent plurimum. In iudicij, accusatori fere quæ ad iracundiam, reo quæ ad miserationem pertinent.

De praeceptis exornationis.

LAtum genus est, saneq; varium, vt quod ad laudandos claros viros, & ad improbos vituperandos suscipiatur: ad aliorum etiam. l. animalium. l. carentium anima laudem. l. vituperationem adhibetur. In hoc animi motus leuiter tractantur, resque amplificantur, & ornantur.

43 Laus ergo hominum in tempus, quod ante eos fuit, quoque ipsi vixerunt: in his qui vita functi, etiam quod est insequutum. Ante hominem patria, parentes maioresque erunt: quorum. l. respondisse nobilitati. l. humilius genus nobilitasse factis dicemus. Adde, quæ responsis. l, oraculis. l. signis ante ipsum futuram claritatem promiserunt, vt in D. Ioanne Baptista, multisque alijs viris sanctissimis.

44 Ipsius laus hominis ex animo, & corpore & extrapositis peti debet. Externa, vt, educatio, opes, diuitiæ, propinqui, amici, potentia, gratia, cæteraque huiusmodi. In corpore, forma, vires, valetudo, & his similia: qui hæc habuerit laudabitur, quod bene illis sit vsus: si nō habuerit, quod sapiēter caruerit. Si amiserit, quòd moderate tulerit. In quarum rerum vsu ac moderatione virtus, cui vni vera laus deberi putatur, maxime cernitur.

45 Virtutis duplex vis, aut enim scien-

ſcientia cernitur virtus, aut actio ne. Sapientia, virtutum omnium princeps, eſt diuinarum humanarumq; rerum ſcientia. Prudentia, rerum expetendarum fugiendarumq; ſcientia. Sapientiæ verò dialectica & oratoria quaſi miniſtræ ſunt, & comites. Studia etiã omnium bonarum artium ad hũc locum pertinent.

46 Virtus, quæ in actione poſita eſt, habet Iuſtitiam, Fortitudinem, & Temperantiam, Iuſtitia eſt virtus, quæ in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq; ſuũ cuiq; & rerum cõtractarum fide verſatur. Huius partes, Religio, Pietas, Fides, Lenitas, Amicitia. Fortitudo, conſiderata periculorum, ſuſceptio, & laborum perpeſsio, cuius eſt liberalitas in vſu pecuniæ. Temperantia eſt rationis in libidinẽ, atque in alios nõ rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Cuſtos virtutum omnium verecundia eſt.

47 Iniuſtitia quid cũ fide, quid cum æqualitate, quid cum huiuſmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit, in cęteris res geſtæ ad cuiuſque virtutis genus & vim & nomen accomodabuntur.

48 In tempore quod finem hominis inſequitur, inſunt habiti poſt mortem honores, decreta virtutis præmia, res geſtæ iudicijs hominum comprobatæ. Omnis ordo ſupradictus in vituperatione conſtabit tantum in diuerſum.

49 Vt res ſimilites atque homines laudantur præparente, à conditore, vetuſtas, autoritatis affert plurimum, loci poſitio, ac munitio, ciues vt liberi.

De deliberatione.

50 Exornationis præcepta multum ad ſententiam dicendam valent: in deliberãdo, finis dignitas. Suntq; in ſuadendo diſſuadendoq; tria ſpectanda. Quid ſit, de quo deliberetur. Qui ſint, qui deliberent. Quis ſit, qui ſuadeat.

51 Suadẽdi partes tres ſunt. Primæ, vt doceamus effici poſſe id, quod ſuademus. Secunda, quã ſit honeſtũ, tertia quã vtile. Nam ſi quid effici nõ poteſt, deliberatione tollitur, quã uis, & honeſtũ, & vtile ſit. Videndũ etiã quã facile. Nã, quę perdifficilia ſunt, perinde habenda ſunt ac ſi effici nõ poſſent. Si aliquid neceſſariũ nõ videbitur, videndũ, quam ſit magnum. Nã, quod permagni intereſt, pro neceſſario habetur.

De his qui deliberant.

52 Intuendi ſunt mores eius, qui deliberat. Duo enim ſunt hominum genera, alterum indoctũ, & agreſte, quod antefert ſemper vtilitatem honeſtati. Alterũ expolitũ, quod rebus omnibus dignitatem anteponit.

De honeſtate.

53 Honeſta apud honeſtos ſua-

dere, facillimum est. Si verò apud turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobare diuersam vitæ sectam, cauendum est. Nec sola virtutis commendatione animus permouendus; sed laude, vulgi opinione, & sequutura vtilitate. Obijciendo item metũ, si diuersa fecerint: quippe malorum timor plus interdum valet quàm spes bonorum. Sępe etiam controuersia est in illo, Vtrum sit honestius.

De vtilitate.

54 Facile, magnum, iucundum, sine periculo, ad vtilitatis quæstionem pertinent. Suasor itaq; I. omnia hæc. I. earum pleraq; inesse in eo, quod suadet, ostendet. Contraria, qui dissuadet. Item duobus propositis vtilibus, vtrum vtilius, controuersia est. Cum autem vtilitatis species cum honestate certat, qui vtilitatem defendet, enumerabit res, quarum fructum vtilitate metimur: commoda pacis, opum, potentiæ, vectigalium: & incommoda contrariorum. Qui verò ad dignitatem impellet, vtilitatem ex laude nasci debere dicet, semperq; eam cõiunctam cum dignitate.

De eo qui suadet.

55 Suadere aliquid, aut dissuadere, grauissimæ est personæ. Videndum ergo est, ne quæ dicuntur, ab eo qui dicit, dissentiãt.

56 Ad consilium de rep. dandum, mores ciuitatis sunt cognoscendi: qui quia crebro mutantur, genus quoq; orationis est sæpe mutandum. In senatu minori apparatu dicendum. Concio omnẽ vim orationis, grauitatem, varietatemq; desiderat: maximaq; pars orationis adhibenda est ad animorum motus: vis autem ad suadendum exemplorum est maxima, aut, recentium, quæ notiora sunt, aut veterũ, quæ plus authoritatis habent.

Secundi libri tabula.

De dispositione.

1 Dispositionis precepta oratori perutilia, & maxime necessaria sunt, cuius in infinita quæstione ordo est ferè idem, qui expositus est locorum. In Definita adhibenda sunt etiam illa, quę ad animorum motum pertinent. Atque eo fit; vt vtamur Exordio, Narratione, Confirmatione, & Epilogo. Quæ sunt orationis partes, per quas inuenta distribuimus, quarum duæ valent ad rem docendam, Narratio, & confirmatio, ad permouendos animos duæ, Principium, & Peroratio.

De exordio.

2 Exordiũ est oratio animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem, id quod

tribus

tribus maxime rebus fieri inter autores plurimos constat, si beneuolum, attentum, docilẽ auditorem fecerimus: quorũ primus locus est in personis nostris, auditorum, aduersariorum, è quibus initia beneuolentiæ comparantur, aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maximę liberalitatis, officij, iustitiæ fidei: cõtrarijsq; rebus in aduersarios conferendis: & cum auditoribus aliqui cõiunctionis, aut causa, aut spe significandi, intelligenter vt audiamur, & attẽtè, á rebus ipsis ordiendum est. Sed facilè auditor intelliget, si complectare ab initio genus, naturaq; causæ. Si diffinias, si diuidas, si neque prudentiam eius impedias confusione partium, nec memoriam multitudine. Attente, vt audiamur, trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut necessaria, aut coniuncta cum his ipsis, apud quos agetur. Ex his verò quæ sunt proposita, aliud atque aliud pro veritate causarum desiderari palam est.

Causarum genera sunt quinque. Honestum, quod ad conciliationem satis per se valet. Humile, in quo attentum parare debemus. Anceps seu dubium, in quo maximè beneuolum iudicẽ. Obscurũ, in quo docilẽ reddemus, & admirabile, quod est præter hominũ opinionẽ. In admirabili, & turpi remedijs opus est. Vnde exordij duę sunt partes, Principiũ, in quo rectè beneuolẽtię, & attẽtionis postulatio est: & Insinuatio, quæ subrepit animis. Cõsiliũ ergo ex causis sumetur. Si causa laborauimus, persona subueniat. Si persona, causa. Adde, Insinuatione vtendum, si aduersarij oratio auditorum animos occuparit, vel si dicendum apud fatigatos, quorum alterum promittendo nostras probationes, & aduersas eluendo, vitabimus. Alterũ, & spe breuitatis, & ijs, quibus attentum fieri auditorem docuimus. Vrbanitas etiã opportuna animos reficit.

4 Exordia debent esse apta verbis, & instructa sententijs ad alliciendum incitandũq; auditorem: non tamen totos in exordio explicari motus oportebit, sed tantum impelli primo auditorẽ leniter, vt iam inclinato reliqua incumbat oratio.

5 Exordiorũ septẽ sunt vitia. Vulgare, commune, cõmutabile, longum, separatum, translatum, contra pręcepta.

6 Ingenere iudiciali ex ipsis causæ visceribus exordium sumendum, iudicem conciliando non solum laude, sed ad vtilitatem causæ laudem coniungendo. Nec semper exordio vtendum, vt in honestis causis, in paruis atq; frequentibus, sed ab ipsa re ordiendum.

7 In demonstratiuo exordia maxime sunt libera, vt Aristote

li

li placet. In deliberatione sæpe nulla.l.breuia.

De narratione.

8 Narratio est rerum explicatio, & quædam quasi sedes, & fundamentum constituendæ fidei.

Oportebit autem eam tres habere res; vt breuis, vt aperta, vt probabilis sit. Erit breuis, si constet simplicibus verbis, & si semel vnaquæq; res dicatur. Deniq; si resciderimus ea, quibus sublatis, neq; cognitioni quicquam, neq; vtilitati detrahatur, non tamẽ debet esse inornata.

Erit perspicua, si verbis vsitatis, si ordine temporum conseruato, si non interrupto, narrabitur.

Probabilis erit, si personis, temporibus, locis, ea quæ narrabuntur, consentient, si cuiusquè facti, & euenti causa ponetur. Si testata dici videbuntur. Si cum hominum opinione, authoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta, si narrantis probitas significabitur, si orationis veritas, & vitæ fides. Cice. vehementer placet, vt sit iucunda, & suauis.

9 In indicijs, si nota res, nec dubiũ erat quid gestũ esset, nõ adhibebitur narratio, nec si aduersarius narrauerat, nisi si refellebatur. In Exornatione narratio nulla, quæ cõsequatur exordiũ, nisi nisi ea quæ incidit, cũ aliquid eius, de quo loquimur, narrandũ est.

10 In deliberatione priuata narratio non erit, in concionibus sæpe etiam est illa, quæ ordinẽ rei docet, necessaria.

De confirmatione.

In confirmatione suggerenda sunt firmamenta causæ cõiunctę, & infirmandis contrarijs & nostris confirmandis.

11 Status est quæstio, quæ ex prima causarũ constitutione nascitur, dictus, vel ex eo quod ibi sit primus causę congressus, vel quod in eo causa consistat.

12 Cõstitutiones tres sunt. Coniecturalis, in qua sit, nec ne, quærimus, vt sit ne Clodius insidiatus Miloni. Nominis vel Finitionis, cum quid sit aliquid, & quo nomine afficiendum, inuestigamus, vt. Sitne I. Cæs. Rex, an Tyrannus. Tertia in qua de vtilitate, æquitate, honestate differitur, deq; contrarijs. Recte ne fecerit Romulus, cum fratrem interfecit. Huius duę sunt partes, Absoluta & assumptiua.

13 Ex scripti interpretatione existit sæpe controuersia, cuius quatuor sunt genera.

14 Ambiguum, Discrepantia scripti & voluntatis, Scriptura contraria, Ratiocinatio.

15 Ad constitutã iudicationẽ, quæ ex coniunctione rationis, & firmamenti constituitur, omnes argumentationes conijciendæ sunt. Argumenta verò ita colloca

bitę

bit orator, vt firmissimum quod q; sit primum, dum ea quæ excellant, seruentur ad extremum. Si qua erunt mediocria, (nam vitiosis nusquam erit locus) in mediã turbam conijciantur.

16 Argumentatio est argumenti explicatio: conficitur, cum ex locis, aut certa, aut probabilia sumpseris.

17 Ratiocinatio constat Propositione, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo omnis vis ratiocinationis emanat. Prop. approbatione, per quam quod expositum est rationibus firmatur. Assumptione, per quam id quod ex propositione ad ostendendũ pertinet, assumitur Assumpt. approbatione, per quam assumptũ rationibus firmatur. Complexione, per quam id quod conficitur, ex omni argumentatione, breuiter exponitur.

18 Vitabimus similitudinem, quæ satietatis mater est, nõ semper ordientes à propositione, sed interdum ab assump. nonnunquã à complexione.

19 Enthymema Syllogismi pars: vt, Eloquentia est ars, ergo expetenda. Quod fit ex pugnantibus, optimum Cic. eius mortis sedetis vltores, cuius vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis?

20 Inductio, argumentatio quæ ex pluribus collationibus peruenit quo vult. Quod pomum generosissimum puto quod optimum, & equus? qui velociss. & plura in eundem modum. Ita qui virtute excellit, generosissimus.

21 Exemplum, inductio est imperfecta, in quo ex vna re singulari alia inducitur.

22 Epicherema breuiter comprehensa ratiocinatio, vt sine causa dominum seruus accusat.

23 Sorites contra multas argumentationes conuoluit aceruatim, fallax & captiosum argumẽtationis genus; vnde telam retexere, & seorsum singula considerare oportet.

24 Dilemma, in quo vtrum cõcesseris, reprehenditur. Si implacabiles iræ, summa est acerbitas: sin exorabiles, summa leuitas.

De refutatione.

25 Refutatio est reprehensio, per quam argumentando aduersariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut eleuatur.

26 Curandum, ne syllogismorum, & Enthymematum turba sit cõferta oratio, locuples enim & speciosa vult esse Eloquentia.

De peroratione.

27 Peroratio extrema pars orationis, quæ in Amplificationẽ & enumerationem diuisa est. Hic, si vsquã, totos aperire eloquentiæ fontes licet. Enumeratio nonnunquam laudatori, suasori non sæpe, accusatori sæpius quàm reo est necessaria. Huius duo sunt tempora, si aut memoriæ diffidas eorum, apud quos agas,

vel interuallo temporis, vel lon gitudine orationis, vel si frequẽtatis firmamentis vim est habitura causa maiorem. Quæ repetemus, quam breuissime dicenda sunt, & cumpondere aliquo, aptis etiam excutienda sententijs, & figuris varianda.

Tabula Lib.3.

1 IN eloquendo excellentẽ eũ putat Ci. qui ita dicit, vt probet, quod necessitatis est, vt delectet, quod suauitatis, vt flectat, quod est victoriæ.

2 In Eloquutione spectãda, vt Latinè, vt planè, vt ornatè, vt ad id, quodcunq; agetur, apte congruenterq; dicamus.

3 Volenti ornate dicere, rerum sententiarũq; sylua cõparãda est.

4 Omnis orationis ornatus aut est in singulis verbis, aut in coniunctis. Verbis vtemur aut proprijs, aut his quę nouamus, & facimus ipsi.

5 Verborum simplicium natura sunt alia consonantiora, grandiora, nitidiora, &c. Hæc aurium iudicio sunt ponderanda. Sed in verbo simpl. tria sunt, aut inusitatum, aut nouatũ, aut trãslatum.

6 Inusitata, prisca, & quæ sunt poetarum licentiæ liberiora, quæ in oratione dignitatem habent, si raro & in loco adhibeantur.

7 Nouantur verba, aut similitudine, vt Syllaturit, aut imitatione, vt tinnio, aut inflexione, vt à bibo, bibosus, aut coniunctione verborũ, vt versutiloquus. Quod periculosius finxisse videbimur, præmuniendum sic est, vt ita dicam, si licèt dicere.

8 Tropus est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio, vt lætas segetes: sunt Tropi vndecim 7. in vno verbo. 4. in oratione.

9 10. Metaphora seu trãslatio, cum nomen aut verbum transfertur ex loco, in quo propriũ est, aut translatum proprio melius est, id facimus, aut quia necesse, aut quia significantius, aut quia decentius.

Synecdoche tropus, in quo ex parte totum, aut contra, aut ex antecedentibus sequentia intelliguntur.

12 Metonymia est Trop. in quo causas per effecta, vel effecta per causas, vel ex eo quod continet, id quod cõtinetur, vel rem è signo intelligimus.

13 Antonomasia ponit aliquid pro nomine: vt Euersor Carthaginis, pro Scipione.

14 Onomatopœia fictio nominis, Sibilus & murmur, Græc. inter maximas habita virtutes, Latinis vix permittitur,

15 Catachresis, quæ abusio, non habentibus nomen suum, accommodat, quod in proximo est. Equum diuina Palladis arte ædificant.

16 Metalepsis rarissimus tropus ex alio in aliud viam præstans.

Speluncæ

Speluncis abdidit atris.

17 Allegoria, aliud verbis, aliud sensu ostendit. Sed nos immensum spatijs confecimus æquor: si obscurior est, Aenigma dicitur. Cic. Ironia, quā illusionē vocāt, quæ contrarium verbis ostendit. ea, aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Integritas tua te purgauit, mihi crede. Periphrasis, cum pluribus verbis, id quod vno, aut paucioribus dici potest, explicatur. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris incipit. Hyperbaton, tropus solis poetis concessus. Hyperbole ementiens superiectio. Fulminis ocyor alis. Vix ossibus hærent. hæc non debet esse vltra modum.

De figuris.

23 Figura est conformatio quędam orationis, remota à communi & primum se offerente ratione. Differt à Tropo, quod figura proprijs verbis fieri potest, quod non cadit in tropos.

24 Figuræ versantur in sensu & in verbis: verborum exornatio est, quæ ipsius sermonis insignita continetur perpolitione.

25 Figuræ verborum tribus maxime fiunt modis: per adiectionem, detractionem, similitudinē. Figuræ per adiect. sunt.

26 Repetitio. græ. Anaphora. l. Epibole, est eiusdem verbi crebra à primo repetitio. Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, &c. Cōuersio. g. Epiphora. l. Antistrophe, cum in idem verbum coniicitur sæpius oratio. Pœnos P.R. iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.

Complexio, g. simploche, quę repetitionem, & conuersionem complectitur. Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem P.R. partem suffragijs priuauit? Rullus.

Conduplicatio. g. Anadiplosis, verborum geminatio est. Viuis, & viuis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Traductio. g. ploche, cum verba paululum immutata ponuntur, Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.

Synonymia est, cum verba idē significantia congregātur. Abijt, excessit, erupit, euasit. Polysyndeton, schema quod coniunctionibus abundat. Tectumq; laremq; Gradatio. g. climax. est cum gradatim sursum versum reditur. Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

27 Figuræ quæ per Detract. sūt. Dissolutio. g. Dialyton. l. Asyndeton, cùm demptis coniunctionibus, dissolute plura dicūtur. Galba huius virtuti, fidei, felicitati commendata est.

Adiunctio. g. zeugma, in qua vnum ad verbū quod primū, medium aut postremum collocatur, plures sententiæ referuntur,

vt vicit pudorem libido, timorē audacia, rationem amentia.

Disiunctio.g. hypozeuxis,cū vnumquoq; certo concluditur verbo, vt Homerum Colophonij suum esse dicunt, Chij suum vendicant , Salamini repetunt. Aposiopesis verbum quod desiderat,aut incertum est, aut certe longiori sermone explicandum habetq; vehemētiorem affectum quàm Eclipsis. Synæciosis dicendum est , duas res diuersas colligat,vt,Tā deest auaro quod habet,quam quod non habet.

28 Figuræ quę aut similitudine vocum,aut paribus cum cōtrarijs vertunt in se aures, & animos excitant.

Annominatio.g.paranomasia, cum paululum immutata verba atque deflexa in oratione ponuntur, fit adiectione. Emit morte immortalitatem. Detractione. Non leno sed leo. Commutatione.Reprimi,non comprimi perpetuo potest.

Similiter cadens.g. Homœpto ton , cum in eosdem casus verba cadunt,Egens virtutis, abundans felicitatis.

Similiter desīgnās.g. Homœo teleuton, cum siue casus sint in verbis , siue non , similes tamen exitus sunt. Audacter territas, humiliter placas.Similiter cadens in nomine & in verbo fit, at simil.des.etiam in his quæ declinari non possunt.Compar.g.Isocolon,habet orationis membra,quę constant ex pari numero syllabarum,extrema hyeme apparauit, ineunte vere suscepit,media æstate confecit.de bel.Pirat. Contrapositum,Contentio seu Antitheton,cum singula singulis opponūtur,vt,Vicit pudorem libido, timorem audacia,rationem amentia Commutatio.g. Antimetabole,cum duæ sententiæ interse discrepantes , ita efferuntur , vt à priori posterior cōtraria proficiscatur. Non vt edam viuo,sed vt viuam edo.

29 Danda opera est, vt parce, & cum res poscet,verborum figuris vtamur.Deinde sciendū, quid quisq;in orando postulet locus, quid persona , quid tempus,nam plerumq; verbum cura derogat affectibus fidem.

De Fig. Sent.

Sententiarum exornatio est quæ non in verbis,sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem. Interrogatio.g.Erotisis , quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi.vt. Quousq; tandem abutere Catil.patientia nostra?

Responsio,cum aliud interroganti,ad aliud,quia sic vtilius sit, occurritur , tum augendi criminis,tum declinandi gratia. Rogatus testis an à reo vapulasset?& quidem innocens.Quæro an occiderit hominem? R.latronem.

Subiectio,cum orator vel interrogat se ipsum, & respondet sibi,

sibi, vel cum alium rogauerit, nō expectat responsum. Apud quē hoc dico? Nempe apud eum, qui cum hoc sciret, &c. Occupatio g. prolepsis, cum id quod obijci potest, occupamus, qualis illa Cic. præmunitio in Diuinitat. quod ad accusandum descendat qui semper defenderit. Correctio, quæ tollit sententiam aliquam & eam alia, quę magis idonea videtur, emendat & corrigit. O virtutis comes inuidia, quæ bonos insequeris plerūq; atq; adeo insectaris. Dubitatio. g. Diaporesis, cum quærimus vnde incipiendum, vbi desinendum, quid potissimum aut omnino dicendum sit. Quo me vertam.

Communicatio. g. Anachinosis, cum aut ipsos aduersarios consulimus, aut cum iudicibus deliberamus. vt, Si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? Prosopopœia personarum ficta inductio, qua vrbes etiam & populi voces accipiunt. Formæ item rerum quæ corporis expertes sunt, vt fama, virtus. Apostrophe, auersus à iudice sermo at, Quid tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat?

Hypotyposis seu illustris explanatio rerum quasi gerantur, sub aspectum subiectio. Cic. in Ver. inflammatus scelere ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.

30 Ethopœia, imitatio vitæ ac morum alienorum. Emphasis cū ex aliquo dicto latens aliquid eruitur. Iacuitq; per antrum, e loci spatio Cyclopis magnitudo intelligitur. Sustentatio. g. Paradoxon, qua diu suspenduntur auditorum animi, atq; aliquid deinde inexpectatum subiungitur, Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse aut prædam aliquam? mox subiecit quod erat improbius. Interdum id quod leue est, cum alicuius rei grauissimæ expectationem concitarit orator. Prætermissio. g. Apophasis, cū dicimus nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere, id quod tunc maxime dicimus. Cic. Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturæ. Licentia. g. Parrhisia, cum apud eos, quos aut vereri aut metuere debet orator, tamen aliquid pro suo iure dicit, quod eos minime offendat. Vide quàm non reformidem. Pro Liga.

Concessio, cum aliquid etiam iniquum videtur orator pati atque concedere, vt, quæ deinde dicturus est, grauiora videantur. Cic. in Ver. Leuia sunt hæc in hoc reo crimina, &. Ironia quæ sententiarum est, ab ea differt, quæ est verborum: nam quæ verb. est, breuior est & apertior. hæc verò totius est voluntatis fictio. Vt nouum crimen. C. Cæs. & ante hunc diem inauditum, &c. Pro Lig. Distributio g. Merismos, cū aliquid in partes plures distribuitur.

buitur, quartum vnicuique ratio deinde sua subiungitur. Alexandro, neque in deliberando consilium, neque in præliando virtus deerat: nam in dubijs apparebat sapientiss. cum confligendo esset cum hoste, fortissimus.

Permissio. g. Epitrope, cum alicui rei vehementer confidimus, & ostendimus nos eam tradere alicuius voluntati. Ego iudices summum ac legitimum meæ causæ ius omitto, vobis permitto.

Deprecatio, cum opem alicuius imploramus, Ci. Hoc nos metu C. Cæs. per fidem & constantiam & clementiam tuam libera.

Execratio, qua malum alicui precamur. Dij te perdant fugitiue, Pro Deio.

Epiphonema, rei narratæ, vel probatæ summa acclamatio. Tātę molis erat Romanam condere gentē.

Exclamatio, quæ conficit significationem doloris aut indignationis, per hominis aut rei cuiuspiā compellationem. O mores, o tempora, o miserum me. Sunt & illa iucunda, quæ non præparatam ostendunt orationem, cum quærimus quid dicamus, cum velut ignoramus aliqua, cum nos dicti poenitet. Dant enim orationi hęc omnia varios vultus.

De collocatione.

31 In collocatione necessaria sunt ordo, & iunctura, vt oratio sit lenis, cohærens & æquabiliter fluens.

32 Ordinis obseruatio est in singulis verbis, & in contextis. In singulis cauēdum ne decrescat oratio, & fortiori subiungatur aliquid infirmius, vt sacrilegio, fur. Verbo sensum claudere si compositio patiatur, optimum, quod si asperum erit, orationi consulendum.

De iunctura.

Iunctura concinna & elegans erit, si verba extrema cum consequentibus primis ita iungamus, vt neve aspera concurrant, neve vastius diducantur. vt. Exercitus Xerxis. Ars studiorum, viro optimo obtemperare.

Verbi prioris vltimæ syllabæ, ne sint primæ sequentis.

Res inuisæ visę sunt. Monosyllaba si multa sint, adde & dissylla ba, male continuabuntur.

Cadentia item similiter & Desinentia vitiosa, si multa sint.

Breuium verborum vitanda continuatio, ne minuta sit compositio atq; concisa, & longorum etiam, quia afferunt tarditatem. Hęc diligentiam desiderant, ea tamen lege, ne fiat operose, nam esset cum, infinitus, tum, puerilis labor.

34 Quia orator sic illigat sentētiam verbis, vt nihil inane, nihil inconditum, nihil in oratione sit redundans, id quod oratorio numero fit, breuiter hoc quoq; explicatur.

35 Inueniendi aptam & numerosam verborum conclusionem

princeps fuit Thrasimachus. Romani hanc Ciceronis tempore agnouerunt, cuius fuit summus ipse artifex.

36 Aures, vel animus potius aurium nuntio quandam in se continet vocum omnium mensionem, cuius obseruatio numerosæ orationis artem peperit.

37 Huius verò natura, vt intelligatur, necesse est, quæ de incisis, membris & periodis tractantur, tum etiam de pedibus, in memoriam reuocentur.

38 Oratio soluta suis pedibus constat. Sed in oratorio numero, quem Græci Rhithmon appellãt, pro Dactylo Anapęstus poni potest, cum eodem temporum spatio constet vterq; in versu, quod metrum vocant, poni nõ potest. Adde quod versus certis legibus astrictus est, in oratione nihil certum, nisi vt apte verbis sententia comprehendatur, adeo vt versum in oratione fieri vitiosum putetur, quam tamen numerose cadere volumus.

39 Tota periodus numerosa sit, necesse est.

40 Initia optime nascuntur à Dactylo, Cretico, Anapæsto. Dochimus quouis loco aptus, dum semel ponatur.

41 In extremo tres sunt seruandi pedes, quos aut Choreos aut spondeos, aut alternos esse oportebit. Arist. pœona vltimum, Cicero Creticum aptiorem putat.

43 Media periodo in humili oratione iambus erit frequẽtis. Pæon in ampliori, in vtraq; dactilus, creticis, dochymis, spõdeis locus est 44. 45. 46. 47.

48 In veris causis, nec assumenda omnino numerosa oratio, nec repudianda, in amplificanda re numerose dicendum, hoc etiam orationis genus perorationes desiderant.

49 Variæ causæ varium dicendi genus efflagitant.

50 Nam cũ tria sint oratoris officia, docere, mouere, delectare, 51 Subtile in probando. 52 Tẽperatum in delectando, Vehemens in flectendo versatur.

Memoria.

53 Hæc cum alijs artibus sit cõmunis, quę artificiosa est, oratoriæ artis pars existimatur.

54 Constat locis & imaginibus. Loca sint speciosa, multa varietate signata, illustria, vt ædiũ magnificarum.

55 Imagines, vt nauigationis anchora; rei militaris gladius: Si longior complectenda est oratio, proderit per partes ediscere, apponere aliquas notas, ediscere quibus scripseris chartis, si tamen quis vnam maximamq; artẽ quærat, exercitatio est, multa ediscere multa cogitare, & si fieri potest quotidie, potentissimum est.

Pronuntiatio.

56 A plerisquè actio dicitur, sed prius nomen à

voce,



voce, sequens à gestu. Huius duę sunt partes, vox, & gestus.

57 Vocis mutationes totidem, quot animorum. Iracundia, acutum vocis genus desiderat, incitatum, crebro incidens. Miseratio ac mœror, plenum, flexibile, interruptum, flebile. Metus, demissum, hæsitans, abiectum. Voluptas, effusum, tenerum, hilaratum.

58 Gestus vocem sequi debet. Status erit rectus, rarus incessus, nec ita longus, excursio moderata, eaq; rara, ceruicum nulla mollicie, nullæ argutiæ digitorum; trunco se toto magis moderabitur orator, & virili laterum flexione: brachij protectione in cōtentionibus, contractione in remissis, pedis supplosione in contentionibus incipiendis aut finiēdis. In ore, & præcipue in oculis maxima vis. Oris non est nimiū mutanda species. Oculorum, qui animi sunt indices, tum intentione, tum remissione, tum cōiectu, tum hilaritate motus animorum significabimus aptè cum genere ipso orationis.



FIN.






005643448